De Christo gratis iustificante.

Contra Osorianam iustitiam, cæterosque eiusdem inhærentis iustitię patronos, Stan. Hosiũ. Andrad. Canisiũ. Vegam, Tiletanũ, Lorichium, contra vniuersã denique Turbam Tridentinam & Iesuiticam.

Amica & modesta defensio

Ioan. Foxij.

VBI QVE FLORET.

LONDINI,
Excudebat Thomas Purfutius
impensis Geor. Byshop.
1583.

¶ AD AFFLICTAS ET PERTVRBATAS FIDELIVM IN CHRISTO CONSCIENTIAS, EPISTOLA AVTORIS PRAEFATORIA.

DE Christo gratis iustificante hanc æditurus Apologiam, quo magis causam aduerto, quam instituí, hoc magis mihi glíscit animus vt pergã. Rursus verò vbi tempora nunc ipsa in mentem reuoco, moresque hominum, quo defluxerint, perpendo, dubia oboritur diuerse animum distrahens hæsitatio, non sine aliquo adiuncto metu. Quod autẽ subdubito, illud est, ne maior nostrorum pars, vt ingenia sunt hominum ad leuissimas semper occasiones intenta, ex miti & placida hac euangelicæ iustificationis doctrina, ad maiorem peccandi impunitatem, aliquid contrahant licentiæ. Vnde nonnihil propterea subuereor, quid possit, aut velit hic mihi obstrepere tacita quorundam cogitatio, qui etsi vera hæc esse, quæ de Christo à nobis dicuntur, minime, denegabunt: at parum tamen eadem hæc temporibus opportuna, moribusque nunc hominum tam corruptis & fermentatis haud multum conducere, quin potius iisdem officere, ac fenestrã aperire ad audaciorem peccandi securitatem iudicabũt. His itaque vt respondeam, simulque vt facti mei rationem exponam, paucula quandam prius hic præfarivisum est. Primum haud quaquam id me ignorare, quæ passim hodie vulgo grassantur prodigiosæ impuritatis portenta, tum neque minus etiam toto pectore deplorare, quæ videam. Atque

que vtinam tam in me situm esset aliquid, quod posset his mederi malis, quàm seriò mihi dolet tanta hæc indies magis ac magis inualescens omnium vitiorum eluuies.

At dicet hic aliquis, quin igitur huiusmodi aliquid ex seueriore dei lege excudis, atq; effulmines, quod salutari dei metu, ac diuinæ vindictæ asperitate vulgi animos concutiat, quod furiosas vitæ cupiditates eximat, effrenem audaciã restringat, velutque in gyrum seuerioris disciplinæ homines redigat, quod à flagitiis ad sertam reuocet pœnitentiã, omnibusque modis ad optima conãdum quosque perpellat. Age, & quid quæso, totis his libris aliud connitor, etsi nõ eadem dicẽdi dexteritate, ingeniique præstantia, qua multi, at eundem tamen scopum omninõ spectans? Quod si enim fines rerum æquo æstimemus iudicio, quorsum tota sacrosancti euangelii tendit doctrina, de fide, de Christo mediatore, de gratuita per illum iustificatione, nisi vt propositis in medium amplissimis Christi erga nos beneficiis, ac singulari spectato fauore, tanto facilius accensi cœlestium rerum admiratione animi fidelium, ad contemptum huius mundi traducantur. Quanquã non me fugit interim non deesse fortasis qui contra sentiant, nullam esse opprimendis vitiorum fibris, moribusque refingendis rationem aliam, aut medicinam adhibendam, quàm vt assidua legum & præceptorum inculcatione, durisque ad terrorem comminationibus aures occalleant simplicium. Quorum opinioni vt nec ipse aduersari velim, ita & operam eorum magnopere non laudare nequeo. At neque rursus reprehendi sunt & hi, qui Christum decent. Nec ideo deserenda est euangelicæ doctrinæ promulgatio, quòd complures eadem aburuntur. Priusquam filium suum mitteret in mundum pater, non ignorabat futurum, vt mundus eum non reciperet, at misit tamen. Etsi plures esse sciret, qui tenebras gauderent magis quàm luce, at nihilo minus affulsit è cœlo vera lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Nunquam tam felix fuit seculum, in quo non numero vicerit pars deterior, semperque optima placuerint paucioribus. Sed haud scio, an vllo vnquam seculo maiores collegerit vires tam proiecta peccandi audacia. Quo magis illorum fauendum fateor instituto, qui omnem huc conferunt diligentiam, voceque exacuunt, repurgandis è Christiana

Riana repub. flagitiis. Quid enim agant accommodatius? At non ob hoc tamen ab ecclesia remouendus est Christus. Imó, si liberè fateri liceat, haud equidem scio, cui rei magis ascribenda sit tanta hæc deprauatio, omniumque turpissimarum iniquitatum scaturigo, quàm quòd Christus optimus vitæ formator, non ita, vt par est, regnat in animis hominum. Habet hic mundus cultores suos, sed & Christus habet electos suos in mundo miseros, & afflictos, quorum non negligenda nobis cura est. Itaque qui impuris huius vitæ moribus irascuntur, recte in eo quidem faciunt: Sed nec male etiam faciunt ij, qui irascuntur corruptis doctrinę erroribus, quibus non minus consulendum mihi quidem videtur, quàm moribus: Iubetur propheta annunciare populo suo scelera eorum, verum sanè. Sed iubetur idem rursus prophetа consolari populum suum. Iubetur & vox prophetica sublimi clamore vaticinari ciuitatibus Iudæ, de seruatore rege eiusque mercede, de salutifera dei gratia & gloria, quæ erat in eo populo reuelanda. Habet itaque ecclesia prophetas suos, scio ac fateor. Atqui ita rursus dispensat sua munera diuina benignitas, vt & eadem suos etiam habeat Euangelistas. Age & quotusquisque eorum omnium est prophetarum, qui Christi etiam tempora antegressi sūt, quin lætissimis fabinde præconiis aliquid de Christo euangelistare suauissimè comperiatur. Id quod á petro testatum audimus: Huic, inquit, omnes prophetę testimonium ferūt, veniam adepturos peccatorum quotquot credunt in eum. Quamobrem vt non fraudandi sunt sua laude, qui omnes huc vires accommodāt, vt crassos vulgi animos ad detestationem adigant suorum scelerum: Ita rursus videndum, ne in hoc vno non sint omnia. Tu ad resipiscentiam reuocas, qui præcipites ruunt in flagitia, recteque facis, permagna enim res est. At quid hoc refulerit adeò, si non christus simul fide receptus cum tua pœnitentia congrediatur. Neque enim, quia vitæ antactæ pungit te recordatio, ob hoc solum tibi ignoscitur: sed quia pro te mortuus est Christus qui peccant nunquam. Quāquam rursus nec cuiquam ignoscit ille, nisi verè atque ex animo resipiscenti. Coniungenda itaque hæc duo, semperque in ecclesia retinenda sunt ita, vt semper salus & iustificatio, non in vita hominum posita, quantumuis integra, sed in doctrina fidei recte instituta potissimum constare intelligatur. Qua

Act. 10.

in

in re non parum hallucinari mihi videtur totum hoc papistarum genus, quibus Christiana religio hæc nostra, qui profitemur, nihil ferè aliud esse videatur, quàm moralis quædam vitæ institutio ad rectas viuendi leges composita, quam vt quisque cum laude virtutis, et externa honestate sanctissimè expresserit, ita nihil ad summum Christianæ philosophiæ perfectionem sibi amplius requirendum arbitretur. Quod si verum sit, quid inter nos, & veteris philosophiæ cultores intersit, haud multum video.

Quæ enim tam crassa vnquam factio fuit philosophiæ, quæ non magnificum semper duxerit ea contemnere, quorum tanta nos admiratione, & desiderio tantum non insanimus Christiani? Pecuniam nullum vnquam reddere felicem: in honoribus, in voluptatibus nullo modo finem boni constituendum. Non ignorarunt Stoici, neminem esse sapientem, nisi virum bonum: viderunt boni honestumque nihil esse, præter veram virtutem, nihil in malis ducendum, præter vnam turpitudinem: iniuriam nō esse iniuria vindicandam disputat apud Platonem Socrates: animam omnibus modis abducendam ab affectibus corporis. Præterea quum immortalis sit anima, non esse deplorandos, qui post vitam honestè exactam hinc demigrant ad sedes beatiores. Quid de Platone, quid de Aristotele referam, qui in politicis negat, quicquam in vita hominibus suaue esse posse, vna excepta virtute, in qua sola sita sit voluptas. Iam quàm sanctè de officiis scribit M. Cicero? Quid, quod nec ista solum docuerunt illi, sed magnam etiam doctrinæ partem præstiterunt eorum non pauci, tum apud Græcos, tum latinos, præcipuè Socrates, Aristides, Diogines, Epictetus, Curij, Fabii, Fabricii, Scipiones. Quorum si vitam, virtutes, res præclarè gestas intuearmur, atque cum nostris hodie catacatholicis componamus, papæ, quæ diuersitas? quantus pudor? Atenim hæc omnia tam præclara vt nihil illis ad salutem, sine Christo contulerunt: itidem & nobis existimandum est, in omni nostra virtute, rectèque factis, nihil esse, quod nos ab illorum paganismo distinguat apud dominum, nisi præter vitæ conditionem, alia accedat doctrinæ ratio, alia religionis professio, quæ non, vt philosophi olim, de virtutibus solum, & officiis moralibus disputet, non de summo bono, in virtutis aut charitatis excellentia statuendo philosophetur, non de le-

gi-

gali iustitia, ciuilibusque iudicijs perquirat: sed quæ ad altiora nos euocans mysteria, de cœlesti dei iudicio, voluntate, pactionis fœdere, de filio dei, de æterna nostra per Christum redemptione, pace, iustificatione, de fide, et spe vocationis, de amplitudine diuinæ misericordiæ & gratiæ, de salute, & immortalitatis corona, mentes fidelium rectè solideque instituat. Hæc præcipuè mihi quidem capita videntur, in quibus omnis nostræ religionis vis atque natura, vniuersa pax nostra, & tranquillitas, omnis denique salutis & doctrinæ ratio continetur. Quæ doctrinæ institutio vt in ecclesia incolumis atque integra retineatur modis omnibus admirandum censeo.

Atque ea quidem maximè causa hos mihi adiecit stimulos ad hanc subeundam de sensionem, in qua nunc versor, non vt impuris ingeniis campum aliquem aperirem laxandæ licentiæ, sed vt immensas atque æternas opes diuinæ gratiæ in Christo nobis comparatas, regni gloriam, stabilem ac indubitatam reconciliati fauoris *euangelium* quibusque piis framibus tũ maximè afflictis expanderem: Quod si ea nonnulli mentis prauitate fuerint, qui placida ac salubri hac nostra de fide, & iustificationis gratia, disputatione ad patrocinium suæ iniustitiæ, carnisque licentiam abuti cogitent, hos iam ante præmonitos velim, hæc ipsis à me nec scripta esse nec cogitata, sed piis solum, depressis & laborantibus in hoc seculo conscientiis, (quibus hoc quicquid est opusculi peculiariter dictatum volui) vt eas in duris agonum angustiis, aliquo doctrinæ euangelicæ lenimento aduersus insidiosas satanæ impressiones subleuarem, atque in christo reficerem: simulque vt eisdem, velut antidoto præmunitas suffulcirem contra aduersarias pseudocatholicorum pestes & veteratorias sophistarum fraudes. Qui quum infinitis iam ante æditis libellis, tum nouis quotidie in medium prouolantibus, nullum faciunt scribendi modum aut finem, quo vias domini rectas subuertant.

Interim de bono illo Stapletone nostro, in præsentia quod dicam, nihil habeo, nisi quòd nimium dolet non prius incidisse in manus tam prolixæ garrulitatis volumen. Nunc verò quum tam tumultuosus hic strepitus, duodecim librorum, quos contra Christum & duodecim Apostolos armasse videtur ad expugnandam euangelicæ doctrinæ simplicitatem, plus otij requirebat, ad expendendas illius

tot

tot tantasque ex Augustino congestas autoritates: petendæ sunt ab illo induciæ, quoad liceat iustam diligentiam tanto doctori impendere, si modo vires addiderit dominus, vt liceat.

Quod superest, Oro D. Iesum, pro peccatis nostris crucifixum, pro ineffabili illa, qua cuncta cum patre possit, in cœlo & in terra, immensitate, proque humanissima ipsius erga nos philanthropia, vt mentes nostras spiritu gratiæ suæ indies magis magisque fœcundet, præsentia foueat, potestate confirmet: vt laborantem euangelii sui causam aduersus errorum pestes tueatur, intentas in perniciem nostram malignantium molitiones dissipet, inconditos in ecclesia tumultus, & inutiles rixas componat. Temporibus nostris pacem, peccatis veniam, fidei robur & victoriam, ecclesiæ consultos operarios, operariis operandi & docendi prudentiam impartiat, tum vero maxime vt pias & consternatas fidelium conscientias, luctantes cum morte & satana, aut aduersa calamitate laborantes propitio nominis sui fauore recreet, ac refocillet, ad gloriam nominis sui, Cui debetur omnis gloria cum patre, & sancto spiritu in æternas generationes. Amen.

(·.·)

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pag.42.lin.2.Deo. pa.48.li.17.ſpirat.p.52.l.20. nulla aſpergat.p.54.l.2.ſalubrem.p.62.l.11.cõuertimini. p.67.l.20.breuitatis. p.70.l.6.oportere.pa.72.li.1.neceſſaria.pa.73.li.23.facinoroſus. p.78.l.30.quin.p.80.l.19.παλαιὸμεμ.pa.80.li.22. remiſſionem.p.90.l.1.ſummam. p.145.l.5.premam.p.152.l.19.ſępenumero.p.156.l.18.φιλοδίκαιος.p.160.l.25.perficiet.p.162.l.15.ἀντισεφεύεσθαι.p.193.l.10.omnis.p.199.l.12.συμμέλοχοι.p.201.l.8.quos.p.220.l.9.periclitantes.

Quoties occurrit pænitentia,pæna,prætiũ,cælũ: lege,pœnitentia,pœna,pretium,cœlum.

¶ De Christo gratis iustificante.

Contra Osorianam iustitiam Antica et modesta Defensio Io. Foxi.

Lectitanti mihi Libros de iustitia tuos, Hieronime Osori, etsi minus vacauit acuratiore perquisitigatione singula consectari, quæ abs te declamata sunt: ex ijs tamen quæ sparsim hinc inde delibaui, satis perspexisse videor, quorsum tendas, quo spectes, quid agas. Agis enim quantum perspicio, non vt leuem aliquam partem Christianę institutionis imperas, sed vt iugulum ipsum petas, vt animam ipsam, spiritumq; Euangelij extinguas, vt vniuersum statum nostræ felicitatis, vt arcem & acropolin totius libertatis Christianæ obsideas, cuncta denique pacis vitæque præsidia, vno velut impetu, ab ipsis fundamentis conuellas. Nam quid aliud præstas totis illis libris decem, quibus clarissimum illud gratuitæ iustificationis nostræ lumẽ, Christi maximo beneficio partum, sempiterno Dei fœdere sancitum, é manibus, é studijs, ex animis & conscientijs hominum, ex orbe terrarum, tanquã è mundo solem abripias. Quo demum sublato, quid reliqui nobis facias, præter Cymerias & Osorianas, in quibus ceu Talpæ cæci palpitemus

Quam necessaria hæc contra Osorium defensio.

tenebras nihil video. Quæ tuæ molitiones, licèt per se euanidæ & ieiunæ haud multum habeãt, quur metuantur, aduersus inuictam diuinæ veritatis vim, tamen quia in id incumbũt tam acriter, vt quod in omni religione præstantissimum sit, nobis intercludant, necessaria proinde ratio mihi visa est, cur te his literis compellãdũ existimarẽ, nullo inimico in te studio aut odio percitus, quo te ex agitẽ, sed vt & amicè te cõmoneã & liberé, tanto q; etiã liberius, quanto grauiore te periculo implicitum video, nisi reducto pede, rectiore itinere ὀρθοτροδρομῶν ad euangelium Christi enitaris. Quid enim censes, ô præclarissime futurũ, vt factas vllis quãlibet præclarè gestis, gradibusq; virtutũ tuarũ aditũ tibi struas ad regnum dei? aut quenquam viuere in lubrica hac naturæ conditione arbitrare, qui excisis omnium cupiditatum fibris, amputatisque illecebris, ita sese in regionibus officii contineat, vt sedes illas sempiternæ dignitatis, pari iustitiæ dignitate, exequare possit, aut polliceri eas sibi audeat, nisi hoc honore nos vltro donasset diuina benignitas? Ne putes, Osori. Non sic itur ad Astra. Aut mutanda tibi sententia hæc est, aut spes hæc deponenda.

Quanquã neq; sententia hæc tua solũ, sed cõmunis, tibi cum permultis esse videtur, recẽtioris nimirum scholæ theologis, præsertim his, quibus potior esse solet pontificiæ censurę, quã Apostolicæ scripturæ autoritas. Qui omnes eodẽ erroris

correpti

correpti contagio, idem quod ipse affirmas, profitentur sedulò: at non eodem tamen omnes tractãdi modo ac methodo ingrediuntur. Illi suas scholas & articulos ita instituunt, vt omnes intelligãt, professos esse hostes diuinæ gratiæ, ac gratuitæ nostræ in Christo iustificationis, quam illi manifesto anathematismo è scholis exibilant. Tua disceptatio paulo aliter procedit, etsi idẽ ipsũ, quod illi, mordicus tibi retinẽdũ suscepisti, at tectiore tamẽ artificio, eadẽ venena ita occultas, vt & faciliùs influant, minusq; pateant reprehensioni. Scribis enim de iustitia libros, vt video, nec paucos quidem illos nec illaboratos. Argumentum quum specto: honestum video & plausibile. Quum dicẽdi genus non incompositũ, quũ orationis picturatæ phaleras, quum laudatorias amplificationes, quibus ad tragicos vsq; cothurnos iustitiæ decus, elegãtiã, pulchritudinẽ exornas, intueor, nec illud in te illaudãdũ cẽseo. Quis enim nõ meritò eum laudet, quem iustitiæ laudibus sic incalescere videat? Cæterũ quo animo, quo fine, quo prętextu, quibus argumẽtis partes istas iustitiæ tãtopere laudatas sustineas, si quis propius reductis oculis, recta secũ ratione perpendat, ac cũ Christi Euãgelio cõferat, multa in te cogetur desiderare. Breuiter de tota huius operis cõfectione quid cẽseã (quãquam de mea cẽsura haud multũ apud te retulerit) tamen si permittas liberè apud te παῤῥησιάζεσθαι ὡς δεῖ faciã pro officio meo, sicque faciam, vt ipse sentias nihil mihi in

Hostes diuinæ gratiæ sub titulo iustitiæ.

Libri Osorii de iustitia.

consilio minus fuisse, hæc ad te scribenti, quàm improbam scripta aliena carpendi voluntatem. Ita verò sentio, versari te in suscepto hoc argumenti genere, in quo philosophum satis tu quidem Platonicum, ac rhetorem non malé Ciceronianum video: at theologum verò parum, mihi crede, euangelicum, neq; ad causam ipsa iustitiæ Christianæ perorandam satis exercitatũ.

Titulus librorum de iustitia.

Primum igitur, quod ad libri titulum attinet, quem de iustitia inscribis, nihil adhuc reperio, quod criminemur. Quanquam naturæ nostræ imbecillitas suaderet, ut de misericordia potius occineres nobis aliquid: tamen quum de iustitia philosophari malueris, nec in eo quidem indignus videris tua myrto. Suscepisti enim de iustitia scripturus honorificam cum primis materiam, nescio an humeris tuis grandiorem, prouinciam certè perdifficilem, summèque præstantem. Quid enim in omni rerum diuinarum & humanarum natura excellentius iustitia? Quæ cum suo complexu virtutum omnium omnia genera, laudem pietatis vniuersam, summam denique; non legis modo perfectionem, sed Dei etiam perfectam imaginem contineat: in cælo inueniri certè poterit, in terris verò, quum omnia dixeris, nunquam poterit. Quo magis mirari et cogitare mecum soleo, quidnam arcani tibi consilij in mentem insederit, vt de iustitia libros tam accuratè exquisitos contexeres. Si vt tuæ prædicationis buccina, & encomijs panegyricis commendati-

Laus iustitiæ.

Imago iustitiæ ab Oseæ descripta.

mendatiorem eam nobis efficeres, nactus es in eo materiam,& tuo ingenio accommodam, & theatrum explicandis facundiæ tuæ opibus satis amplum,vt verè tibi confitear.Sed quo consilio aut fine id faceres, demiror, vt pulchritudinem, inquies, iustitię certius spectent mortales,et admirentur impensius?At hoc iam ante à Platone, ab Academicis, & peripateticis per multis tentatum est nec infeliciter.Et quis adeò ad omnẽ naturæ sensum obsurduit , qui etsi ipse iustitiæ careat excellentia,diuinum tamen eius splendorem non animo concipiat, non summa mentis admiratione,votisq; etiam omnibus prosequatur? si quid vota hac in re proficiant.

¶IVSTITIA ¶NHÆRENS, AD eam perfectionem, quam describit Osorius, in natura hac nusquã inueniri potest.

ATque vtinam permansisset ea naturæ nostræ integritas, in qua olim conditi ad absolutam omnis iustitiæ sanitatem fueramus. Nũc in collapsa hac & labefactata natura, quid illud, quod amisimus,refricas? quin aliquid expromis potius,quo iacturam,si queas,resartiamus? Quid homini iam mortuo profuerit, periculũ, quo perijt,scire? Quin magis opus medicina est, si quã habes,qua vel perditũ consoleris,vel vitę amissæ restituas. Iustitia platonica Catholica.

Imo hoc ipsum est, inquis, quod his libris molior de iustitia disputans. Est enim Iustitia vnica, vt ais, vitæ redintegrandæ, ac resartiendæ salutis medicina. Imo hoc ipsū est, Osori, quod hisce in libris tuis maximè reprehendo: non quòd de iustitia scribis. Laudo enim argumentum, in quo versaris, laudo etiam iustitiæ laudationes tuas magnificé copiosas, quæ satis laudari possit à nemine, sed aliud est, in quo merito succensere tibi omnes boni debeant. Quod cuiusmodi sit, liberè & apertè, si vis, dicam. Siquidem in libris haud multo diuersum nobis exhibes spectaculum, quàm quod de Celso olim & Antiphone refert Origenes. Qui quum scriberent maximè contra veritatem, eosdem tamen ipsos contra veritatem libros, eo commendarent titulo, vt ἀληθῆ λόγον appellarent. Quod & tibi non multum dissimili ratione vsu venire videtur de iustitia scribenti quidem, at ita vt nihil contra veram iustitiam dici possit hostilius.

Osorius de iustitia scribens, iustitiam christianam maxime labefactat.

DVPLEX ET DIVERSA DOCTRINÆ RATIO; ALTERA LEGIS, ALTERA EVANGELIJ.

Duplex iustitiæ ratio.

ET enim quum duplex sit, vt diuini fœderis, ita & iustitiæ ratio in scripturis proposita, altera in præceptis & operibus posita, cui omnes necessariò ad exitium succumbimus: altera Euange-

uangelii,quæ non operibus,non legis cultu, non officiorum noſtra aliqua perfunctione, ſed certa ſolaque fide Chriſti filii dei munitur: certè quiſquis hac,quam fidei dico,repudiata, in alteram quamcunque iuſtitiæ rationem nos abduxerit: non ego eum pro iuſtitia, ſed contra iuſtitiam diſſerere: neque diuinæ legis patrocinium ſuſcipere, ſed gratiæ Chriſti, cruciſque eius hoſtem profiteri, adeoque omnes veræ ſalutis aditus,ianuas,ac fores diuinæ gratiæ non aperire, ſed prorſus intercludere dixerim. Quæſo enim ſi verum fateri cum diuina ſcriptura volumus, quid aliud eſt,in quo omnes exitii noſtri fontes & cauſæ continentur, ad quod velut ad ſummum caput referenda ſit omnis noſtra calamitas, quàm hæc ipſa iuſtitiæ ratio in Deo, atque in lege ipſius poſita,cuius infinita immenſitate, non errata modò, ſed & iuſtitiæ noſtræ momenta omnia ad condemnationis vſque exitium opprimuntur: ſi nihil ſit præter iuſtitiam operum,quod operibus noſtris nimium acciſis & abiectis ſubueniat. Iuſtitia legis.

Sed de librorum inſcriptione hæc quidem hactenus ſatis fortaſſis multa. Ex quibus haud ambiguè eſtimare poterit prudentia tua, quid de reliquo opificio ſit iudicandum. In quo quum externam operis formam frontemque contemplor, equidem non invenuſtam nec indignam aſpectu video, cum libros ipſos numero, & multos & bene magnos perſpicio, cum

verba intueor & pagellas, fluuios totos & arenas tanquam pſãmacoſia vix numeranda conſpicio, quum ad res ipſas me verto, quum rationes & argumentorum vim appendo, quum verba & voces ſcripturarum vtcũque citatas, cum mente ſcripturarum non recte intellecta compono, quum finem denique & ſcopum vniuerſę diſputationis aduerto, quid hic reperiam non dico in pręſentia, nequid grauius dixiſſe videar, quàm pro modeſtia illa, cui nunc ſeruio.

Et tamen veritatis cauſa cui plus debeo, ne dicam nihil, quoniam neceſſariò dicendum ſit aliquid, dicam, ſed paucis. Si quiſquam alius hos de iuſtitia libros in vulgus effudiſſet, pręter Hieronimum Oſorium, dicerem illi apertè atque in os: Peſtem publicę Chriſtiànorum ſaluti, labem religioni grauiorem, maiorem D. Paulo, ſcripturis & Prophetis iniuriam inferre neminem vnquam potuiſſe, quàm his libris oſtenditur. Sed reprimo me, tua cauſa, hæc ad te ſcribens, Hieronyme, ne quas mihi conſtitui modeſtię metas tranſiliam. Quid igitur, an deſerenda idcirco veritatis cauſa? ne ipſe quidem, opinor á me poſtulabis. Quamobrem vt officium, quoad liceat vtrinq; tuear, hanc quam vides conſilij viam, quãque neceſſitas impoſuit, arripui, qua & te minus offenderem, ſimulque cauſę plus fortaſſis prodeſſem.

Seruata modeſtia.

Itaque quum neceſſariò tuis hic conatibus occurrendum iudicarem, ita commodiſſimum mihi

mihi visum est, non vt ipse in isto volumine ad singulas rationum tuarum minutias, ordiné, quẽ tu tumultuaria confusione, in ijs decem libris, nullum seruas, respondeam, sed carptim præcipua quæq; attingam, atque refellam, simulque quo res plus haberet autoritatis ad fidem, minusque causam læderet ex offensione, incessit animum haud leuis quædam incitatio, vt cõciũculã grauem quidem illam, & eruditam cuiusdam hic apud nos & docti & celebris theologi, quam is sua lingua nostris hominibus euulgauit, ipse latinis donatam literis, tibi tuisque ad perlegendum communicarem. Quæ si quo animo à me profecta tibique destinata sit, eodem abs te candore accipiatur, fieri potest vt enascatur aliquid non pœnitendę frugis. Cum enim multa hinc perdiscas, quæ ad veram Theologię rationẽ conducunt non parum: tum illud imprimis te docebit D. Paulus, quid quantumque interſit discriminis inter legem & Euangelium: quæ vtriusq; vis, finis & scopus, quæ munera & officia exist ãt: quid libertas, quid seruitus sit, quid fides, quid gratia efficiat: quæ veræ iustitiæ nostræ origo, quæ perfectio sit: quid fides illa in Euãgelio esse dicatur, quæ salutẽ ferat, quæ nos in possessione iustitiæ collocat: promissio quomodo gratuita, quæ quantaque eius amplitudo, quibus conditionibus circumscripta, ad quos pertineat, quos excludat: Deniq; in quo consistat omnis nostra iustitia & gloriatio apud Deum, vtrum factis solum,

Concio ex D. Paulo de duobus Abrahæ filiis, Galat. 4.

In doctrina iustificationis, quæ obseruanda.

lum, an fide pariter accedente? vtrum fide sola, an admiscentibus se operibus.

¶ IN DOCTRINA IVSTIFICATIONIS QUAM FACILIS SIT ERROR.

Hæc, & quæ sunt his finitima alia, quum præcipua & primaria omnis Christianæ institutionis capita contineant, tum maximé perspiciendum est theologis, nequid in his erretur. Quod nisi fiat, grauissima sequetur luxatis velut fundamentis omnium fere rerum ruina & perturbatio. Et tamẽ nescio quo modo fit, vt nusquam ferè erretur facilius. Neque mirum adeo. Ita enim fit, vt natura hæc animalis, & humana ratio, tum cum maximè in consilia adhibetur, in rebus Dei cæcutiat quàm maximé, nihilque videat, nisi diuinæ cognitionis inducto meliore lumine collustrata. Afflatu enim constat, non humano captu diuinarũ rerũ cõprehẽsio. Neq; verò, si lex, & quæ legis sunt, adnata aliquo modo naturæ nostrę adhæreant: eadẽ facilitate Euãgelicę doctrinæ mysteria naturę viribus percipiuntur: cum longe diuersa sit vtriusq; ratio. Tum verò permultos videas, qui naturã ducẽ & magistrã plus nimio sequentes, de ijs quæ Euangelij propria sunt, non aliter fere statuunt ac disputant, quam si philosophus de naturę principijs, autὸ ἡ θεος de virtutum perfectione ediſſerat, in qua summum bonum suum constituant, aut si Pharisęus in cathedra Mosis sedens

Humana ratio gratuitæ iustificationis doctrinam non capit.

fedens de legis iuſtitia diſceptaret.

Sed de aliis alius erit (ſi liceat) agendi locus. De te interim Oſori, vt dicam ingenuè nõ nihil, quo amplioribus naturę muneribus diuina te benignitas excultũ & exaggeratum expoliuit, hoc mihi dolet impẽſius, te in iſtã erroris cęcitatẽ cũ aliis tranſuerſũ abripi, vt cũ tam multa de iuſtitia philoſophando nos doceas, haud quicquã tamẽ doceas quod ad rem magnopere faciat, nihil quod ad ſalutẽ õnino cõferat, imo quod officiat plurimũ. Quæ enĩ te quęſo conſtabit ſalutis ſperãdę facultas, ſi tu ſecluſa miſericordia, ad iuſtitiã ſolã nos mittas, eãq; vnicã eſſe viam velis quę ad cœlũ nos tranſmittat. Eo enim tẽdit vniuerſa tuę theologię inſtitutio. Vbi videlicet de ſpe remedij orationẽ inſtituẽs, nullã aſtruis aliam eſſe rationem, *præter vnam illã, quæ ſit diuinæ ſimilitudinis & coniunctionis, vnamq; hanc beata vitæ viam, quæ tota ſit in iuſtitia conſtituta, quam qui teneãt, eos affirmas diuinis opibus et ſempiterna gloria florere.* Quaſi verò ſi quis ab his Iuſtitię veſtigiis paululum deflectat, nulla ei reliqua ſpes ſit futura. Quo quid dici aut fingi potuit Euangelio repugnantius? Quin & alibi rurſus, diuerſis licet verbis, hoc ipſum recinens: *quo modo ſaluus, inquis? Nunquid alia eſt ad ſalutem via munita, quã diuina lege cõtinetur? Nulla prorſus. &c.* Alioq; iterũ libro, quẽadmodũ in libris omnibus de legis operibus diſceptans, *his parari iuſtitiam, his tanquam gradibus in cælum aſcendi, his aterna*

Oſor de iuſtit. li. I. pa. 3.

Lib. 10. de iuſtit. pag. 232.

Lib. 2. pag. 44.

aterna præmia conſtitui, hancq; vnicã nobis in Cælo viam patere contẽdis, quæ præclaris operibus cõſtrata eſt. &c. Accedit his, quod plenioribus adhuc buccis inclamitas : *Quocirca, inquis, plenioreore aſſeuerandum eſt, maximarum virtutum meritis aſcenſum in cælum dari, ſempiternique regni ſedes eſſe iuſtè atq; meritò ſanctis & caſtis hominibus attributas. &c.*

Lib. 6. pa. 148.

Longum foret, multoque moleſtius, è ſingulis libris ſingula corradere mira illa pluſquam paradoxa tua, quibus omne ſalutis noſtræ præſidium, non alia in re contendere videris, quam in cultu ſtudioq; iuſtitiæ conſtituendum : quam ſi tam ipſe factis rebuſque ipſis præſtare poſſis, quã verbis exaggeras magnificé, nihil te beatius, nihil cælo dignius ducerem . Sed age, vt interim ponamus, quod velle te tantopere video, non aliter, quàm iuſtitię nomine cælum deberi perfectis ſolum hominibus, nec alia via ad beatas illas ſedes perueniri, niſi quæ puriſſimis bonorum veſtigijs teritur, perfectaque operum integritate cõſtrata ſit : Neque enim hi ſumus, qui meritas iuſtitiæ laudes conuellimus, nec præmia detrahimus. Sit ita ſanè. At vbi tandem nos iuſtitiam hãc reperiemus ? Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) ὁ δικαιοπολίτης hic tuus habitabit, qui ad idæam hanc perfectæ virtutis à te propoſitam ita curſum vitæ inſtituet, vt nuſquam impingat, qui vniuerſæ nequitiæ interitum adferat, qui linguæ maledicentiam cohibeat, ambitioſæ

Omnes peccatores ac deſtituti gloria Dei.

tioſæ mẽtis elationem, inſolentiam, amentiam, præcipitis animi temeritatẽ comprimat, qui carnem cum ſuis cupiditatibus omnino configat, qui nefarias cupiditates elidens aſsiduæ mortis commentatione, ſeſe ab omni impuritate & flagitio ad Chriſti ſimilitudinem traducat, qui animum à corporis contagio ſeuocatum, ad Chriſti imitationem totum conferat, Chriſti humilitatẽ, manſuetudinem, illius beneficentiam et benignitatem, illius excellentem in omni genere ſanctitatem exprimat, qui denique omnes animi labes, turpitudinis & impuritatis fibras omnes excindat. Hęc inquã cæteraque veræ pietatis munera omnia qui præſtet, ſicque præſtet, vt nihil in vita redundans, nihil in officiis inæquale, in moribus nihil diminutum videatur, vbi demum vir iſte reperietur? In libris opinor Oſorianis inueniri poterit. In vita certè, in quotidianis confeſsionibus, in ſacris abſolutionibus Oſorij non poterit: fuerat olim, fateor, perfectiſſimæ huius iuſtitię imago in terris aliquando cõſpecta & cognita. At phœnix iſta relictis terris iamdudũ hinc in cœlum auolauit, iamq; ad dexteram maieſtatis conſidet, omnia trahens ad ſeipſum. Atque vtinam Oſorium ad ſe trahat aliquando. Quod ſi verò proſpiciens de cœlo dominus ipſe ſuper filios hominum, ſtudia eorum omnia corrupta ac deprauata in pſalmo prophetico deprehendiſſe affirmatur: ſi myſticus ac regius ἰσοθ. ἀλτὴς ſua fretus iuſtitia, iudicium inire cũ deo

Idæa Oſorianæ iuſtitiæ in libris Oſorii, facilius poteſt, quam in moribus ipſius inueniri.

Vnus ſolus ſanctus filius Dei.

Pſal. 14.

deo suo, ait sistere se cognitioni nō sit ausus, cęteroſq; mortales ad vnum omnes cōdemnat iniustitiæ: Idem si paulus ad Romanos scribens grauissima disceptatione cōfirmet, oraq; omniū obstruat, quo mentes hominum ab inani operum confidentia auocatas atque conuictas, ad opē solum filij dei, quæ in fide illius sit posita, traducat: Si Ioannes Apostolus: si grauissimus denique ille iustitiæ humanæ præco ac vindex inficiari nec ipse valuit, quin πολλάκις μὲν πταίομεν ἅπαντες quæso te, Osori, Tune post istos exurges non octauus, sed nonus nunc iustitiæ prędo homo mortalis & peccator, qui quod præstare ipse nequeas, id alijs affirmare sis ausus, in hunc modum: *aut iustitiam esse, quæ nos deo conciliat, gratosq; illi ac similes efficiat, aut nihil esse?*

Rom.3.

1.Ioan.1.

Iacob.3.

Osor.li.5.pa.121.

Quid ego audio? an nihil est, te obsecro, aliud? Quid ergo, nihil ne fides? nihil gratia, nihil misericordia, & promissio dei, nihil Christi merita ad salutem conferunt? vt iam nihil sit quod deo nos conciliare dicas, præter operum iustitiam? Quid? an omnem ita iustitiam in operibus statuis, vt fidei nullam esse iustitiam arbitrere?

Atqui ipse vnam eamdemq; fortasse iustitiā fidei operumq; esse putas, nulloq; discrimine interlegem dijudicas & Euāgeliū, quū lōgè aliud te doceat D. Paulus, qui pleno ore, magnoq; spiritu alterā deprecatur iustitiā, quę ex operibus existit,

Iustitiam fidei, et operum, nullo discrimine cōfundit Osorius.

existit, vt inueniatur in illo, non habens iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex deo est, iustitia in fide. An non illustrem hic cernis Antitheſin, quid sit ex lege, quid ex fide iustificari? Age & quæ Paulus tanquàm stercora longissimè à se remouebat ad salutem obtinendam, eam tu viam nobis solam sternes ad cœlum consequendum? *Phil. ca. 3.*

Aliud est ex fide, aliud ex lege iustificari.

Atq; hæc interim perinde tecum ago de operibus disputans, ac si vis vlla tãtarum virtutum in hac vita constaret, quæ non modo iustitiæ præmium, sed nomen etiam queat promereri. Nũc quid dices, si vel sanctissima ipsa studia ac molimina, quoçũq; modo à perfectissimis etiam hominibus suscepta, in vitiata hac natura, adeò nullã præbeãt vtilitatẽ ad vitæ immortalitatẽ, vt pro inutilibus à Christo reijciantur, imò vt sordeant etiam planeq; frigeant apud Deum, instar panniculi sanguine sorditati, teste Esaia propheta, ni meliore gratia, fideique commendatione suffulciantur? Quòd si apud Esaiam prophetam, omnes nos tanquam Oues errasse vnusquisque in viam suam dicimur, rectèque dicimur, à quibus nec seipsum eximit tantus Propheta: quid de virtutibus & iustitia nostra æstimandum censeas? At dices, querelam hanc propheticam, non promiscuè ad vniuersos pertinere, at Iudæos duntaxat eos attingere, qui illis tum temporibus officium nefariè deseruerunt. Quin eadem ratione affirmes, non omnes om-

perfectissimorum etiam hominum nulla sunt tam sancta studia, quæ non laborant sua aliqua imperfectione apud deum

Facti sumus vt immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Esai. 64.

Omnes nos tanquam oues errauimus, &c. Esai. 53.

Friuola Osorii cauillatio.

omnium hominum & temporũ languores morte Christi sanatos esse, sed eorum tantum, qui ijs tum temporibus, tanquam oues extra viam abijssent. Verum hoc nugamentum quàm sit friuolum, ex ipso contextu vaticinij prophetici abũdè conuincitur.

Ex quo vides (Osori) sanctissimis edoctus testimoniis, quid maximarum virtutum nostrarum meritis istis, si per se spectentur, tribuendum sit: quantumque á perfectione iustitiæ illius, quam pulcherrimis coloribus tua adeo vestit philologia, nostra absit imperfectio. Quod tamen neq; ita à me dictũ, neq; abs te acceptum velim, ac si nihil ij, qui cum virtute viuant, recte & cũ laude gerant in hac vita: aut quasi non Deo sint grata Sanctorum pia opera, quæ Deus ipse gerenda præcipiat. Id enim nemo inficiatur. Sed eadem opera quo modo bona dicantur, & cur grata sint, causam ipse minime satis explicas, aut perperã certè explicas. Sic enim de operibus philosopharis, prouenire non absque fide quidem illa, gratiaque diuina, at ita tamen, ut quum proueniant, ijsdem salutis sempiternæ regnum non tanquam mercedem solum & præmium, sed etiam ut legitimum patrimonium optimo iure deberi affirmes. Quasi verò promissio salutis non ex fide Euangelica, sed ex iustitia legis, non ex Christi solum meritis, nisi adnexa simul operum pactione pendeat: aut quasi fides ipsa ad vitam obtinendam nihil conferat aliud, nisi vt gratiam solum

ἀμβὐποφοϱὰ

Opera cur bona dicantur, non satis explicant pontificii.

Opera bona quid efficiant, apud papistas.

lum conciliet, quæ nos excitet ad præclara operum studia, quibus demum operibus ad vitã proficiamus æternam.

¶ FIDES IVSTIFICAT NON aliter, nisi ratione bonorum operum, iuxta Osorium.

NAm ita apertè habent verba tua, vbi de fide pertractans quærensque, quur ea nos seruari dicamur, causam mox attexis: *Quia verò, inquis, præsidium diuinum fide tantum consequimur, atque ita facillimè legis præcepta obseruamus & institutis diuinis obtemperamus.* Lib. 9. pa. 233. Osorii inductio qualis.

Rursusque in eandem cõcludens sententiam. *Nemo vnquam mentis & rationis compos salutẽ consequetur, nisi legem seruauerit, aut certe quod idem valet ad eam seruandam animo promptus atq; paratus extiterit.* Lib. 9. pa. 232.

Atq; ibidem iterum: de salute Christianorum disserens, *Quomodo saluus rogas? Nunquid alia est ad salutem via munita, quàm quæ diuina lege continetur? nulla prorsus.* Lib. 9. pag. 232.

Habemus itaque miseri mortales viam ad immortale regnum munitam, & commonstratam, eamque te ductore & magistro, Osori, facillimã. Quippe quæ diuina lege continetur: ita vt præter hanc, nulla omnino existat alia, neque in Euãgelio, nec scriptis Apostolicis ratio patefacta, qua ad cœlestis immortalitatis patriam proue-

Qua via ad cælum tenditur iuxta Osorium.

hamur, nisi quę lege solum diuina describatur. Sed age, vt obtineas hæc quæ dicis, tametsi per se per-absurda sint planeque Iudaica, libeat tamen assentiri aut fingere saltem viam hanc, quã monstras, & vnam & firmissimè munitam, simulque eandem facillimam esse, neq; vllã præterea aliam rationem suppetere, qua ad cœlum contendamus, nisi quę discriptione solũ diuinæ legis proponatur: vt hoc inquam, concedamus, at interim illud me doceas facito: quî scias tandem tantum te præstare bonorum operũ, quantũ ad exquisitam legis obedientiam sit satis. Adamus olim primus generis nostri autor, vnũ duntaxat accepit mandatũ, & succubuit, in Paradiso etiam, adeoq; in amplissimo innocentiæ gradu constitutus. Quid? & tu nunc miser mortalis extra paradisum extorris, tanta circundatus carnis infirmitate, accepta diuina lege, in qua tot tãtaq; imponuntur exequenda, sicq; imponũtur vt maledictione teneatur, quisquis non cõstantissimè perstiterit in omnibus, tã firmo consistis gradu, vt nulla vsquàm tentationis te tempestas deijciat? At quid si cæteris omnibus ad amussim seruatis dei mãdatis, vel vnicus contingat apiculus legis à te prętermissus? quid dicet hic nobis tua iustitia? An non vides, lata legis sententia tã te teneri crimine, quàm si omnis iustitiæ sis reus? Et tamẽ nullam tu viam nobis crepas aliam ad vitæ regnum, nisi quæ legis diuinæ ministerio & charitatis exercitatione definiatur.

Adamus.

Age,

Age,& qui istud edocebis? quibus scripturis, quibus magistris id certò nobis constabit, quod asseris? Ex Paulo, opinor. Quid igitur ille? *Nempe, hæc est Pauli mens & sententia, inquis, vt in sola Dei gratia, quæ fide comparanda est, omnem rationem elidendæ & comprimendæ cupiditatis sitam esse constituat: nullamq; aliam viam illius extinguendæ atq; delendæ esse doceat. Rursusque alibi. Nunquam Paulus is fuit, qui benignitatis officia parum ad salutem vtilia improbaret, sed qui doceret, eã solũ esse rectam ad cœlũ viã, quæ assidua charitatis exercitatione muniretur. &c.*

De Iustit. lib. 4. pa. 90.

Lib. 3. pa. 68.

Recta ad cœlum via charitatis exercitatione constat iuxta Osi. Responsio ad Allegata.

Scio equidem,& fateor ex sola dei gratia proficisci quicquid rectè,& cum laude à nobis geritur siue in resecandis vitiorum illecebris, siue in excolenda virtutis disciplina. Quin neq; illud negandum, quod ex Pauli mente recte assumis, gratiam hanc fide nobis diuinitus obtineri. Præterea neque illud malè, quod de Paulo adiungis, nunquam fuisse eum, qui improbaret pia exercendæ charitatis studia, quippe qui eadem etiam ipsa mirificis præconijs vbique exornarit. Quis enim ignorat præclaras Pauli conciones plenissimas esse grauissimis præceptis & institutis vitæ moderãdę, nec ferè vlla in re vehemẽtiores, quã in hoc, vt omnes vbiq; nominis Christiani cultores, cũ sincera fidei professione parẽ cõiũgãt vitę sanctimoniã πρὸς τὰς ἀναγκαίας χρείας

Paulus charitatis prædicator maximus.

Sit hoc sane, ita vt est, verissimum: at nunquã ea mens fuit Apostoli, vt summam salutis nostræ

in lege constituerit, vt regnum Dei, eiusque iustitiam præclaris factis nostris, & charitate metiendam existimaret, vt operum nostrorum mercimoniis, seu auctione quadam, cœlum nobis tributarium aut venale proponeret. Imo longe diuersa ratione mihi quidem Paulinas legenti literas, hic vnus videtur scopus mentis Apostolicæ, vt iustitiam hanc, quam tu legi tribuis, ipse in fidem transferat vniuersam, sicque transferat, vt prorsus secluso omnium operum admixtu, solã relinquat fidem in filio dei, quæ viam nobis in cœli regnum patefaciat. Quæso enim, qui fide nos iustificari affirmat absque operibus, Rursusque vbi ait, Nunc autẽ sine lege iustitia dei ma-

Non charitas, sed fides viam ad cœli regnum patefacit.

Rom. 3.4.

« nifestata est, testificata per legem & prophetas? « quibus verbis illustrius secludere potuit omni- « um virtutum nostrarũ studia ac merita à diuino « hoc iustificandi munere?

Duplex Iustitiæ ratio, legis et Euangelii, seu fidei.

His ita constitutis, ac grauissima Pauli autoritate conclusis, necessariò proinde consequitur duplex, vt dixi, distinguenda iustitiæ ratio, pro diuersa vtriusque fœderis conditione, quarum altera ad legem pertineat, altera sit Christi propria. Habet igitur vterq; καὶ ὁ νόμος, καὶ ὁ χριστὸς suam iustitiam, vt enim lex, quæ tota in operibus iustitiæ versatur, nullam perfert iniustitiam, fructusque iustitiæ cumulatè reddit iis, qui perseuerantes in bono cunctas perfectæ innocẽtiæ partes compleuerint: itidem & Christus iustitiam habet suam, multo tum potentiorẽ, tum non

non Paulò etiam ab altera diuersam: etsi non ita diuersam, quoad rei subiectę materiam, at dispensandi tamen ratione multò diuersissimam. Lex etenim non nisi operantibus, Christus vel credentibus etiam iustitiam perfectam, sæpe etiam indignis ac immerentibus, singulari quadã dispensationis gratia dilargitur. Ideoque Iustitia hæc fidei propriè appellatur, quę necessariò nobis ab altera illa, quæ legis Iustitia dicitur, distinguenda est. Quod qui nõ faciunt, magnam profecto scripturis iniuriam inferunt, omnem doctrinæ lucem extinguunt, mira quadam perturbatione & suas confundentes conscientias, & auditorum, ita vt quid vel sperandum, vel metuendum sit, vix cuiquam certum constare poterit. Si quidem qui de legis iustitia sic disputant, ad eamque vnam ita omnia pertrahant, acsi nulla supersit alia sperandę salutis ratio, nisi quã legis stricta illa, & seuera adfert obseruatio: quæso quid isti aliud, quã in dubia fluctuatione animas hominũ relinquunt? ijdemque qua nos ratione bene sperare iubẽt, eadem simul & timere, prorsusque de salute desperare cogunt: Quum nemo sit mortalium, cui non multo plus causæ ad timendũ quotidianæ in vita offensiones, quàm virtutes ad confidendum sint allaturæ.

Iusticia fidei.

Legalis et Euangelicæ iustitiæ necessario distinctio.

Et quid igitur perplexis hominum conscientijs restabit remedij, si submota ex oculis iustitia Christi, nihil præter legis iustitiam relinquas ad spem solatij? aut qua tandem consolatione ani-

mos eriges lapso & laboranti peccatori, quum lex quid cuique rectè agendum sit commonstrare soler, quod perperam perpetratum sit, nemini condonare possit? Annō hic relicta legis iustitia, protinus ad Christi iustitiam necessariò prouocare cogeris? Atque istud opinor minime negabis, verum, inquis, quum iustitia hæc Christi, non alia sit, quàm quæ legis iustitia existat, ipsaque adeò legis perfectio, non duplicem proinde, sed vnam duntaxat & Christi, & legis iustitiam statuamus oportet. Verum huic argutiæ haud difficile labore occurritur. Fatendum quidem, si res per se ipsas consideres, alteramque cum altera mutua relatione conferas, haud quicquā videri discriminis inter Christi iustitiam & legis. Quum nihil sit in lege tam sanctum & perfectum, quod non æquè in Christi vita eluceat. Cæterum si vim modumque operandi, quem in alijs exercet Christi legisque iustitia, si effectionem finemque vtriusque expendas, permultum interest. Quamuis enim nō aliter Christus per se iustus existat, quam lex ipsa sancta sit & iusta: multo tamen aliter in nobis agit hæc quæ Christi, quam illa quæ legis iustitia dicitur, ita vt nihil dissimiliùs, nihil pugnantiùs videatur.

Legis officium.

Iustitia legis et Christi quomodo vna, et non vna sit.

¶ DIS-

¶DISCRIMEN INTER INSTITIAM LEGIS & EVANGELIJ.

PRimum quod ad legem attinet, quę eius natura sit vis & facultas, nemini in compertum est, quippe quę per se sancta & perfecta sit regula, atque magistra vitę instituendę, in hoc à sanctissimo numine comparata, vt quid fugiendum, quid expetendum sit, creaturis constaret. Atque vt ipsam normam omnis perfectionis vndique absolutam in se continet, ita obedientiam omnibus modis ac numeris perfectam exigit: hac lege & conditione, vt qui fecerit ea, viuat in eis. Contrà qui secus fecerit, quiq; non permanserit in omnibus, lex eum maledicto percellit, mortis infligit vindictam, iram ac indignationem accumulat. Per legem siquidem manifesta fit ira dei de cœlo meritò accensa aduersus omnes homines quocunque modo impios & iniustos. Vis et operatio legis.

Quo fit, vt lex quidem ipsa sancta & bona non in hoc data sit, vt perniciem, sed salutem inferat, at eadē tamē impedita carnis nostræ infirmitate occidere nos potest, seruare ipsa per se nulla ratione potest, nulla sua culpa aut tyrānide, sed occasione accepta ex carnis nostræ refractaria rebellione, quę vt Deo inimica natura est,

ita sacræ ipsius voluntati diuinisque institutis nō repugnare non poterit. Hincque illæ erumpunt tot tantæque in peccatricem hanc naturam nostram intentę calamitates, hinc tot diuinę indignationis & iræ argumenta, hinc denique tetra illa & ineuitabilis moriendi necessitas, quæ cū per omnes ætates ac genera promiscué grassatur, quam nec quisquam sanctissimorum etiam hominum potuit à se vnquam excutere, satis profecto vel ea res vna omnes nos coarguit reos iniustitiæ teneri, nec vllam esse in iustissimis etiam operibus nostris iustitiæ perfectionem. Etenim si peccati stipendium sit mors, fieri certé non potest, vbi nulla cernitur iniustitia, vitæ illic vt vlla existat extinctio. Quid igitur, si lex te, Osori, cum operibus omnibus in vita hac tueri à morte nequeat, an post mortem eadem te seruabit, vitæq; extinctum restituet?

Lex quatenus extra Christum consideratur quid efficit.

¶ De Iustitia Euangelica.

Atque hæc hactenus de legis iustitia, quatenus extra Christum consideratur, à nobis exposita sunt. Nunc ad Christum vicissim oculos referamus, eiusque iustitia quid in nobis extra legem efficiat, excutiamus. Atque hic primum aperit se nobis mirifica atque illustriss. inter legē & Christum discrepantia. Nam quum lex, vt dictum est, pro iustitiæ suæ rigore vitam nullā tribuere

Inter legem et Christum discrepantia.

buere possit, nisi perfectis solum hominibus: eò fit, vt quia nihil in nobis perfectum reperiat, ipsa proinde impedita carnis nostræ infirmitate, nullam opem præstare, nihil in nobis nisi iram operari queat. Repulsi itaque à lege operumq; præsidio destituti, aliũ salutis patronũ, quisquis is sit, qui recreare nos possit requiramus oportet: Eũ verò non alium esse, quàm Christum dei filium vnicum nemo est qui addubitet: quem omnes pariter per omnes Ecclesias profitemur. De Autore igitur salutis nulla relinquitur inter nos, & aduersarios controuersia. Supereſt tamen altera quæstionis hic ambiguitas, nondum satis fortasse ab omnibus theologis dissoluta. Etenim quum nemo sit quin fateatur, summã in Christo vigere iustitiam: iamque ante ex lege audiuimus, nullã esse iustitiæ societatem cum iniustitia, subit hic nonnulla difficultas, quî fiat, vt Christus dominus, cuius omnia iustissima sint iuditia, contra iustitiam, ijs qui deserto officio, in iniustitiam sese abduxerint, fauere aut possit aut debeat? Nam si diuina lex ex iustitiæ ratione eos, qui scelere se alligarunt, non condemnare non possit, quęrat forsan aliquis, qua tum ratione Christus, qui nihil agat non iustissimé, salutem ijs præstare incolumi iustitia queat, quos merito condemnat lex iustitiæ: aut si id faciat, quo modo, qua causa, qua ratione id faciat, fide nè an operibus? si fide, solanè fide, an iunctis simul operum adminiculis? si ratione operum, vtrum ante opera, an post opera, an

Christus aduersus legis aculeos vnicum antidotum.

Quæstio qua iustitia Christus iniustos liberare possit.

Christi beneficia quo modo ac ratione ad nos deriuantur.

an in ipsis operibus? sin fide sola sine operibus,
Triplex quæstio. hinc triplex emergit quæstio. 1. quid igitur præstant bona opera? 2. quæ fides illa, qualisque sit, quæ iustificare dicitur? 3. quosnam iustificet hæc fides? aut enim peccatores esse aut iustos oportet: Si peccatores, aut pœnitentes hi sunt, aut contumaces. Vtrumque dixeris, contra iustitiam dixeris: quæ rectè dici iustitia non poterit, nisi secundum sua cuiusque facta & merita rependat. Sin iusti sint & non peccatores, quos subleuat Christus: At quid iustis redemptore opus? quid sanis cum medico? Deinde qui tum constabit fidelis ille Pauli sermo: quo Christus homo factus, venisse in mundum dicitur, non iustos sed peccatores seruandi gratia.

1. Tim. 1. Quæso nunc te, vir ingenuè, pro tua modestia, vt modestissimè tecum agam: si quis in hũc modum tecum agat, de doctrina iustificationis tecum disputans, quid ei hæc abs te interroganti respondeas? si te adeat huiusmodi forte aliquis qui toto consternatus animo, peccatorum mole perculsus, horrore conscientiæ depressus, metuque diuini iudicij ad desperationem prope exanimatus, opem abs te consilij ac solatij expetat cuiusmodi nõ pauca passim exempla, intra caulas gregis dominici reperiũtur, quodnã ei porriges remedij pharmacum? Mittes forsan eum ad tuos istos iustitiæ libros. Age, & quid illic reperiet, quo mens ægra & collapsa respiret, atque ad se redeat? Quid ad legẽne? At quid hinc iste hauriet

hauriet medendis vulneribus accommodũ? præsertim quum lex illa iustitiæ reos nos agere non seruatæ legis, velutque ex syngrapha obstrictos tenere, sertè iustitiam semel amissam restituere iudicique satisfacere nullo modo poterit.

In rebus deploratis solus Christus iuuare potest

Superest igitur vt à lege, in qua nulla affulget præsidij spes, miseram peccatoris animulam ad Christum traducas: quando is solus sit, cuius vnius vulneribus & liuore sanati sumus, quique omnes omnium impietates in se nostras transtulit, vt suam nobis conferret iustitiam: verissimum id quidem est: eoque nomine meritò te tuosque laudandos censeo, qui etsi genuinum Christi officiũ, diuinamque eius in procuranda salute nostra amplitudinem, vix satis habere perspectã videamini, at nomen illius, & externum quendã fidei cultum profiteri haud recusetis. Verũ quia cum perturbatis hominibus, in præsentia res est, quibus satis non sit nomen tantum Seruatoris retinere, nisi & vim mortis pro nobis profusę, seruandique potestatem qua præditus est, nisi amplissima erga nos beneficia, summumque beneuolentiæ studium, nisi immensas denique opes nobis in illo promissas recte teneamus. Vlterius proindè progrediendum est, consulendumque, quo ad licet collapsis piorum mentibus: quo sciant credãtq; non modo vitã in Christo æternã esse, ac stabilem, sed viam etiam, modum ac rationem, qua eadem ad ipsos perueniat, ad quos pertineat

Christi nomen solum tenere non est satis nisi magnitudinem etiam officii, et seruandi potestatem addiscamus.

pertineat, quid nobis in ea comparanda sequendum sit, edoceantur.

¶ FIDEI VIS ET EFFICACIA, quæ sit, quos & quo modo iustificet.

Rom. 3.

QVa in re magna exiſtit inter theologos ſententiarum atquè opinionum euariatio. Siquidem vbi teſtatiſſima voce annuntiat Paulus, fide hominem iuſtificari ſine operibus legis, iſti addititiis ſuis commentis clariſſimam Apoſtoli mentem non explicant, ſed obſcurant non exponunt, ſed eludũt, ita vt vocem fidei alii quidẽ accipiant, non vt paulus, pro ea ſolũ fide quæ eſt in Chriſto Ieſu, ſed quæ ſit charitate & operibus formata. Alii quod Paulus de fide dicit ſine operibus, de operibus interpretãtur ceremonialibus. Quidã verò de operibus legis, hoc ſenſu, vt opera illa nõ ex fide, ſed ex legis imperio, ſoloq; libero hominis arbitrio, ſine gratia ſuſcipiantur. Alij aliter exponunt abſque operibus antecedẽtibus tantum: Nonnulli intelligendum putant de prima ſolum iuſtificatione, quam illi in baptizatis paruulis fidei tãtum, ſecundam vero in adultis fidei quidem, at non ſine operibus tribuunt. Quæ omnia eò tendunt τὰ φιλοσοφήματα vt fides operibus exculta ita demũ efficiat aliquid, contra ſine operum admixtu, ceu rudis quædam materia, expers vitæ & formæ, ad parandam iuſtitiam

De fide iuſtificante varia papiſtarum interpretatio

Roſſenſ. contra Luth. Articul. 31.

stitiam non modo inutilis, sed mortua quædam res ac pernicioſa videatur. Quod ſi verum ſit, ſcire hoc ab iſtis, tum maximè à teipſo percontari velim Oſori, in qua tandem repub. qua in eccleſia, in cuius regno nouum hoc theologię numiſma cuditis? Si Chriſti eccleſia ſit, non veſtra, ſi illius exiſtat regnum, in quo nihil aliud quàm adminiſtri ſitis. Quid? annō Chriſto iam permittetur in legitima ipſius repub. libera res ſuas adminiſtrandi poteſtas, vt velit? Atque vnde hæc tanta vobis audatia, in alieno imperio, in eccleſia, quam ipſi nunquam fundaſtis principis veſtri ſanctiones ac inſtituta, recte ab ipſo poſita, præter ius & fas inuertendi atque immutādi pro libidine veſtra? Aut qua tādē autoritate obſiſtitis, quin in ſua cuique liceat poſſeſſione agere pro ſuo iure ac libero imperio? Quid ſi ita Chriſto viſum eſt regni ſui gloriam gratis impartiri quibus velit, vosnè prohibebitis? Quid ſi poſtrema diei hora in opus ſubeūtibus, integrā perſoluere mercedem, cunctoſque exæquare pari pactionis ſtipendio clementiſſimus voluerit Dominus, an ideo oculus veſter nequàm erit, quòd ipſe ſit bonus?

Nunc verò princeps & autor eccleſiæ ſuæ Dominus ipſe apertiſſimis profitetur verbis, Datum iri vitam æternam iis, qui credūt in nomine eius. Quid ad ſignificandum apertiùs, aut ad intelligendum ſimplicius dici poteſt? Qui credit, inquit, in me habet vitam æternam. Rurſuſque iis- *Iohn. 6.*

dem

Ioan.3. *Ioan.11.*

dem verbis idem ingeminans. Qui credit in filium habet vitam æternam: & capit. 11, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet. Atque ne quis sine patris consensione hęc de se testificari videatur, subinfert. Hęc est, inquiens, voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitã æternã. Qui nec minus eadẽ hęc quę verbis enuntiat, rebus ipsis, additisq; insuper miraculis multò illustrissimè confirmat. Quãta enim vbique per omnes Euãgelistas eorum occurrit turba, quos nulla re alia saluos vides & sanatos, nisi fide sola, quę in Christum incẽdebatur. Quoties ex ore domini audimus in Euangelio: fides tua te saluum fecit, nulla operum audita mentione? Et quod fidei præstitit Christus, id operibus tribuet Osorius? laborantes & peccato pressas conscientias ad se inuitat Christus: Esaias sitientes omnes etiam absque pretio aut vlla commutatione ad fontes Christi vocat vt reficiantur. Osorius non nisi iustis hominibus, præclarisque factis regnum addicet diuinę promissionis? Quęso te, pro tua iustitia vir celeberrime, quid secum attulit præclari facinoris peccatrix illa Euangelia, è qua excussa sunt demonia septem? Quid in dextro illo latrone eminuit iustitię, præter fidem solam, cur post tot patrata flagitia comes eodem die cum Christo in paradisum congrederetur? Quid Chananęa mulier alienigena aliud Christo attulit, præter importunum fidei

Exemplis fides sola in Christum iustificare estenditur.

Math.11. *Esaiæ.ca.55.*

Ab exemplis probatio.

dei clamorem, vt non micas sed integros panes diuinæ gratiæ domum referret? Quid misera hæmorhoissa, quid Iairus Synagogæ præfectus, quid Zachæus, quid Mathæus, cæterique cum iis publicani commeruere, quur posthabitis phariſæis, tantò vt videbantur iuſtioribus, iſti tam obuium atque expoſitum gratuiti fauoris beneficium conſequerentur? poſſet eodem modo per alios infinitæ fere multitudinis conſimiles deduci oratio, in quibus præter ſolam duntaxat fidem, nihil omninò dignum tanta diuinæ gratiæ amplitudine reperies? Cæcus clamauit Bartimæus, clamauerunt Leproſi, Ieſu præceptor fili Dauid miſerere noſtri, & exauditi ſunt. Clamet & Oſorius, Clamemus item omnes conſimili fidei ſtrepitu, conſimiliter exaudiemur. Nihil enim fide vocaliùs, nihil ad impetrandum efficaciùs: fidem dico illam, quæ eſt in Chriſto Ieſu, præter quam nullus patet ad cœlum aditus, nulla accedendi ad Deum copia, nulla impetrandi facultas conceditur. Vt igitur exaudiamur, accedamus, pulſemuſque, ſed recte, fide videlicet & nomine vnigeniti. Alioqui fruſtra clamatur apud Deum, qui peccatores non audit, ſed explodit, qui ſeruos reoſque non reſpicit, ſed reiicit, niſi aut filium aut filii nomine accedatur. Iam qua ratione exaudimur, eadem & iuſtificamur: ſemper enim diuina muneratio cũ iuſtitia congreditur.

Math.15.
Math.9.

Preces quo modo exaudiantur.

Quum

Ioan.3. *Ioan.11.*

dem verbis idem ingeminans. Qui credit in filium habet vitam æternam: & capit. 11, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet. Atque ne quis sine patris consensione hęc de se testificari videatur, subinfert. Hęc est, inquiens, voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitã æternã. Quĩ nec minus eadẽ hęc quę verbis enuntiat, rebus ipsis, additisq; insuper miraculis multò illustrissimè confirmat. Quãta enim vbique per omnes Euãgelistas eorum occurrit turba, quos nulla re alia saluos vides & sanatos, nisi fide sola, quę in Christum iptẽ debatur. Quoties ex ore domini audimus in Euangelio: fides tua te saluum fecit, nulla operum audita mentione? Et quod fidei pręstitit Christus, id operibus tribuet Osorius? laborantes & peccato pręssas conscientias ad se inuitat Christus: Esaias sitientes omnes etiam absque prętio aut vlla commutatione ad fontes Christi vocat vt reficiantur. Osorius non nisi iustis hominibus, pręclarisque factis regnum addicet diuinę promissionis? Quęso te, pro tua iustitia vir ecłębertime, quid secum attulit prędari facinoris peccatrix illa Euangelia, è qua excussa sunt demonia septem? Quid in dextro illo latrone eminuit iustitię, pręter fidem solam, cur post tot patrata flagitia comes eodem die cum Christo in paradisum gredderetur? Quid Chananęa mulier alienigena aliud Christo attulit, pręter importunum fidei

Exemplis fides sola in Christum iustificare estenditur.

Math.11. *Esaias.ca.55.*

Ab exemplis probatio.

dei clamorem, vt non micas sed integros panes diuinæ gratiæ domum referret? Quid misera hæmorhoissa, quid Iairus Synagogæ præfectus, quid Zachæus, quid Mathæus, cæterique cum iis publicani commeruere, quur posthabitis pharisæis, tantò vt videbantur iustioribus, isti tam obuium atque expositum gratuiti fauoris beneficium consequerentur? posset eodem modo per alios infinitæ fere multitudinis consimiles deduci oratio, in quibus præter solam duntaxat fidem, nihil omninò dignum tanta diuinæ gratiæ amplitudine reperies? Cæcus clamauit Bartimæus, clamauerunt Leprosi, Iesu præceptor fili Dauid miserere nostri, & exauditi sunt. Clamet & Osorius, Clamemus item omnes consimili fidei strepitu, consimilitèr exaudiemur. Nihil enim fide vocaliùs, nihil ad impetrandum efficaciùs: fidem dico illam, quæ est in Christo Iesu, præter quam nullus patet ad cœlum aditus, nulla accedendi ad Deum copia, nulla impetrandi facultas conceditur. Vt igitur exaudiamur, accedamus, pulsemusque, sed recte, fide videlicet & nomine vnigeniti. Alioqui frustra clamatur apud Deum, qui peccatores non audit, sed explodit, qui seruos reosque non respicit, sed reiicit, nisi aut filium aut filii nomine accedatur. Iam qua ratione exaudimur, eadem & iustificamur: semper enim diuina muneratio cũ iustitia congreditur.

Math.15.
Math.9.

Preces quo modo exaudiantur.

Quum

Libertas, salus, iustitia vnde petenda.

Quum igitur mortales natura omnes peccatores seruique peccati sumus, videndum proinde, quidnam id sit, quod ex seruis liberos, ex reis filios, ex peccatoribus iustos nos constituat. Nam in eo omne institutum est certamẽ, in eo omnes hæret quæstionis controuersia, haud ita difficilis ad iudicandum, si æquis iudiciis diuinæ scripturæ valere posset autoritas. Stat enim indubitata atq; æterna Euangelii testificatio, quam nemo vnquam mortalium infirmare queat, fidem ita nostram instituens. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Atque vt doceat quidnam illud sit eum recipere, mox idem explicat, his, inquit, qui credũt in nomine eius. &c. Ex quo haud obscura datur æstimandi copia, quid tandem illud sit, cui nos splendorem atque dignitatem omnem, opes, diuitias, cœli denique ac vitæ possessionem referre acceptam debeamus. Scio in præclaris quidem istis, quæ prædicas tantopere, operum bonorum officiis, in exercitatione Charitatis, cultuque iustitiæ plurimum esse momenti, simul & emolumenti: quemadmodum & legem ipsam magnam habere vim confiteor, si quis ea legitimè vtatur. Vsus autem legis in eo consistat, vt ad Christum nos ferat, illiusque gloriæ seruiat. Verum quum omnia hæc, quæcũque diuinitùs vel in lege nobis præscripta, vel in nobis inscripta sunt, in vnum simul congesseris, longè ab eo absunt, vt hominis vel facta omninò imperfecta, vel personam prorsus ex se perditam

Ioa. 1.

Vsus et scopus legis in quo consistit.

ditam ac conclamatam in integrum reſtituant, vt nos ex ſeruis liberos, ex ſatanæ mancipijs, filios dei, hæredes regni, cohæredes Chriſti, conciues beatorum, domeſticos ſummi patris conſtituant. Certè non legis munus iſtud eſt, ſed Chriſti: non id iuſtitia efficit, ſed gratia. Non ea vis operum exiſtit, ſed fidei: quæ non operibus nixa, ſed diuina ſolum promiſſione firmata, ex ſeruitute nos in libertatem, ex morte in vitam vindicat, Deo reconciliatos adoptat, filios reddit promiſſionis, adeò cum Charitate, cumque operibus non coniuncta, vt ipſam etiam charitatem, factaque vitæ omnia Deo conciliet atque iuſtificet, ſine qua nullo cœli loco illa in ſummi numinis conſpectu alioqui conſiſterent.

Charitas per fidem, non fides per Charitatem iuſtificata.

¶ FIDES QVA RATIONE & quo modo iuſtificat, lapſos peccatores.

NVnc quoniam quæ vis fidei ſit, quidque ea efficiat, demonſtraui dicendum neceſſariò eſt atque explicandum, qua ratione ac cauſa fides vim iſtam tantam ſibi ac poteſtatem iuſtificandi comparat, quo modo ſine operibus ſola iuſtificare dicatur, quos denique homines eadem iuſtificet, iuſtoſne, an impios? Si iuſtos, quid iam iuſtificatione aut fide opus, quum lex ſufficiat? Si impios, pœnitenteſne illos & conuerſos, an impœnitentes & prefractos? Si pœnitentes

Fidei qua cauſa vis tributa ſit iuſtificandi.

Christi fides iustificet, crimine absoluat, iustosque ex iniustis efficiat, quod nec ipse negare poteris: quid igitur in Lutherũ tam immodestè atque immeritò efferaris? Nunquid aliud Lutherus aut dicit aut docet? vbi is vnquam aut sceleri habenas laxat, aut sceleratis licentiam promittit, aut alitèr iustificationem prædicat, nisi iis qui per resipiscentiam reducti ad meliorem frugem ad Christum anhelant, eique se fide adiungunt? Quid? an tu istis spem veniæ omnem intercludes? Non opinor. Age, & quod igitur remedium ostendes? ad fidẽ Christi nos mittes, an ad legis sententiam, quæ vulneribus medeatur? Quod si lex nihil hic præstat auxilij, nec vlla res in homine alia existat, quæ violatæ semel iustitiæ opem porrigat, præter fidem solam in Christo positam, quod nec ipse diffiteri queas: Sique hæc ipsa fides nullis sit salutifera, nisi deplorantibus admissa scelera, quod vna tecum affirmat Lutherus, quorsum clamores isti in Lutherum tam Tragici, nullaque causa excitati? *Quid igitur nos decipis Luthere? Cum enim lachrimas pias damnares, sapientemque mœstitiam maledictis conscinderes, & omnia opera non inutilia modò sed pestifera esse contenderes,* Moxque eodem adhuc cothurno pergens atque incrudescens vehementiùs, *Cum enim, inquis, tantum in fide poneres, vt in ea solum satis esse præsidij diceres, id videbaris ostendere, paratam esse omnibus salutem sine dolore, sine rei familiaris in egenos*

Iniusta in Lutherum querela.

Osio. de iustit. li. 2 pag. 29. b. Obrius contra Lutherum.

egenos conferandæ dispendio, sine criminis admissi detestatione. Et paucis deinde interiectis. *Si verò sentis, improbum, quamuis ab improbitate non omninò refugiat, fide sola iustitiam adipisci, quis te fuit post homines natos immanior, quis amentior?*

Vt ad hæc vicissim respondeam, Osori, sed paucis: si vera essent, quæ Luthero affingis, laudem fortassis aliquam & docti oratoris, & honesti accusatoris inire posses. Nunc verò quum nunquã hæc illi vel somnianti in mentẽ venerint, nec verbum vllum ex tot eius dictis & factis proferre queas, quo astruas calumniæ tuæ fidem, nõ id tibi tuum refero. *Quis te fuit post natos homines immanior, quis amentior?* illud vt modestissimè dicam liquidò licebit dicere, plus nimio oblitum esse te non solum officii, sed argumenti etiam in quo versaris: quippe qui de iustitia scribens, adeo præter omnem iustitiæ rationem, virum pium, Christi seruum, nihil de te male vnquã meritum, confictis mendaciis & maledictis, omnique contumeliarum genere indignissimè cõspurcas, & flagitioſè cædis, vel ex inscitia ea carpens, quę nunquã legeris, vel siniſtrè ad calumniam detorquens, que dextrè intelligere non libeat. Quod si æterna salutis possessio non aliunde speranda sit, quam ex iustitiæ operibus, te maximè autore, Osori, (vt Hosium etiam familiarem-q; tuũ Andradiũ eodẽ pariter cõplectar fasciculo) quid de vestra tandem salute sperandum cum

Respon. pro Luthero contra Osorium.

Calumnia Osorii, Hosii, Andradii, contra Lutherum iniusta.

istis operibus,falsissimis criminibus, famosis libellis, in quibus ita præter ius & fas,rupt.s omnis iustitiæ repagulis, in caput proximi istas euomis contumelias,idque apud publicum orbis Theatrum,nulla nec idonea causa, nec vera ratione, nec vlla re alia,nisi propria forsan intemperie aliqua incitatus.

Lutheri defensio.

Scripsit de fide quidem Lutherus,scio ac fateor,quid tum porro? Quid in eo peccauit, cedo? quid commeruit? Qui minus de fide illi scribere licuit,atque tibi de iustitia?Cæterum istud displicet fortasse,non quod de fide scripsit,sed quòd plus nimio illi tribuens,ad fidem hanc vniuersã iustitiæ nostræ summam reuocat.Esto, tuq; contra ad legis opera, vter magis accusandus? vter Euangelicæ doctrinæ vicinior? tu qui ad cultum studiumque legis,an is qui ad Christi fidem omnia refert & colligit? Testis & diribiter inter vos aduocetur Paulus,qui licet ipse diuinæ legis obseruantissimus,in sua ad Philipp.epistola,vbi duplicem nobiscum proponens iustitiæ rationem, alteram legis,fidei alteram, posteriorem hanc quæ fidei sit,tanto potiorem iudicat, alterique anteponit,vt cætera illa sua omnia, quantumvis alioqui præclara τὰ ἀνδραγαθήματα in diuinæ legis studio posita,pro detrimentis,imo pro stercoribus ducat,propter eminentem scientiam Iesu Christi, vt in illo inueniatur imbutus iustitia, non ea, quæ ex lege,sed quæ ex fide est Christi, quæ ex deo est iustitia in fide.&c. Quid ergo, &

Duplex iustitiæ ratio apud Paulum altera suscepta,altera repudiata.

Ad Philipp.3.

Iustitia ex lege.

Iustitia ex fide in fide,ex deo.

tu

tu nos ab hac abductos, quæ in Christo ſita eſt, iuſtitia, ad ſtercora nunc iſta invito Christo, irato Paulo reuocabis? vt te magiſtro ac duce inueniamur iuſtitiam poſſidere, non quæ in fide eſt, ſed quæ in lege ſolum ſit conſtituta? ideoque tam impotenter in Lutherum deſtomocharis, quod in conſtituenda ſalute ſua, Pauli ſententiam ſequi maluerit quàm tuam? Non, ſed aliud hic ſubeſſe quiddam videtur, quòd tibi iſtam rixandi febrem incutiat, non quòd fidei Lutherus iuſtitiam tribuat, cui & ipſe aliquo modo plurimum deferre ſoleas, ſed quòd ita in ſola hac fide ſalutem noſtram concludat, vt præclara charitatis opera, & pietatis ſtudia prorſus excludere atque aſpernari videatur.

In Academicis diatribis, vbi ad leges dialecticas excutiuntur argumenta, quæ recta ſint, quę ſecus, meritò notantur Elenchi cõcluſiones huiuſmodi, quæ progrediuntur ἀπὸ τοῦ κατὰ τι, ad ſimpliciter. Quòd in tua modò ſophiſtica, nemo eſt in hoc genere tam mediocriter exercitatus, qui non facile deprehendat. Quòd ſi Lutherus is vnquam fuit, qui bonorum operum præclara ſtudia, & honeſtas virtutis actiones ſimpliciter condemnarit, meritò per me quidem vapulet, dignuſque ſit his inſignibus, quibus eum exornat tua modeſtia, vt *peſtis patriæ, turbo, atq; procella religionis cenſeatur*: Adde huc ſi placet & cæteros Satyricæ tuæ facundię floſculos, quibus illum ita producis, vt *monſtrum, vt portentum omnium,*

Elenchus Oſorii, a dicto ſecundum quid ad ſimpliciter.

Oſor. lib. 2. pa. 28 Maledicta Oſorii in Lutherum conge ſta.

quæ vnquam in terris extitere, truculẽtißimum & immanißimum deping.u.&c.

℟ESPONSIO AD CRIMINATIONES Oſorij, pro Luthero.

SEd age miſſis maledictis tuis, rem ipſam vimq; modò ac neruos orationis tuæ appẽdamus. Ita enim ſtatuit, ad comparandam iuſtitiam, pios bonorũ operũ fructus nullo modo dimouẽdos à fidei cõmunione, quę alitèr vitalis ac ſalutaris eſſe non poſſit, charitate ſpoliata. Id quũ Lutherus faciat, concludis hac ratione, *dãnare eum omnia hominum bonorũ opera, hoſtẽ eſſe atque extinctorẽ omnis honeſtæ diſciplinæ, autorem nefariæ impuritatis ac licentiæ, peſtem patriæ, omnis religionis ceu turbinem & procellam, monſtrũ deniq; & quid nõ?* Quæſo vero te per ões ſacras virtutes, vir egregie, itanè parũ tibi curæ habetur quid in quoſuis effuſa temeritate deblateras? Mandat diuinæ iuſtitiæ præſcriptio: Mendacium fugies. Et tu tãtus iuſtitiæ præco, præter omnem iuſtitiam, falſis criminibus, viros honeſtos ac immerẽtes dilaceras? Quid enim an ſatis id tibi cauſæ videtur, quur, ſi quis operibus detrahat ſummam vim illam & excellentiam iuſtificandi, idem propterèa in totum opera bona damnare videatur? Nihilo profectò magis, quàm ſi de Oſorio diſputans aliquis ita colligat, quia in Regis cubiculo, nullam gerit

Fallax Oſorii connexio.

Exod. 23.

gerit gubernandi potestatem, idcirco nihil habere eum domi apud suos quod agat. Aut quia militari virtute haud quicquam præstat ad parandam victoriam, nullas propterèa, vires illius existere, nullam omninò dexteritatem in tractandis propriæ prouinciæ negotiis. Consimilem in modum semouet quidem Lutherus charitatem à fide, legem ab Euangelio, nec immeritò id facit. At vbi, quo loco, qua causa, id faciat videndum est: non vt contemnantur, non quominus exerceantur bonorum hominum pia facta, sed quum fiunt, ne vis iustificandi eisdem tribuatur: Non, vt ne fides per dilectionem operetur apud homines, sed vt ne operetur apud Deum. Aliud est enim apud homines, aliud apud Deum operari. Agit tamen vtrobique vna eademque fides, at alitèr apud deum, alitèr apud homines. Apud homines siquidem per dilectionem, quo diuinæ voluntati præstet obedientiam, proximique commodis seruiat. Apud Deum verò non per dilectionem vllam, sed per Christum solum operatur, vt noxarũ veniam, vitamque obtineat immortalem.

Charitatem a fide legem ab euangelio semouet Lutherus non simpliciter, sed ea ratione, qua res suis quæque finibus sunt discernendæ.

Vbi et quo modo fides operatur per dilectionem.

Ex quo vides, optime Osori, quid inter fidem intersit & charitatem, quæ vtriusque coniunctio, quæ diuersitas, & quàm dispar vtriusq; effectio existat: quemadmodum sola sine operibus fides, quo modo rursus eadem non sola sit. Neque interim damnantur ideò pia opera, si minus admittantur ad iustificationem vitæ, sed operum

Quæ coniunctio fidei cum charitate: quæ rursus vtriusque diuersitas.

Fiducia operum exclusa.

solum fiducia euertitur. Hic igitur adhibenda est scita commodaque ἁρμογή, vt res suis quæque locis & finibus distinguantur, nequid in alterius temerè ruat possessionem, ordinemque stationis perturbet. Habeāt itaque maximarum virtutum merita laudatissima, decus suum & dignitatem, quam nemo illis detrahit: Nunquam tamē dignitate sua apud cælestem iudicem hoc consequentur, ut scelera nostra redimant, vt iustitiæ satisfaciant, vt iram & exitium sempiternum amoliantur, vt nos tot modis perditos in gratiam atque vitam reponant, vt filios nos deo & hæredes adiungant, ut mortem, vt mundum euincāt.

Iudicio dei nihil est quod opponi possit, præter solum Christum.

Altiori hæc prætio constant quàm vt nos vllis operibus, meritis aut modis tot tātaq; debita persoluendo vnquam simus. Tanta est siquidem iustitiæ seueritas, vt nulla esse queat reconciliatio, nisi pœna persoluta iustitiæ sit factum satis. Tanta est iræ magnitudo, ut spes nulla sit placandi patris, nisi prætio & morte filii. Tanta iterum misericordia, vt non dedignatus sit pater filium, totum abs se ablegare mundoq; impendere, sicq; impendere, vt credentibus in eum vitam impartiat æternam: Deniq; tanta filii erga nos Philanthropia, vt non grauatus sit infinitam hanc iræ molem in se nostra causa deriuare, cui alioqui sustinendæ nostra imbecillitas cū omnibus omnium virtutum copiis nunquā par fuerat futura.

¶ Fi-

¶ FIDES VNDE VIM *suam accepit.*

HVnc filium & mediatorem, qui solus singulare hoc stratagema redēptionis nostræ expedire potuit apud patrem, quia fides intentis in eum oculis sola respicit, eique adglutinatur: Eò fit vt sola ipsa vim ac potestatem hanc iustificandi contineat, non cum operibus, neque propter opera, sed solum propter mediatorem, cui innititur. Falsum proinde atque explodendum est, quod inauspicati ac illoti quidā in scholis theologi, de charitate differentes, formam eam fidei esse, neque vllo modo segregandam à fide dictitant, nihilo magis quàm anima vitalis à corpore, forma essentialis à materia, rudi alioqui, inertique massa diuelli poterit. Quibus vt respondeā, haud multis opus esse censeo, quum vniuersa scripturæ mens & ratio, si ritè intelligatur, quum legis ipse finis, quum Christus, quum Apostolica institutio, totaque indoles Euāgelii, tot oraculis, tot signis, exemplisque & argumentis contrariis apertissimè iis aduersari, prorsusque euertere futilissimum dogma videantur. Quod si verò forma ea sit, quæ subministrat rei subsistentiam quanto verius dicendum est, fidem formam esse Charitatis, sine qua iacent sordentque omnia charitatis opera, quemadmodum rursus forma fidei, non charitas; sed solus Christus,

Fides sine operibus quid efficit, et vnde vim agendi percipit.

Forma fidei non charitas est, sed forma potius charitatis est fides.

ſtus mediator, verbique promiſſio exiſtit.

Obiectio. Quid autem, inquiunt, annon grata deo exiſtūt charitatis pia facta, tot modis præſcripta nobis ab illo atque imperata, an non eadē etiā ampliſſimis iuſtitiæ fructibus remunerantur, mercedeque multiplici cumulantur in Euangelio? Eſuriui, inquit, & pauiſtis me, Sitiui & potu refeciſtis, vt ne calix quidem aquæ frigidæ mercede fruſtrandus ſit Chriſti nomine erogatus, præter alia id genus innumera, quæ excerpta é ſcripturis, in laudem charitatis exaggerantur. Pia quidem & ſancta charitatis officia ſummè Deo approbari nemo negat, nec dubiū eſt, quin dilectio dei & proximi, vt ſummam vtriuſque tabulæ cōplectitur, maximaque ſit virtus totius legis, ita eximias habeat adnexas ſibi promiſſiones. Neq; verò de eo inter nos contenditur. Verum quum placere Deo charitatē affirmamus, id quærimus, quomodo placeat, vtrum per ſe ſimplicitèr ratione ipſius operis: an propter fidē & mediatorē? deinde an ita placeat eadē charitas, vt nos iuſtificet apud Deū, & impetret peccatorū veniam, vt vincat terrores mortis & peccati, vt opponi poſſit iudicio ac iræ dei? Denique an adiunctas habeat promiſſiones æternę vitæ? Quod ſi extra mediatorem eiuſq; fidem nihil ſit, quod deo placere queat, nec fieri poſſit, vt opera prius adlubeſcāt, quā perſona reconciliata ſit operantis, cōſequēs eſt, vt Charitas ex fide pendeat, nō fides ex charitate: verū vt ipſa potius præcedat dilectionē, adeòq;

Reſponſio.

deoq; ei non coniungatur ad iuſtificationem, vt ipſa etiam charitatem iuſtificet, cunctaq; charitatis opera deo grata efficiat. Exemplo clariùs res eluceſcunt. Fingamus Iudæum aut Turcam maximis impendijs, reique familiaris diſpendio ſumma beneficia in egenos quotidiè profundere: Rurſus verò Chriſtianum aquę ſolum frigidę calicem Chriſti nomine porrigere ſitienti. In rebus ipſis ſi merita ſolum æſtimentur, longè diſpar proportio videtur. At multo maior inæqualitas in præmii diſtributione. Turcæ quamlibet multa talentorum milia in egenos effuſa ne gry quidem apud deum lucrifaciunt. Chriſtianus ex poculo vno non vini, ſed aquæ frigidæ, non perdit mercedem ſuam, imo vitam invenit. Quid in cauſa? Quid putes, Oſori, niſi quia non meritis iſta, ſed fide: non operis, ſed operantis conditione, non rei pretio, ſed perſonæ dignitate ponderantur.

Confirmatio ab exemplis.

IN IVSTIFICATIONE NON tam factorum, quàm perſonarum conditio eſtimatur.

VIde amabo, quanti referat, perſonam primum deo conciliari, quæ niſi in gratiam prius recipiatur, fieri non poteſt, vt facta vnquã delectent. Quẽadmodũ in natura ciuili & politica intereſt non parum filius ne agat, an ſeruus in ratione premij: itidem in cæleſti regeneratione

Alia conditio filiorum, alia ſeruorum.

tione ingens est discrimen inter filios & seruos, hæredes dei,& mercenarios. Aliud enim in seruis,aliud in filiis spectatur,longèque diuersa horum atque illorum conditio cernitur. Seruorum est timore cogi,qui filii sunt amore ducuntur,tãtòque plus præstant in exequendis officiis,quanto lubentius studeant placere patri. Qui seruiũt, nõ nisi mercede obeunt sua ministeria,iisdẽque non aliter,quam pro meritis rependitur . Quj quum omnia etiã præstiterint, nihil aliud quam seruj manent atque inutiles,nihil vnquam dignũ hæreditate efficiunt.Contrà qui hæredes et filii sunt,etsi nihil minus sẽ obsequẽtes prębeãt,operãq; dant paternę voluntati,non ideò tamen dãt operam suam,vt hæredes ex operibus fiant, sed quia hæredes sunt,ideo operantur . Rursus qui seruitute astringuntur, non nisi ab hero vocati accedunt, legisque impulsu imperata exequuntur.Contra res habet in filiis, quibus nunquam non patet accessus cum fiducia in conspectum patris,clamantque Abba pater, multo plus præstãtes vltronea functione,quàm aliena prescriptione incitati.Seruis post exacta laborum pensa, stipes pro meritis redditur,hereditas nulla repẽditur.Qui vero filii ac hæredes existunt, iis non ratione obedientiæ, neque ex factis neque post facta,sed fide promissionis liberaque donatione, ante omnem obedientiam certa constat hæreditas,de qua fide Paulus : Ideo ex fide, vt secundũ gratiam firma sit promissio vniuerso semini Denique

Seruorum et filiorum comparatio.

Rom. 4.

nique in iis qui filii sunt, personę solum dignitas, non vitæ merita, ortus non operum ratio æstimatur: In seruis contra fit: non enim quæ persona sit, sed qui vitæ modus, appenditur. Breuiter, seruus (teste Christo) in domo minimè manet in æternùm, filius verò, cui tota perpetuaque domus tradita est nunquam exigitur ex ædibus.

Christus natura filius, nos per Christum.

Atque huc quidem solus natura filius Christus est, nos sola adoptionis gratia: Ille ex natiuitate, nos ex liberatione, de qua testatur ipse: Quòd si filius, inquit, vos liberabit, verè liberi eritis. Ille paternæ naturæ particeps, non vita fit filius, sed nascitur. Nos natura serui, filii non nascimur sed renascimur, nõ operibus, sed fide, non pro ratione aliqua vitæ, sed per Christum liberatorem, ex seruis in filios transmutamur: non quòd iidem iam esse desinimus: qui prius eramus in hac vita peccatores, miseri, infirmi, mortales, neque enim transformatio hæc ex seruis in filios, in nobis adeò, aut in qualitatum nostrarum permutatione, sed in dei maximè erga nos affectu geritur. Quippe qui Christum vnigenitum suum tanto in honore habet ac præcio, vt eius causa, omnes ex omni hominum genere in filium hunc credẽtes paterno fauore complectatur ac studio, quasique iam filiorum loco ducens, ex seruis in filios sibi adoptet, denique cum filio simul cohæredes designet. Vnde D. Paulus. Iam nõ serui estis, sed filii: Si filii, ergo & hæredes dei per Christũ, omnes enim filii dei estis per fidem, quę est in Christo

Christus natura nascitur filius, nos fide filii renascimur non operibus, in filio.

Causa cur in filios nos adoptet deus.

Galat. 4.

Gala.3. Christo Iesu. Quicunque baptizati estis Christum induistis. Vnum omnes estis in Christo Iesu. Si autem Christi, ergo semen Abrahę estis, secundū promissionē hæredes. De quo & Ioannes in eandem refert sententiam. Videte qualem
1. Ioan.3. Charitatem dedit nobis pater, vt filii Dei nominaremur. Idemque mox ingeminās Charissimi, ait, Nunc filii dei sumus, & nōdum aparuit quod erimus, &c.

ABSVRDA QVÆ ex Osoriana iustitia nascuntur.

QVæ quum ita sint certissimis scripturæ Euangelicæ firmamentis munita, necessariò hinc efficitur, vt omnis hæc a fundamentis ruat tua de iustitia disputatio. Quod si enim nulla sit cum Deo æterno parente coniunctio, *nisi ijs, qui iusta legis obseruatione ad diuinam voluntatem, quæ sit*
Osor. *æquitatis lex & iustitiæ regula, omnes actiones conforment ac dirigant*: iam non filios nos, neque hæredes ex promissione, sed mercenarios ex legis pactione facis. Præterea eadem hac ratio-
Seruilis et mercenaria papistarum doctrina. ne fiet, vt nemini certa sit in vita promissio, quod non modo cum sententia Pauli, sed cum
Rom.4. genuina etiam filiorum conditione pugnat ex diametro. Quis enim in hoc vitæ curriculo ita vitam suam comparat, vt nusquam extra lineas vel hucusque defluxerit, vel quid deinceps per reliquum

reliquum vitæ ſpatium ſit facturus, ſciat. Quo fiet, vt animus perpetua incertitudine huc illuc fluctuet neceſſe ſit. Ad hæc ſi Euangelij voce ac promiſſione certum id ſtatuatur, quod nemo negare poterit, hæredes eos eſſe, quotquot in Chriſto ſint inſiti, Regnum proinde Dei hæreditas exiſtat neceſſe eſt: Si hæreditas, non merces ergo, non præmium eſt ſed patrimonium quod factis minimè debetur, ſed ſpirituali genituræ. Si genituræ, facta igitur omnia antecedit hæreditatis deſignatio, poſtea ſubſequuntur pia facta, iuxta Auguſtini non minus veram, quã celebrem ſententiam: Opera bona ſequuntur iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandũ: Quãobrem ſi pro filiis nos habeat puriſſima illa & ſempiterna natura, vt ſupra demonſtratum eſt, in qua nulla hæret iniuſtitiæ labes: pari proinde ratione conſequens eſt, vt quæ cauſa nos Deo filios adiungat, eadem & iuſtos nos apud Deum conſtituat. Ea verò cauſa quæ ſit, vt rectè diſcutiamus, diſtinguendi ſunt primum cauſarum gradus, quarum aliæ ad Deum, aliæ ad homines referuntur. Ex parte Dei primò præcedit loco, immẽſa illius pietas, prædeſtinatio, præfinitio, electio, promiſſionis & vocationis gratia; Qua de re Paulus non vno loco: Qui prædeſtinauit nos, inquit, in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum: Quos prædeſtinauit & præfinit, vt ad ſimilitudinem filii tranſformarentur, eos & vocauit, quos vocauit & iuſtificauit. &c.

Regnum dei hæreditas eſt, ergo non merces

Filiorum eſt, ergo non ſeruorum.

Auguſt. lib. de hæreſ.

Quæ cauſa nos filios dei efficit, eadem et iuſtos reddit.

Sola vera fides filios efficit

Ergo et iuſtos.

Cauſa iuſtif. ex parte Dei, ipſius prædeſtinatio.

Epheſ. 1.

Proximo

Rom.8.
Vocatio.

Christi donatio illius obedientia, mors, et merita.

Ex parte hominis causa iustificationis quæ sit

Libr.2. de iustitia Osorius.

Proximo deindè ordine subit filii charissimi donatio, illius obedientia, mors, pathemata, merita, redemptio, resurrectio, peccatorum remissio. Atque de his quę ex Deo oriuntur haud ita magna existit inter nos controuersia. Quę verò ex parte hominis dicuntur causę, dissident partium sentētiæ, sit ne vna solū an plures causæ? fidesné sola sine operibus, an opera pariter cum fide cōnexa? Atque illud est de quo nunc contēdimus, Osori, quippe qui de operum iustitia, ita in his libris disceptas, vt fidem sine his additamentis solam, adeo nihil prestare ad parādam salutem arbitrere, *vt solam hanc fidem Christi semotis operū subsidijs, non fidem Christi appellandam puto, sed præcipitem temeritatem, insolētem confidentiā, impudentem audaciam, immanem furorem, facinus execrandum.* Quæ verborum detestatio quam parum spirant modestiæ, non hic excutio: quam longe autem absit à vero atque diuinarum scripturarum inviolabili autoritate, quoniā de re præsentia agitur inter nos, operę precium erit aduertere. Ac primum si de communi hac hominum inter ipsos societate, mutuęque obedientiæ officiis, quæ erga homines ab hominibus suscipiuntur, intelligas: eo sensu nemo tam infans est, qui fidem ab operatione charitatis dimouet: Ita enim fides, spes, charitas necessariam habēt coniunctionem. Sin autem quæstio extra publicam humanæ vitæ consuetudinem, ad ea quæ propriè salutis sunt, & Deum ipsum attingunt, accommode-

Fides, spes, Charitas quatenus inter connectuntur

modetur: vt si iam causa quærenda sit, quæ nos cooptet in ius filiorum Dei, & quæ iustitiam nobis pariat apud illum: adeò hic Paulus contra te disputans operibus omnem detrahit iustitiã, solamque relinquit fidem, vt qui prætèrea aliquid admiscear ad consequendam salutẽ, hunc fidei extinctorem, hostem gratiæ, adeòque inimicum crucis Christi iudicet. Quod si enim, inquit, qui ex lege, hæredes sunt, inanis facta est fides, irrita facta est promissio. Itemque alibi: Si per legem iustitia, ergò frustra mortuus est Christus. Audis itaquè apertissime à Paulo positum, quid sit quod nos in patrimonii & salutis hæreditate collocet, non lex, sed fides: hæcque duo ita inter se pugnare in functione iustificandi, vt si lex admittatur, fides prorsus euertatur, mors Christi euacuetur, gratia promissionis intercidat. *Rom. 4. Galat. 2.*

Arg. Si per legem iustitia, frustra mortuus est Christus. Gal 2. Christus non est frustra mortuus: Ergo per legem non est iustitia.

Cum Paulo nunc componamus philosophãtem de Iustitia Osorium. Affirmat ille iustificari hominem fide sine operibus. Tua sententia ex aduerso contendit, ita ex operibus sine fide constare iustitiam, vt fides nihil aliud quàm præparet solum ad sancta opera. Ille duplicem iustitiam statuens operum & fidei, gratiæ & meriti, ita inter vtramque distinguit, vt alteram alteri ceu mutua antitheti opponat, quasi quæ nullo modo simul consistere queant, quin altera alteram elidat: idque exemplo docet Israelitarum & gentium, quorum illi ex operibus iustitiam captãtes,

Repugnantia inter Paulum, et Osorium.

a vera exciderunt: hi quia fide sola ac simplici, non ex operibus sectabantur iustitiam sunt assequuti. Tu cõtrà neque istorum terribili exemplo admonitus, neq; Apostolicæ auscultans institutioni, nihilq; inter hæc tã diuersa iustitiæ genera distinguens, omnia ad vnã illã iustitiã legis perinde reuocare videris, ac si omninó nulla esset fidei iustitia. Testatissima sũt verba Pauli: Operãti merces nõ imputatur, secũdũ gratiã, sed secundũ debitũ. Ei qui nõ operatur, credit autẽ in eum qui iustificat impiũ, imputatur fides eius ad iustitiã. *Rom. 4.* Quid quisquã eloqui possit expressiùs? Addit deinde, Gratis, negãs posse gratis imputari, si propter opera deberetur. Cõtra, Osor. ea videtur opinione, vt nullã iustitię imputationẽ õninò agnoscat. *Gala. 2.* Ille quũ iustificari nos astruit ex fide Christi, & non ex operibus, quid aliud quã opera prorsus submouet à iustificatione fidei? Tua assertio, quæ *fidem Christi seclusis operibus, nõ fidẽ esse, sed furorẽ statuit & facinus execrãdũ*: quid aliud his verbis, quã diuersum planè euangelium non è cælo, sed é Lusitania adportat, quàm à Paulo accepimus. *Libro 2 pag. 46* Quod quum nè in Angelo quidem sine execratione perferri à nobis mandato Apostoli oporteat, quid posset hic tibi responderi, tibi ipsi cogitandum relinquo. Arguit ille: Si ex gratia: nõ igitur ex operibus, Alioqui iam gratia non est gratia. Si ex meritis ergo non gratuitò. Quod enim gratuitum est, in eo non potest esse meritum seu debitum.

ARGVMENTIS OSORII, quibus iustitiam operibus astruit, respondetur.

QVibus nunc argumentis contra nititur Osorius, videdū est, primūq; ex psalmis illud occinēs. *Iustus, inquit, est Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Et iterum. Non habitabit, inquit Dauid, apud te malignus, non permanebunt iniusti ante oculos tuos:* Et, *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. &c.* Age & quid ex his tandem colligitur testimoniis? Nempe, *nullum proindè esse improbis cum diuina bonitate consortium. Cum enim Deus sit ipsa lex æquitatis & iustitiæ regula, ad quam sunt omnes actiones nostræ dirigendæ, fieri idcirco non posse, vt, qui regulam ipsa à se remouet, eāq; odio persequitur, eidem coniungatur.* Perge, & quorsū hæc tā præclara tēdūt denique? *Qui igitur asserit fieri posse, vt Deus improbos approbet, atque sibi coniungat, asserit fieri posse, vt Deus non sit Deus.* Oso. li. 2. pa. 39.

Non egent hæc prolixa responsione. Vt enim Responsio. veriſſimum hoc donemus, quod ex scripturis refers. Perfectam esse diuinæ iustitiæ regulam, nihilque posse sustinere sempiternam illam lucem quod improbū sit, aut cū æquitate nō cōiunctū: at nōdū probasti improbos eos dicēdos, qui fide ad Christum confugiētes, veniā ab eo admissorū obtinuerīt, qui obliteratis sceleribus, remissaque

Beatiquorum remissæ sunt iniquitates, &c. Psal.

omni iniquitate in beatorum numerum apud eundem ἱερο-φάλτην conscribuntur, quos deus ipse fide purificans, quosque perfundens sacro suo spiritu ex impiis pios reddidit, atque in gratiam clementissimè recepit, propter filium dilectionis suæ. Atq; tales olim eramus omnes, quales tua describit oratio, peccatores improbi, ac destituti omnes gloria Dei, priusquam nos eluit Christus suo sanguine. Nunc verò postquam à pristinis sordibus abluti, sanctificati ac iustificati sumus, in nomine domini nostri Iesu Christi, & spiritu dei nostri, quis intentabit crimina contra electos dei? Quos iustificat Deus, quis condemnabit? pergis *deinde, negasq; posse fieri, vt Deus sui sit dissimilis, qui improbitati faueat aut amicitiam iungat cum inquinatæ vitæ sceleratis. Ideoque concludis iustos esse prius necessariò oportere, quàm in gratiam dei recipiamur* Recte: at qui tandem isti sunt quos iustorum nomine designas? id nos doceas oportet. Si huiusmodi sentias, quos nulla non aspergat contractæ impuritatis labes, aut qui cum Christo dicere queant: Quis vestrum arguet me de peccato? fateor equidem non dissimile vero videri, quod de iustorum cum Deo conformatione arguis, talesque nos esse omnes necessariò oportere, si sine mediatore ac Redẽptore nobis cum purissima illa diuinæ iustitiæ natura versandum esset. Sin iustos eos accipias, qui fide iusti sunt non vita, hoc est, quos quotidiana remissio per fidem accepta, diuino conspectui tan-

1. *Cor.* 5.

Rom. 8.

Iustoria hęc Osorriana vbi reperietur.

Iusti iuxta sensum euangelicum qui dicuntur.

tanquam iustos repræsentet, ita nihil nobis incommodat tua hæc de iustitia disputatio. Fit enim hoc modo, vt quos fides quotidiè absoluat, ipse nulla eos criminis obligatione tanquam iniustos tenere poteris: Si ergo iniusti nõ sint, haud quicquam impedit, quo minus redemptoris sui beneficio, tanquam iusti libera adeundi fiducia ad maiestatem diuini conspectus admittantur.

At negas diuino numini consentaneum esse, vt quenquam sua dignetur approbatione, nisi quem iustum prius conspiciat vultus eius: itaque iustitia nostra diuinum antecedat fauorem necesse sit. Cæterum vnde nobis proueniat iustitiâ illa, in eo tota contentione discrepamus. Tu nullam videris iustitiam agnoscere, nisi quam vitæ solũ creat perfectio. Nos omnem iustitiæ nostræ rationem in Christo positam non in nobis, in fide solum illius, non in operibus nostris cõstituimus. *Quid? inquis, an poterit aliquis gratiam ab illa summa bonitate consequi, quamdiu improbitatem non oderit, quãdiu non impietatẽ, qua perpetuum belliũ cum æquitate diuina suscipit, a se repulerit?* Quis istud nescit aut negat ô bone? *Qui enim fieri potest, vt lex illa sempeterna odio non maximo prosequatur scelus & improbitatem?* Age, & quid tandem parturiunt nobis montes isti Gilboe? Concluditur tandem, *esse igitur necesse, vt prius improbitatem odio prosequatur, quisquis in dei amicitiam recipi cogitat.* Quin ne istud quisquam est, qui diffitetur. Vt enim id concedamus prio-

Osor de iust. li. 2. pag. 39. b. 40.

Iustitia Osoriana qualis.

Falsa et mendax criminatio Osor.

De iust. lib. 1.

res

Pœnitentia.

res partes nostræ conuersionis occupare sapientẽ & salubrã mœstitiam, quã dicis, nec alitèr subsequi veram fidei iustitiam, nisi præcedat aliqua animi pœnitentis perturbatio, nequaquã tamẽ eò fit, vt causa iustificationis ipsa sit pœnitentiæ ascribenda. Quod si enim pœnitentia nihil sit aliud, quam mentis ægritudo ex contracti sceleris recordatione, arguit quidem illa præcessisse flagitium, nõ tollit quod commissum est, indicat in eo qui patrauit, mentis nonnullã fortassis mutationẽ, nõ aufert pœnã, quę iustitię debetur. Deniq; iustitiã perditã testatur pœnitudo, amissã non restituit. Quemadmodum dolor ex inflicto vulnere, ipse sibi medicinam nõ facit, sed aliũde accipit: pari ratione præcedit pœnitentia, peccatorũ remissionem, non efficit: nihilo magis, quã Seryphius causam præbuit recipiendæ vrbis Tarentinę, qui nisi prius amisisset, eã Fabius minimè recuperasset. Quã multos in republica cernas, qui violatis publicis legibus, aut læsa principis maiestate, dolore ac pudore suffusi, toto animo deplorant sceleris improbitatem, nec improbè in eo quidem faciunt, quòd pudeat & pœniteat. At supplicium tamen legis debitum non effugiunt. Arguit igitur reos peccati detestatio, non eximit a capitis damnatione. Quod si verò in humanis offensis tanta sit legum & iudiciorum seueritas, quam eluere nulla possit vitæ deploratio, quid tum de his statuendum, quæ contra summam ac infinitam illam maiestatem cõmittũtur?

Pœnitentia peccatorem arguit, peccatum non tollit præcedit remissionem non efficit, nec iustitiæ satisfacit.

Quam

Quam si semel in re vna offendisse vel Angelis ipsis impunè non fuit è cælo detrudi, quos nulla potuit mæstitia rursus restituere, quid nobis in fragili hac peccatricis naturæ conditione, in qua nihil habitat boni, dicendum, qui quotidiana vel officiorum negligentia, vel factorum fæditate impingimus? An satis id fuerit ad amoliendã vindictam tanti numinis, dicere nõn putaram, nisi aliud accedat præter sensum doloris, quod ream & sauciam naturam subleuet, quod debiles has pœnitentiæ nostræ partes maiori muniat præsidio, quod par sit offẽsæ iustitiæ æquo prætio placandæ atque cõciliandæ, parique, vt ita dicam, iuditio cum diuina certare iustitia valeat? vt enim vulnus est infinitum quod miseræ naturæ nostræ infligitur, ita par est, vt & remedium eiusmodi adhibeatur, cuius vis & amplitudo infinita, læsæ maiestati, pari rursus magnitudine respondeat. Quæ certè non in pœnitudine, non in charitate aut officiis vllis est nostris posita: sed in christo solo vnigenito Dei filio continetur. Eum verò quoniam fides nostra sola arripit, nec possit ille prodesse nisi solum credentibus, eò fit, vt fides sola sine operibus, hoc est, sine vllis operum meritis iustitiam omnem nostram apud Deum perficiat.

Infinitæ maiestatis violatio, sine infinito prætio pensari non potest.

Christi mors non prodest nisi credentibus hincque oritur fidei dignitas.

De Pœnitentiæ laude, dignitate & fructu, proprioq; eius officio.

Pœnitentiæ vtilitas atque necessitas.

ATinquies, quorsũ ergò retulerit pœnituisse, aut respuisse a malefactis? aut quid scripturis his respõdebitur, quæ quacũque hora ingemiscentibus conuersiq; ad sanitatem meliorem, veniam omnium admissorum non vno in loco pollicentur? His vt respondeam, principio admonitum id velim: cum fidei vim iustificandi tribuimus, eamque solam hac quidem in parte statuimus, nulla operum nostrorum omnium adiunctione adiutam: nemo hoc ita accipiat, acsi salutarem pœnitentiam, cęteraque officiosæ charitatis sanctissima munera, prorsus ab omni vitæ actione tanquam in exilium atque vastitatem relegemus, vt perperam contra Kemnitium colligit Andradius Lusitanus. Nam vt, quod res est, apertè profiteamur, quid aliud vniuersa hæc piorum vita est, quàm perpetua quædam pœnitentia, assiduaque admissorum & detestatio & condonatio, dũ quotidianis suspiriis illud ingemiscere ex euangelio cogimur. Demitte nobis debita nostra velut in continua quadam palestra conflictantes, in qua nunc spiritu stamus, nunc per carnis infirmitatem succumbimus, interim per pœnitentiam denuo resipiscimus, semper tamen per fidem vincimus ac triumphamus, veniam

Andradii contra Chemnit. mendax calumnia.

am videlicet erratorum obtinentes, veramque iuſtitiam in æternum adipiſcimur, faceſſat igitur calumnia procax, æquis agatur iuditiis, reſque ſuis quæque locis ac finibus circumſcriptæ contineantur.

Pias Lachrymas, ſeriam priſtinæ ruinę deplorationem, iuſtamque vitæ rectius inſtituendę curam, cum reliqua cohorte piarum exercitationũ minimè è medio pellimus, imo neque loco mouemus, tantum qui locus ſit, quod proprium iſtarum rerum officium, quid pœnitentia per ſe, quid cũ fide coniuncta efficiat, perquirimus. Atque illud imprimis nemini dubitandũ eſt, quin pœnitentia vt eximium Dei donum exiſtit, ita fructus in hac vita non pœnitendos pro ſuo officio progignit. Cuius duplex officium, ſeu partes duas eſſe ſtatuo. Prima eſt, quæ ſuſcepta flagitia digna animi deteſtatione proſequitur. Altera, quæ vitæ in melius corrigendæ ſolicitam conuerſionem animo meditatur. Ex quo cum magna quidem laus maioreſque fructus, tum maximi ad virtutes capeſſendas ſtimuli conſequuntur. Qui enim perſpexi ſuperioris nequitiæ, omnem mẽtis cogitationem eó tranſfert, vt anteacta crimina ſequente penſet emendatione, permagnos ille quidem gradus ſibi ad ſalutẽ feciſſe ſciat. At nõdum tamen ideo in certa ſalutis poſſeſſione cõſtitutus eſt, aut ſublatus propterea cum latrone confitente in paradiſum. Aliud eſt enim deflere quæ malè quis patrauit, aliud eorum quæ geſſit, veni-

Pœnitentia quid per ſe, quid cum fide efficit,

Pœnitentia duabus conſtat partibus.

veniam consequi. Equidem verò qui de vita in melius commutanda seriò secum cogitat, meritò eum laudandum censeo, ad non istud tamen ad auertendam offensi numinis iram, ad peccati depellendam grauitatem, ad liberã conscientię tranquillitatẽ, ad mortis excutiendã tyrãnidẽ satis esse arbitror. Ad eam victoriã alia nobis panoplia opus erit, quàm pœnitentia, aut virtutum nostrarũ copiis. Siquidẽ ad hoc stratagema præter solã & singularẽ fidẽ in filiũ dei, haud quicquam iuuant nostra quæcunque præsidia. Eoq; pœnitentia cum charitate, cæteraque id genus officia necessariam habent cum fide connexionem, non vt hanc illa, ceu mortuam materiam informent, sed ab hac vt ipsa potius vitam spiritumque accipiant, non quòd fides his indigeat ad iustificationem, sed vt ipsa fidei commendatione iustificentur, quæ alioqui nisi fidei nomine commendata, forderent omnia apud Deum, operaque dici possent, at bona certe opera apud Deũ nisi fide fulta dici nequeũt. Vnde nõ inscitè admonens Augustinus. Credere nos iubet in eũ, qui iustificat impiũ, vt possint & bona opera nostra esse opera bona. Nã nec bona illa appellãda sunt, quã diu non de radice procedũt bona. &c.

Fructus pœnitentiæ quousque se porrigit.

Fides in christum charitatem iustificat, charitas non iustificat fidem.

August in. 1. quinquage. ex prologo psal. 31.

Cõtra obiiciũtur repetita hic ex diuinę scripturæ sacrariis probata testimonia, & exẽpla in quibus nulla audita mẽtione fidei, certa tamen salus pœnitentibus proponitur. Auditur illud ex Ezechiele. Nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur

Ezech. 18.

tur impius à via ſua,& viuat. Profererunturex-
empla Niniuitarum,Dauidis,Manaſſe,& aliorũ. *Ionas.3.*
Denique ne ſingulis quæ infinita ſunt,recenſen- *2.Reg.12.*
dis te defatigẽ, rem omnem breui perſtringam *4.Reg.21.*
collectione,*ita cunctos ais teſtari prophetas hoc* Oſo.lib. de iuſti.
prædicare,hoc apertè denunciare, nullam omninò 2.P4.42.
ſpem ſalutis oſtendi, niſi iis tantummodo, qui à Obiectio Oſorii.
vita impura & flagitioſa ad ſanctitatis ſtudium
fuerint tota mente abducti. &c. Moxque in
hanc demum concludens ſententiam, nos do-
ces, *nullam prorſus aliam rationem eſſe, vel exi-* Reſponſio.
tij depellendi, vel ſalutis comparandæ. Ad hæc
tam multa,nè multis morer,vna eſt reſponſio &
expedita, neceſſariò quidem requiri ſeriam &
infucatæ vitæ, mentis, rationiſque conuerſio-
nem, in his qui vitæ compotes futuri ſunt,
quemadmodum & in hærede, cui deſtinatur
herciſcundi patrimonii poſſeſſio, neceſſaria exi-
gitur erga patrem obſequentia,quę tamen obe-
dientia quum maximè præſtatur, cauſam nullã
præbet hæreditatis conſequendæ. Nec diſſimi-
lem quidem in modum pœnitentia ac renoua-
tio,quin vitam Chriſtianorum plurimum com-
mendent Deo,nihil eſt,quod minus dubitari po-
teſt:at Chriſtianos tamen non efficit,nec tã ipſa
commendat perſonã pœnitentis,quã ab hominis
dignitate ipſamet cõmẽdatur:qui ſi Chriſtianus
fuerit,approbatur pœnitentia.Sin à fide ἀλλόφυ-
λος,nihil ad iuſtitiam promouet,nec tollit pecca-
tum peccati deploratio.

At

Ierem. 18. *Ezec.* 33. *Ezec.* 18.

At habet, inquis, pœnitentia diuinas promissiones. Nec; equidem repugno. Non vult enim Deus mortem peccatoris, vitam etiam promittens resipiscenti. Recte istuc. Attamen quo modo promittit, videndum est, perpensisque circumstantiis rerum, temporum, personarum, cogitandum quid quibus promittatur, & quæ vera promittendi causa existat. Habet quidem lex vetus non obscuras promissiones, habet & euangeliū, suas, quemadmodum & vtrumque fœdus habet suas item expiationes. Haud inficior. Cæterum quales habet promissiones pœnitentia in lege veteri id quæro. Vitam promittit Deus ab impietate se reuocãtibus. Quid? æternam nè, an externæ huius vitæ temporariam pacem et fœlicitatem designat? Si æternam respondeas: scire igitur cupiam, quo tandem discrimine inter legales promissiones & Euangelicas discernetur? At mihi quidem naturam ac indolem vtriusque temporis & testamenti in sacris dei literis fixiùs intuenti, vimque alterius regni cum altera conferenti hoc interesse videtur, inter Mosẽ & Christum, vt benedictiones illius omnes & præmia diuinitùs promissa iis, qui ad diuinæ legis præscriptum vitam moderentur, extra metas terrenæ cuiusdam beatitudinis ac remunerationis exire non putem. In quo tamen non exigua dei beneficia contineri existimemus. Quid enim cuiquam in mortali hac conditione, cui omnes necessariò succumbimus, affulgere non votis solum

Promissiones legales.

lum optatiús,sed diuino etiam miraculo contingere possit immensiùs,quàm cum in tali repub. singulari dei munere collocatus sis , quæ mira quadam fertilitate,omniumque bonorum affluentia , cæteris quibusque gentium nationibus præpolleat , tum vt vitam in ea transigas, diuino septus præsidio, vt non ipse solum longæuus sis in terra,quam largitus est Dominus, sed vt bene sit etiam filiis tuis post te in æternas generationes :vt statum tuum cum dignitate, omniumque optimarum rerum affluentia tuearis, vt nihil in te iuris habeat fortunę communis aduersitas, nullus te infestet hostis, tranquillitatem tuam nulla obnubilet tempestas, malorum nulla concutiat procella : vt domi, foriſque, siue in agro,siue in ædibus versanti, egredièti siue ingredienti,omnia ex animi sententia succedant felicitèr,vt cunctis denique opibus tuis & operibus manuum tuarum ita benedicat dominus, vt nullo vnquam tempore ad extremum vsque prouectissimæ senectutis,te destituat præpotens Dei prouidentia,adde his benignam prædiorum fertilitatem,fructuum aruorumque prouentus, assidua copiarum incrementa,rei pecuariæ continuam fœcunditatem , præter alias id genus amplissimas illas , quæ longo catalogo in lege describuntur,promissiones & benedictiones,iis constitutas qui inuiolatè sanctissimis Dei institutis obtemperant,& à uitiis se ad rectiora reuocãt. Quæ quidem omnes promissiones pœnitentibus apud

Benedictiones in lege propositæ.

Prophe-

Prophetas propositæ eius conditionis mihi esse videntur, vt vel temporaria hic præmia designēt, externasque in hac vita pœnas mitigent, vel si ad vitam referantur æternam, fidem certè mediatoris tacita quadam conditione includant. Ideoq; nō desūt inter theologos viri docti & celebres, qui rectè & doctè disputant prædicationem pœnitentiæ ad Euangelium propriè, non ad legem pertinere. Lex enim prædicat peccantibus damnationem. Euangelium pœnitentibus salutem. quum igitur dominus dicit: conuertimeni & salui eritis. Nolo mortem peccatoris. &c. non est legis concio, quæ damnatoriam sententiam sine misericordia sonat: sed ipsissima vox Euangelii.

Pœnitentię prædicatio ad euangelium pertinet.

Atque hoc quidem maximè mihi discrimen inter Mosen & Christum esse videtur, quòd quemadmodum ille ceu terrenus quidam Christus, vt terrenam populo libertatem parit, officiaque describit vitæ componendæ: ita omnis Christi doctrina ac beneficia propriè maximeque ad vitam æternam diriguntur, ad eamque nos potissimum ab hoc mundo auocant. Sed age, vt hoc etiam largiamur legales illas promissiones ad æternam vitam nihilo minus referendas esse, attamen quum fines illius duntaxat populi non egrediebantur, nec ad alias gentes se porrigebant præterquam ad eas peculiariter, qui promissū sibi semen expectabant, idcirco promissiones legis fidē certè, vt dixi, tacita quadam

Moses terrenus quidam Christus, Christus cœlestis quidam Moses.

quadam conditione includebant. Quamobrem quòd ad legales illas promiſſiones attinet, quibus ſanctiſſimi prophetæ pœnitentibus & conuerſis promittunt ignoſcentiam, multaque alia beneficia, in his ſpectandum eſt, non ſolum quid promittitur, ſed quibus etiam fiat promiſſio. Quippe quæ propriè non alios attingit, quàm eos tantummodo, qui ex ſemine Abrahæ profecti, ſub fœdere teſtamenti, atque ſub Agno ab origine occiſo continebantur. Ideoque autore Auguſtino, in promiſsionibus huiuſmodi ſemper radicem ſpectare debemus, ſeperque mens eſt ad noui teſtamenti mediatorẽ erigenda, in quo vno omnes ſunt dei promiſſiones, Eſt, & Amen. Quod cum ita ſit, cumque in ſolo hoc mediatore Chriſto, tanquam in vnica arca fœderis, omnes vitæ eternæ promiſſiones contineantur, nec vlla ſit facultas à Deo nobis tributa, quæ ad notitiam Chriſti, eiuſque intelligenda beneficia aſſurgat, niſi fides ſola: eò fit, vt illuminata hæc fides, quæ ſola in notitiam Chriſti nos ducat, ſine mediis aliis quibuſcunque vim omnem iuſtificandi ſola ſibi vendicet, non ex dignitate adeò ſui actus, aut ratione aliqua charitatis coniunctæ, qua formetur, ſed ratione ſolum & virtute ſui obiecti, in quod intenditur vnde omnem hanc ſanitatis poteſtatem accipiat. Haud alitèr, atque Iſraelitæ olim mortifero affecti veneno ſanitate donati ſunt, non quòd oculis & pote-

Obiectum fidei.

Eadem ratione in nouo teſtamento iuſtificamur: qua olim hebræi ſerpentibus icti.

potestate intuendi essent præditi, sed quia lumina in Serpentem oculis præfixum ex mandato Dei defixerant. Itidem & nobis vsu venit, vt quũ Christus solus sit, qui conuentes in eum vita ac Iustitia sempiterna perfundat, idemque haud aliter salutaris existat nisi fide recipiatur: hinc fidei interna acies in hunc cõiecta salutem parit. Ex quo euidenti demonstratione struitur Argumentum ex principiis & causis iuxta scripturas necessariò conclusum

Iohan. 6. vt omnis qui videt filium et credit in eum habeat Vitam eternam.

Iohan. 8. Nisi credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis.

Ma. Solus intuitus in Serpentem confixum, sine adiecta alia quauis conditione, sanauit sauciatos.

Mi. Christus est Serpens pro nobis suffixus

Ergo

Concl. Solus intuitus (*i.* Fides) in Christũ pro nobis confixum, sine vllis quibuscunque additamentis, remedium confert vulneribus nostris.

Atque hoc minime negabunt, scio, aduersarii, quin Christus vnicus ille Serpens existat, qui factus pro nobis maledictum, medicinam nostris faciat vulneribus. Verùm quo modo si roges, aliud illi, aliud sacræ respondebunt literæ. Affirmãt illi hoc eò fieri, quòd Christus pro nobis mulctatus in cruce meritis suis impetrauit nobis charitatis infusionem. Quæ quia sit perfectio legis, ideò acquisita Christi merito, liberaque voluntate nostra suscepta iustitiam parit, non qua reputamur pro iustis, sed qua verè iusti & simus, & vitam

Christum seruatorem non negant, quo modo autem seruat, non recte consentiunt pontificii.

Tridentinum concil. Hosius, Andradius, Canisius.

vitam mereamur. At enim hoc sophisma nec quadrat cum historia Israelitarum, nec argumẽto propositio satisfacit. Quòd si enim icti tum illi à Serpentibus, ex solo Serpentis intuitu, sine quauis alia intermedia causa præsentem receperint sanitatem: Certè aut Typus hic Christi similitudinem non gerit, aut Christus ex sola in ipsum fide nos sanat, sine vllo interiecto Charitatis pharmaco. Alioqui non rectè congruet mutua similitudinis proportio inter nos & illos, inter Christum & Serpentem. Illi externos oculos, nos internos, ad Serpentem illi, nos ad Christum attollimus. Vtrique contemplando sanitatem ex diuina promissione, corporum illi, nos animorum consequimur. Illi ad primum mox aspectum contuentes eodẽ momento sanati sunt, nulla sua opera, sed ratione solum obiecti & vi promissionis. Et quid prophetica adumbratio hæc designat aliud, nisi iustificationem vltrò nobis paratam ac promissam, ex sola obiecti contẽplatione, qua Christum fide apprehendimus. vis promissionem audire? vt omnis, inquit, qui videt eum, non pereat, sed habeat vitam æternã. Et alibi. Et iustus hic seruus meus notitia sui iustificabit multos. At quid est videre eum nisi in eum credere? quid notitia iusti illius est, nisi fides Christi, quæ iustificat à peccato? Quod igitur illis externus erat aspectus, id nobis est lumen fidei: Quod illis sanitas, nobis iustificatio est, qua à peccati maledictione vindicamur, indemnes

Similitudo typica inter Christum, et serpentem vulnera sanantem.

Ioan. 3.

Esai. 53.

absoluimur. Quonam autem modo si quæras, in promptu est responsio, nimirum ex serpentis ipsa similitudine, non labore aliquo nostro, sed cõtemplatione solum obiecti, vique promissionis. Quid queso apertiús? quid cõgruentiús? Et quid tum istis dicendum malè feriatis quibusdam, qui gratuitam iustificationem, quæ fidei solum, ex diuina promissione debetur, noua sua ἑτεροδιδασκαλία ad operu charitatis transferunt.

¶ De peccato eius-que sanatione per Christum.

ITa enī Andradius, Hosius, Vega hispanus, cęterique cum his eiusdē factionis confœderati, de iustitia charitatis contendere videntur, vt fide propemodum ex vrbe Roma proscripta, omnes salutis nostræ partes, aut certé precipuas in Charitate & sanctificatione positas constituant. Age & quibus tandem scripturis id demonstrabunt? Quid, inquiunt, an non sanat nos Christus, æquè ac vulnera olim læsorum curauit serpens æneus? Quid, an non liuore eius omnes sanati sumus? An non Agnus ille est, qui tollit peccata mundi? an non serpens est viuificus, qui vulneribus nostris opē porrigit? Perge porrò: Quæ autē sunt vulnera nostra, inquiunt, nisi peccata? Quæ sanitas est vulnerū nisi peccatorū depulsio? Quid ergo, an plus valebit serpens in figendo stimulo, quā Christus in eximēdo? Aut potenti-

Esai. 53.

Obiectio aduersariorum.

potentior erit Adamus ad inficiendam naturam quàm Christus ad repurgandam? At quomodo repurgatur natura, si maneant adhuc peccati contagia? Quemadmodum in ęgro corpore nisi profligatis noxiis humoribus, non sarcitur valetudo, vtq; tetra caligine aer vndiq; circũfusus prius splẽdescere nõ incipit, quàm reducta solis claritate tenebrę euanescãt: Cõsimilẽ in modũ in internis animorũ morbis, causas malorum prius tolli oportebit, quã inducatur sanitas. Causę verò malorũ peccata sunt, quæ si per Christũ tollãtur, manere certè in sãctis quî poterint? Sin verò nõ maneant, necessaria proinde ratione consequitur, vt recisis omnium peccatorum fibris, iusti apud Deũ existant, ea iustitia, non quæ imputatur, sed quæ propriè ipsis inhæreat, quæ omni careat peccati labe, quæ legem studiosè colat, quæ mẽtem charitate informet, diuinisq; eam ornamentis illustret, atq; nos efficiat diuinæ consortes naturæ. Sed conpingamus hæc omnia brævitatis causa in iustam argumenti formam. Inhærens iustitia

Argument.

Deletum peccatum non manet.

In Baptisatis & adultis conuersis peccatum deletur. *Ergo*

Resp.

Post baptismum, & in adultis, post veram cõuersionẽ nullũ manet amplius peccatum.

Hoc argumẽtũ malè cõstutũ, seipsũ plane iugulat. Primũ in baptisatis infantibus nõ deleri peccatũ actuale, in quibus nõ cõmittitur, nemo est qui negat. In adultis, si ónia ita extinguãtur peccata, vt

nullæ supersint reliquiæ, quid opus ulla conuersione? Quis enim pœnitentiæ locus, vbi nihil præter officium committitur? Quòd si vita sanctorum nihil sit aliud, quàm quotidiana ferè conuersio & deploratio admissorum, qui poterit illic abesse quotidiana peccandi infirmitas? Sed inspiciamus argumenti partes. Deletum inquiunt, peccatum non manet. Verum id quidèm si abolitio peccati perfecta & integra intelligatur, tam quoad materiale peccati, quã quoad formale, vt loquuntur scholæ. Quod igitur ad maiorem attinet, hactenus peccatum non manere assentior, quatenus deletur in sanctis. Qua autem ratione, & quo ordinè deletur in baptisatis & in adultis, proximum est vt in minore disquiramus. Respõdeo itaque ad Minorem adhibita distinctione. Quod in renatis adultis peccatum deletum dicitur, partim verum id est, partim falsum, pro alia atque alia habita circumstantiarum ratione. Id autem quo modo intelligatur explicandum est. Primum quod ad mortem salutiferam mediatoris attinet, nullus in ea defectus est, quin abundè id resarciat, quicquid per Adamum periit: imò multo ampliora nobis bona contulit, quàm Adamus peperit incommoda. Verum si quæratur quo modo, quo ordine id mors Christi efficiat, respondeo non per inficiationem, sed per distinctionem. Quum enim duæ res in omni peccato spectandæ sint, Reatus obligans, seu pœna damnationis, quam Lombardus corruptionem

Materiale peccati formale peccati.

Peccatum in hac vita quo modo deletur, quo modo manet.

Reatus peccati.

passi-

passiuam vocat: deinde corruptio actiua, seu actus ipse peccati, vitiatæq; naturæ infirmitas. Ita duplici huic malo duplex rursus remedium comparatur. Reatus ad æternas pœnas obligans tollitur non solum in futura vita, sed in hoc etiam seculo, sacro lauacro, & assidua peccatorum remissione propter mediatorem. Infirmitas verò peccandi, quæ est concupiscentia in carne, & ignorantia in mente (vt cum Hugone dicam) deletur & ipsa in renatis, suo tamen ordine & suis gradibus. Minuitur enim quotidie in hac vita per renouationem spiritus, delebitur in futura per resurrectionem carnis. Interea hærent adhuc in carne infirmitatis reliquiæ, sicut & mors & temporales pœnæ hærent adhuc in carne, vt sanctos ad luctam exerceant, non ad interitum condemnent. Quemadmodum multo ante promissa est Hæbræis terra Chanaan, quam tamen illi subitò non possiderunt. Nec vno statim momento fabrefacta est mundi huius constitutio, sed distinctis dierum interuallis perfecta sunt dei opera: Ita nec subitò tota renouatur caro, sed gradibus & incrementis proficit ad restitutionem. Exemplum non incommodè ab eo sumi potest, quem Samaritanus cap. 10. Luc. saucium non subitò curat, sed primum vulneribus vinum infundit, cruorem abluit, addit deinde oleum, quo dolorem leniat, & glutinari vulnus incipiat: postea obligato vulnere, ægrum imponit Iumento, & curari deinceps in diuersorio mandat. Nec alitér

Infirmitas nascendi.

Hugo.

Similitudo.

Exemplum. *Luc.* 10.

Christus in corpore suo peccatorum nostrorum pœnas sustinēs, per remissionē, reatū protinus à nobis tollit, infundens vulneribus nostris lætissimum Euangelii oleum, pariter cum vino seriæ pœnitentiæ coniunctum, quo quicquid est in vulneribus mortiferum, salutifera condonatione eluitur: sed vulnera nondum prorsus sanata sunt. Erit autem integra sanitas in vita æterna. Interea morbos ipsos in ecclesia vult curari piis exercitiis, cruce, & assidua inuocatione. Breuitèr si scire volunt isti, quidnam id sit, quod Christus morte sua in nobis deleuit, verbo dicam.

Argumentum.

Quicquid Christo impositum est in cruce, nostra causa deportādum, id nobis in carne hac ademptum est.

Tantum Reatus & pœna peccati, non materia ipsa nostrarum actionū Christo in cruce imponebantur ad perferendum. *Ergo*

Non actus seu substantia peccati per mortem Christi in carne hac integrè deletur, sed Reatus tantum & pœna peccati.

Christus pœnam solam peccati non peccata nostra moriendo portauit in cruce: postea nos resuscitando et pœnam et materiam integram peccati delebit suo tempore.

Aut breuius ita accipiant. Quicquid Christus moriendo pro nobis portauit, id solum per mortem suam sustulit in hac vita. Christus moriendo pro nobis solum pœnam scelerum nostrorū, non scelera ipsa in corpore gessit, quæ nulla habuit. Ergo, solum pœnam, nō materiam ipsam peccati per mortē sustulit Christus in hac vita. Postea verò per potētiam suam auferet & vniuersā peccati materiā, in gloria sequuturæ resurrectionis.

¶ DE

§ DE STUDIO ET CURA bonorum operum necessariò adhibenda.

DE fide igitur totaque iustitiæ ratione illa, quam fidei solum sine operibus diuina tribuit autoritas, dictum est hoc loco nonnihil. plura aliàs aliis in libris à nobis explicata sunt. Ex quibus ita conclusis dilucidè, nisallor, apparet, in quo sit omnis iustitia nostra constituta, non in operibus sine fide, nec coniunctis cum fide, sed in fide prorsus absque operibus, hoc est, sine operum meritis, aut vlla merendi conditione. Nam si fides, quæ nihil sit aliud, quàm interna & illuminata Christi filii Dei contemplatio & susceptio, gratuitam in eo vitæ promissionem accipit, quid in hac igitur iustificandi parte præstet vitæ nostræ benefacta, quamtumuis præclara, haud multum video. Neque tamen hinc consequitur nullo modo necessaria esse pia operum studia εἰς τας ἀρχὰς γκάιας χρείας, vt cum Paulo dicam, neque efficax satis ratio est, si quis doceat fiduciam nullam in operibus reponendam esse, nullam proinde rectè agendi adhibendam esse curam. Qualis enim hæc dialectica, non est fidēdum operibus bonis quũ peragũtur: Ergo, nihil attinet studere bonis & sanctis operibus. Non alitèr iustificamur, nisi ratione fidei quæ est in Christo Iesu: Ergo, in his qui fide

Opera licet non iustificant, non negantur tamen esse necessaria.

Calumniæ aduersariorum contra pios doctores.

fide iustificantur non sunt necessariò pia officia. Fides sola non dilectionis ratione, sed mediatoris, nos prouehit ad iustitiam. Ergo, nihil iuuat pœnitentia affligi, admissa flagitia lachrymis & mœrore prosequi: nihil refert, quo quisq; modo vitam hic instituat. Nã huiusmodi tua collectio videtur, nec tua modò, Osori, sed omnibus pariter tecum communis, quotquot tui similes inimico sunt in Lutherum animo. Hinc q; tam sæui tui in illum fremitus, tam diræ atque acerbæ debacchationes, conuitia, contumeliæ, furentesque inuectiuæ, non tam maledictis quàm mendaciis turpissimis vndique refertæ. Sed nihil hoc nouum neque mirum est, vel quia ipse antiquũ tuum obtines, vel quia est, semperque fuit Euangelii indoles, quæ satis iam assueuit hostibus huiusmodi & contumeliis. Sic à Saulo impetitus est Dauid moderatissimus princeps, à quo nunquã fuerat læsus. Sic nato Christo turbatus est Herodes rex, totaque Hierosolyma cum eo. Consimili furore oppressus est à Iudæis princeps ipse Ecclesiæ Christus. Sic olim lapidatus est Stephanus. Idem & prisci illi Martyres à suis olim audiebãt, quod Lutherus nunc, cæteriq; cum eo diuini verbi cultores adire coguntur, ἀιρε τὸς ἀθέους. Quin & recentioris memoriæ diuinus Martyr Ioan. Hussius, non dissimili quodam modo productus est ad necem, quo mortuus à funere Lutherus hic abs te producitur. Illum siquidem vestiebant tetterrimis demonum picturis & infandis

Lutherus iniquetra licitur velut contemptor bonorum operum.

Fatale est Euangelio vim pati, et subire calumnias.

Mat. 2.

Mat. 26. 27.

Act. 8.

Eusebius.

Vide historiam Hussii.

distitulis. Nec multò cõcinnius afficitúr hic abste Lutherus, vaniſſimis coopertus mendaciis, & coloribus abste diſcriptus eiuſmodi, non qualis re ipſa erat, nec qualẽ eſſe eum perſuaſerant tibi ſcripta ipſius, quæ nunquam videris lectitaſſe, ſed qualem delatores alii, quos nitnium adhibere in conſilium ſoles, ἡ φήμη καὶ ἡ ὀργὴ depinxerãt. Nam quid aliud indicat omnis hæc tua tam egregiè inſtructa ad calumniam narratio, *qua monſtro quàm homini ſimiliorem eum facias: veluti qui nouum quoddam fidei genus antehac inauditum & priſcis temporibus incognitum inducat, qui exemplum ſit nequitiæ, fautor inertiæ, turbo ac procella religionis, qui actiones omnes præclaras, & egregiæ virtutis exercitia, ceu res nihili proculcet, qui pias lachrymas condemnet, qui nefarios & ſceleratos iudicat eos, qui ob ſceleris alicuius conſcientiam lachrymis ſe dedunt, aut ſuſceptæ à ſe ſceleraliqua ratione lamentantur. Porro qui nouam quãdam ſalutis rationem ac talem doceat, quæ nec operà à nobis exigit, nec dolorem vllum requirit, nec vllam peccantibus moleſtiam exhibet, ſed ſolam ſufficere confidentiam doceat, illam qua improbus & facineroſus quiſque deo gratus ſit, quantumuis ipſe nullum omninò conatum adhibeat ad improbitatem coercendam, aut ſtudium ad pietatis cultum præ ſe ferat, tantummodo autem ita animo ſtatuat, ſeſe charum eſſe deo. Paratam eſſe omnibus dei amicitiam etiam impuris & ſceleratis, quamlibet in iſdem latè dominetur peccatum. Deniq; qui grane*

Procax maledicentia Oſorii in Lutherum.

Oſor. lib. 2. de iuſtit.

pa. 39.

pa. 43.

uè scelus existimet pristinam ruinam lamentari atque pœnam metuere. &c. præter alia item id genus non minus absurda, quam falsa, quæ ad calumniam in iquissimè à vobis detorta, affingere ei soletis, non quæ verè in eum quadrent, sed quę studio à vobis conficta sunt, quo eũ in odium & inuidiã imperitæ multitudinis quoquo modo rapiatis. Sed nihil proficiunt callida hæc vestra molimina, siquidem extant in publica luce ipsius Lutheri scripta & conciones: extant & publicę Ecclesiarum Saxonicarum confessiones, exhibitę primũ Carolo Cęsari in comitiis Augustæ. Anno 1530 deinde concilio Tridentino An. 1551. ostensæ atquè oblatæ, in quibus quid de vera iustificandi ratione secundum dei verbum doceãt, quid de pœnitentia, & piis operum fructibus sentiant & predicent, satis ipsi sese aduersus futiles vestras calumnias, & inanissimas delationes, tueantur, vt nihil opus sit petita aliundè cuiusquam defensione.

Lutheri defensio.

Confessiones ecclesiarum Saxonicarum exhibite Auguste. anno. 1530.

Oblatæ postea Trid. Couc. 1551

¶ OPPOSITÆ ADVERSARIORUM aßertiones, contra gratuitam iustitiæ imputationem, productæ & excussæ.

QVæ quum ita habeant satisque iam pro nostris hominibus dictum sit, ad id porro quod supereſt accingamur: vt aduersariorum nunc oppositas assertiones & decreta, de iustitia, de

de fide,& gratia,de pœnitentia & operibus quid dicant & sentiant aperiamus,simulque sententiam illorum cum nostra,& vtramque paritèr cum sanctissimo dei Euangelio componamus, quò facilius liqueat lectori,quid de vtraque sit iudicãdum.Atq; hic primum prodit nobis Osorius,non infimus in hac arena palęstrites,cuius omnis suscepta contra Lutherum contentio,in hoc desudat,vt omnem iustitiæ imputationem elidat,nullãq; relinquat rationem iustitię aliã,nisi quæ in operibus cultuq; legis sit posita,quæq; efficiat iuxta decreta Tridentina,vt nõ pro iustis solũ habeamur,sed vt re etiam ipsa iusti existamus apud deũ.In qua iustificandi ratione,fidem & gratiam minimè quidem excludit ille,sed ita commiscet simul ista,vt iustitiæ laus quidèm ipsa in operibus versetur,cætera illa ita subseruiant, vt fides primum præcedat, quæ præparet solum, viamque præstruat ad gratiam obtinendam. Gratia deinde subsequatur, quæ opera in nobis sancta producat: opera postremò ipsa perficiant absoluantque iustitiam. Hunc enim in modum disputat libro tertio Osorius. Verba in hanc denique summam redeunt: *Cum igitur lex aut tabulis scripta, aut auribus accepta non possit euellere effrænatam animi cupiditatem: Cupiditate verò vigente, nemo possit vlla ratione legis præscriptis, quæ conferuntur ad iustitiam, obedire: efficitur neminem posse legis tantum auxilio, subnixum pietatem colere*

Osor. lib. 3. de iust. uume. 70.

colere, nisi præsenti numine spiritus sancti fuerit cõtra cupiditatem armatus. Hoc verò diuinum præsidium quia non lege, sed fide consequimur, eò fit, vt omnes charitatis actiones, opera fidei, non legis appellentur, tum apud alios diuinos scriptores, tum apud Paulum, qui nomine fidei plaruncq; omnia officia charitatis intelligit. &c. Habes modò Osorianæ iustitiæ specimen, ita ab eo discriptum, vt iustitia nullo modo in fide sine operibus, sed in operibus, quæ fidei, non legis opera dicãtur, versari videatur. Qua quidèm iustitia qui destituitur, fieri posse negat, vt in gratiam vllo modo cum Deo redeat, hoc maximè nixus argumento, *quod quum sanctissima purissimaq; sit illa natura, quæ nullam iniquitatis faditatem perferre queat, ad eandem proinde imaginem se conformet, oportebit, qui eius conspectu perfruatur. Neque enim vllum est tenebris cum diuina luce commertium, nulla iustitiæ sanctitati, cum iniustitiæ scelere coniunctio.* Quod quũ ita sit, bis propterea peccare Lutherum & Lutheranos concludit. *Primum in eo, quòd asseuerare audeãt peccatum in illis, quo summa illa puritas amore sanctissimo sibi deuinxit, nõ funditus euerti, non penitus excludi, non radicitùs extrahi, non omnes illius fibras extirpari. Deinde quòd legem à Deo nobis impositam esse confirmat, qua seruari non possit. Quorum in altero diuinæ clementiæ & benignitati diffiditur: in altero summæ ipsius potestati & numini execrandum infertur conuitium.*

Opera non legis, sed fidei cur dicuntur.

Iustitiæ Osorianæ descriptio

Osor. l. 2. pa. 37.

Lib. 2. pa. 34.

pag. 39. b.

DE

DE IVSTITIA, EIVSQVE definitione apud Osorium & alios.

HAbes, ingenuè lector, breui discriptam compendio vniuersam iustitiæ Osorianæ formulam: in qua quid verum, quid viciosum sit, restat vt ad gnomones doctrinæ euangelicæ pari breuitate excutiamus, ab ipsa primum finitione iustitiæ capientes exordium: quoniam ex ea potissimum pendet vniuersæ huius controuersiæ moles. Sic enim definit iustitiam Osorius: *vt sit status animi diuina lege fundatus, atque diuinæ virtutis constantiam specie referens.* Consimilem item in modum non multum ab eo dissentiens Andradius: Iustitia *est, inquit, constans mentis rationisque æquitas & moderatio, quæ omnes suas actiones & consilia diuina lege metitur.* Idemque mox rursus: *Iustitia est habitus animi diuina lege conformatus ad parendum diuinæ legi atque voluntati, virtutumque omnium officia obeunda inducens. &c.* Vt ne cæterorum hic colligam finitiones, quorum permultos video in eadem esse opinione, vt iustum à iustitiæ operibus definiendum putent, non aliter atque sapiens à sapientia, musicus à musica, cæterique artifices, ab insitis earum artium dotibus quibus prædi ti sunt, formaliter, vt inquit Tapperus, denominantur. Id quod neque mihi etiam valde improbandum videretur

Andrad. lib. 6. de iusti. p. 459

Andrad. ibid. pag. 461.

Tapper artic. 8. de iustit. pa. 16.

videretur, si de diuina iustitia, qua iustus est deus, aut qua prediti sunt Angeli, intelligant. Si autem de iustitia nostra agatur, qui homines sumus & peccatores, nullū omninò hic locum habet hæc definitio.

Responsio, qua definitio Osorii refellitur.

Ad hæc itaque vt paucis respondeam tibi tuisque, Osori, primum in discutienda iustitiæ ratione hallucinari te non parum arbitror, non quòd in definitione quicquam positum sit, quod falsū dixerim, aut quod minus conueniat suo definito. Nam qui omnes actiones suas tam constanti, vt dicis, ratione & æquitate moderatur, vt nulla vitæ parte à vero rectoque diffluat, hunc ego verè iustum, imò deum potius esse, aut Deo proximum existimo, hominem certè mortalem nullū

Duplex iustitiæ species.

reperio. In eo igitur error ineſt tuus, quòd cum duplex sit diuersaque iustitiæ species, in scripturis proposita, altera quæ legis, deique propria existit: altera quæ fidei sit nobisque peculiaris: tu modò in altera definienda sic versaris, vt alteram, de qua potissimum hic contenditur, nihil omninò attingas: sicque diuinæ iustitiæ perfectam excellentiam prosequeris (ac meritò id quidem) vt interim homini nullam prorsus relinquas. Quæ enim iam homini erit iustitia, si tam arctis finibus per te circumscripta, non aliter ea quàm ex iustitiæ perfectæ operibus constare, nec nisi perfectis solum hominibus communicari poterit? Nunc verò quando cum perfectis hic hominibus non viuitur, quin ab hac rectitudine

dine longè abſit perdita hæc naturæ noſtræ depraua-
tio, nec quiſquã ſit (teſte Auguſtino) quãdiu in hac agitur vita, qui iuſtum ſe in conſpectu dei fateatur, ne ceſſaria ratione colligitur, aut nullam omninò noſtram in hac vita iuſtitiam exiſtere, aut aliam eſſe opertere, quàm tua nobis circumſcribit finitio. Ita ſiquidém definis, *vt ſit ſtatus excellens animi lege diuina conformatus, diuina præſcriptione fundatus, omni flagitio vacans, atque diuinæ naturæ ſimilitudinem propius attingens. &c.* Atque in eo quidem ſtatu conditi initio fueramus. Sed eum iam olim amiſimus: nec dum integrè reſtituimur, ſed reſtituemur Chriſti numine ac beneficio aliquando, quo die corruptibile hoc noſtrum induet incorruptibile, corpuſque hoc mortale reſurget in immortalitatem. In qua reſurrectione credimus cum Auguſtino, nos completuros iuſtitiam, id eſt, plenam nos habituros iuſtitiam. In comparatione illius (inquit ille) reſurrectionis, ſtercus eſt tota vita, quam gerimus. &c. Et vbi iam excellens ille animi habitus diuinæ naturæ ſimilitudinem redolens? vbi nam conſtans illa rationis æquitas & moderatio, omni vacãs flagitio? aut quid tandem de huius vitæ iuſtitia cenſeas, quam Eſaias menſtruatam, Auguſtinus ſtercoream appellat, ſiquidem ad eam, quæ vera ſit, componatur?

Aug. de tempore Serm. 49.

Oſor. lib. 5. pag. 114. a, b.

Aug. de tempore Serm. 49.

Eſai. 64.

Ex quo haud obſcurè perſpicis, opinor, quò recidat tandem præclara hæc tua de

Iuſtitia

Iustitia theoria theologica. Nam si nulla via ad vitæ regnum conteditur nisi per iustitiam: nec vlla cõstare possit iustitia (te autore) nisi ex summa diuinę legis obseruatione, operũque dignitate, quid restat igitur, nisi aut nos peccatores in hac vita neges, & iustos ex operibus statuas, aut si peccatores cum scripturis fatearis, omni prorsus iustitia nos spolies, regnoque dei excludas? Et quid tũ dicendum Augustino, qui vitæ huius iustitiam omnẽ pro stercorea habeat? quid Esaiæ, qui pro menstruata condemnet? quid Paulo, qui pro damnis ducat? quid Christo, qui iustissimẽ etiam se gerentes, non seruos solum, sed etiam inutiles dictitat. Si clarissima scripturæ voce omnis homo sit mendax: si dilectus Euangelista mendacii eum arguat, quisquis à peccato immunis sibi videatur: si (teste Paulo) omnes destituimur gloria dei, si attestante Iacobo πολλὰ μὲν ἀπταίομεν ἅπαντες Si sanctissimorum quotidiana precatio clamitet, dimitte nobis debita nostra: si apertissimè negat Augustinus, post acceptam remissionam peccatorum, ita quenquam hominem iustè vixisse in hac carne, vel viuere, vt nullum habeat omninò peccatum: si vno ore idem testetur publica probatissimorum patrum omnium ferè consensio, Si priuatæ denique confessiones vestræ assiduæ, si conscientia ipsa nulle videlicet testes, assiduũ te paccatorem conuincunt, an tuis ipse operibus confutatus, homo peccator de operum iustitia adhuc somniare, cęlumque

Esai.65. *Phil.3.* *Luc.17.* *Psal.115.* *Rom.3.* *1.Ioan.1.* *Iacob.3.* *Aug. de perfect. Iustitiæ.*

que ex factis tibi, aliisque polliceri non dubitabis? Nec territat te pharisæi in Euangelio exemplum, qui falsa iustitiæ opinione delirans, quum ipse sibi adblandiens, cæteris non similem se existimarit. &c. in tantum ab eo abfuit, quod sibi de se persuaserat, vt iis etiam quos maximè præ se contemneret, deterior discederet. At quanto faceres verecundiús, si humili modestia comprimens istos insolentiæ spiritus, vel ad Dauidis exemplum te componeres, qui in conspectu dei prodire non sit ausus, vel modestissimam illam Tertulliani mentem indueres, qui vitam suam cum altero conferens, Tu peccator, inquit, mei similis, imo me minor. Ego enim præstantiam in delictis meis agnosco. &c. Saltem admonere te potuit debuitque acerba Laodicensium castigatio, qui cum propriæ iustitiæ, quam ex operibus inuerant, falsa persuasione sibi placerent maximè, non alia re magis diuino displicuerunt iuditio. Rectè proinde Augustinus: Nemo, inquit, se palpet. Tollat homo peccatum, quod suũ est, Deo iustitiã relinquat. &c. Atquidnã istud est, Deo iustitiã relinquat, nisi abdicata omni operum iustitia, nosmet, hoc ipsũ quod sumus, peccatores, Deum solum esse iustum confiteri? Quod & D. Paulus illustriùs his verbis cõfirmat: Ad ostensionẽ (inquit) iustitiæ suæ vt ipse sit iustus, & iustificãs cũ, qui est ex fide Iesu Christi.

Luc. 18.

Tertul. lib. de penitentia.

Apoc. 3.

Augustin in Ioan. hom. 49.

Rom. 3.

In quo duplex se nobis aperit iustitiæ ratio: quarum altera diuina est, solique Deo tribuitur;

Iustitia Dei. Iustitia hominum.

Altera solum ad homines refertur. Illa itaq; dei propria existit, hæc nostra iustitia dicitur. Quid autem inter hanc & illam intersit, haud difficili discrimine discernitur. Quæ enim Dei iustitia est, ex operibus perfectaque sanctitatis rectitudine elucet. Quæ verò hominum est, ea fide sola sine operibus perficitur: non quòd fides in agēdo operibus omninò careat, sed quòd in iustificando nihil apud Deū efficiant opera, sed fides solū respicitur. Illudque est quod velle videtur Apostolus iis verbis: in hoc, inquiens, vt ipse sit iustus & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi, &c. in hoc vt ipse, inquit, sit iustus, quomodo iustus ille? ex fide? Non, sed ex operibus. De quo canit psalmus, vt iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris. Age & quonam modo iustificamur nos? Ex operibus? Nihil minus, sed ex fide. De quo Apostolus: iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi, &c. non ait, qui operando præclarè se gesserit, sed qui ex fide est Iesu Christi. Vnde, teste discipulo, quisquis recta intentaque fide in Christum Iesum crediderit, necessaria ratione consequitur, iustum hunc haberi, & iustificari apud Deum. Nam alioqui quorsum fide nos iustificare deus diceretur? aut quorsum attineret vlla hic omninó fidei mentio, si ad constituendam iustitiā satis per se momenti continerent sancta opera?

Rom.3.

Psalm.51.

Rom.3.

Aliter iustificatur Deus. Aliter iustificantur homines coram Deo.

Ex quibus ita adductis ac positis facile datur intelligere, quid de tua hac definitione sit iudicā-

dum

dum. Nam si nulla sit iustitia alia, nisi quam in sanctissimis operibus, summaq; diuinæ legis obedictia posità esse definis: consequitur proinde aut nullis omninò peccatis nos attingi, aut ab ōni prorsus iustitiæ possessione excludi necessariò fatendum. Quorum vtrumque falsum est. Etsi enim peccatum & iustitia, vnius atque eiusdem respectu, per mutuam antithesin, qua sibi inuicē opponuntur, simul congredi nequeant, tamen nihil prohibet, quin nos & peccatores, simul & iidem iusti existamus, alia nimirum atque alia ratione. Quo modo istud inquies? Si nescis ô bone, dicam, & verbo vno, quo expeditiús intelligas. In nobis peccatores. In Christo iusti sumus. Huc enim pertinet mysterium Christi filii dei à patre nobis donati, vt ipse eum factis suis omnibus & beneficiis, in ius nostrum & emolumentum totus transeat. Sic natus ille apud prophetam, sic datus dicitur, non sibi sed nobis: sic iustus ille, sic vixit legemque impleuit, sic mortuus est & resurrexit, vt vita ipsius nobis in iustitiam, mors in redemptionem, resurrectio in vitam atque in gloriam cedat. Denique quicquid Christo est, imò quicquid Christus est, non tam ipsius proprium, quám tuum, Osori, quám meum est, quám nostrum omnium est, quotquot per fidem Iesu Christi sumus. Redemptione itaque aliena, non operibus nostris constat nostra salus. In eo siquidem elucet plusquam stupenda clemētissimi erga nos dei pietas, & gratia ineffa-

Et iustos, et peccatores simul nos esse, alia atq; alia ratione, nihil prohibet.

In nobis peccatores.

In Christo iusti.

Esai. 9.

Christus totus noster.

bilis,quod filium vnigenitum cum omnibus beneficiis totũ vſibus noſtris dedicarit,vt quicquid ab illo geſtum ſit,non tam illius cauſa,quàm noſtra geſtum ſit, nec tam ad ipſum priuatim ſpectet,quàm publicè ad nos omnes redundet, quippe qui publicam omnium perſonam ſuſtinet apud patrem.Ex quo ſi ſcire modo vis, quid ſit iuſtitia noſtra,Eam multo rectiús tibi demonſtrabit Paulus & Petrus,quàm abs te ſit definita. Iuſtitia etenim noſtra Chriſtus eſt, iuſtus dominus noſter,cuius nomine remiſſionem peccatorum accipiunt,quotquot credunt in nomen eius. Quid quæſo amplius ad perfectam requiras iuſtitiam,quám vt peccata nunquam tibi imputẽtur , nec debita peccatis tuis vnquam ſupplicia abs te exigantur?

Chriſtus publicam perſonam noſtram gerit apud patrem.

Iuſtitia noſtra quæ ſit, apud D. Paulum.

¶ De Iustitia Inhærente, & imputata.

CÆterum ſatis id tibi fortaſſis non eſt, nõ imputari quæ admiſeris, verum vt ne quid etiam omninò admittatur, quod meritò imputari poſſit.Eaque cauſa arbitraris neminem inter iuſtos ponendum,niſi cuius vita vndique illibata, abolitis omnium vitiorum veſtigiis, ad perfectã legis normam reſpondeat. Atque optandum id ſane votis erat,ſi quid hic vota proficerent. At inquies,*minimè id difficile eſſe,ſummæ diuini numinis poteſtati,vt præſtandi viros abſe poſtulantibus*

Oſor de iuſt.lſ. 2. Lib.7.p.187. Lib.9.pa.228.

tibus suppeditet: Rursusque nec quicquam alienum magis a summa ipsius æquitate, minusq; decorum immensa benignitati, quàm vt ea suis imperet, quæ seruari ab ipsis non posse persentiat. Primum si seruari nequeant à nobis, quæ à deo præcipiuntur, nullo id illius vitio fit, sed nostro: qui rectè primum ab eo conditi, ipsi nobis hanc accersiuimus impotentiam, nosque in istam coniecimus peccandi necessitatem. Deinde quid si omnipotenti illius sapientiæ ita visum sit, hoc ita facere ad ostensionem iustitiæ suæ, quemadmodum docet D. Paulus, in hoc vt ipse sit iustus? hoc est, vt iustitia ipsius hac ratione magis inclaresceret ex nostra iniustitia, quod alitèr fieri minimé potuisset, si non solus iustus ille, non iniusti nos eadem ratione ex operibus ostenderemur. Quod ni ita esset, quid opus erat, cur fide nos ille iustificaret, quos ex operibus ipsis iustos perfectosque vidisset?

Deus nihil præcipit quod seruari ab hominibus non possit, iuxta Osorium.

Argumentum contra Osorium.

Nulla culpa dei est, si mandat quæ a nobis seruari non possunt.

Rom. 3.

Nihil opus cur fide iustificaret nos deus, si ponimus ex operibus iustificari. De iustit. lib. 4. pa. 90.

Imo quàm maximè opus esse fide, dices, causamque attexis, *quod in sola dei gratia, quæ fide cõparanda est, omnis ratio elidenda & comprimenda cupiditatis sita sit, nullaq; alia via illius extinguendæ atq; delendæ ostenditur. Itaque fides præparat quidèm vt ais, animum ad iustitiam, idoneumque reddit, in quem summus ille bonorum omnium sator, iustitiæ sementem inferat.* Quid, & nihil aliud, quàm præparet nos fides ad iustitiam? Age, & quo tandem modo præparat? Quia fide, inquis, & Christi merito comparatur dei gratia. Perge

Pa. 105.

Præparatio ad iustitiam.

verò,& quid tum postea? *Nam Deus solus is est, cuius numine & beneficio libidinem frangere, & omnem cupiditatis importunitatem reprimere, perfectumque virtutis officium tueri facile possumus. &c.* Ecquis istud vnquàm negauit,quī deus solus sit,qui possit ista?sed quid ais,ô bone?an in eo solum omnis nostra continetur coram deo,salus & iustitia,in profligandis istis,quos dicis, ex animo omnium malarum cupiditatum igniculis,in abolendis vitiorum omnium fibris,rectèque ac constantèr tuendo perfectæ virtutis officio.

De iust.lib.4.pa. 90.

¶ OPERA HVMANÆ VITA quam procul absunt a iustitiæ perfectione.

AGe,an & ipse hęc omnia prestas,quę in nobis requiris ad iustitiæ perfectionem?An sūmus ille bonorū omniū sator,felicissimū hunc agrum animi tui, tanta vi atq; vbertate perfudit suæ benignitatis,vt nullæ in omni vita tua labruscæ,nullæ vsquam vepreculæ appareant?nulla te cupiditas trāsuersū abducat ab officio ? nulla vnquam perturbatio affectuū de gradu deiiciat cōstantiæ?vt animi puritatem nulla afficiat oculorum cōcupiscentia?Qui videt inquit,mulierē ad cōcupiscendū eā,iam mœchatus est in corde suo. Quod si impudicus apud Deū statuitur, cuius vel oculi sint adulteri,si homicidio vicinus sit, qui vel leuitèr fratri irascitur, si qui fratri suo Racha dixerit

Mat.5. Quicunque lex dicit, iis qui in lege sunt,dicit,ut omne os obturetur, et obnoxius fiat totus mundus dco. Rom.3.

dixerit, vel leui conuitiolo proximi famam aſpergens, periclitatur de concilio: quid illi dicetur, qui plena conuitiorum non volumina, ſed plauſtra maledictorum in fratres & conſeruos, tanta virulentia & amaritudinis felle effuderit? vt ne ſingula perſequar diuinæ legis præcepta alia, veluti de Deo ſupra omnia diligendo, de arctiſſima erga proximum charitate, de vitandis offenſionibus, de muſſitandis iniuriis, de orando pro inimicis, de abdicatione huius mundi, de vita ad ſimplicitatem columbinã componenda, cæteraque id genus ſimilia. Quæ quum genere tam varia, quum obſeruatione tam difficilia exiſtant: ſcire modò abs te velim, non quid debeat fieri, ſed quid factis ipſe exprimas: non quid valeat diuina gratia in te efficere, ſed quid ipſa re efficiat: an tot tantiſq; te cumulet muneribus ſuis, vt par ſis præſtandis omnibus, quæ in lege regali conſignantur. Quod ſi fatearis, lubens tuæ applaudo felicitati, nec quicquam repugno, quin quòd mereantur opera tua, id meritò feras, regnumque conſcendas, atque enodes alas, vt ait Arnobius, tibi ſumas, quibus ad cœlum felicitèr pergas, atque ad ſydera volare poſſis, vbi cum Chriſto regnes, ſoluſque cæteris ſecluſis peccatoribus, cũ Deo vincas, cũ iudicaris. Sed interim incidit hic quiddam mihi abs te ſciſcitãdũ, qui iam cõſiſtet illud, quod in ſacra hymnologia canit eccleſia, & rectiſſimè canit: Tu ſolus ſanctus? Quo enim modo ſolus erit in eius rei laude

Arnobius.

Ex hymno eccleſiaſtico: Tu ſolus ſanctus.

Hieronym ad Ctesiphontem Dial.2.

vt fert Hieronimus, quam habet ipse sibi cum multis communem? Quod si nihil interesse censeas inter illius iustitiam,& nostram,nec tu vllam putes constare iustitiam,nisi quæ nascitur præcipuè ex operibus,aut igitur eadem opera ostendat nobis vita tua,quæ ædidit Christus,aut si nequeas, huic solum permittas oportet tituli huius honorem,vt Christus solus iustus existat, Osorius iniustum se fateatur & peccatorem,vt verè iam hic locum habeat,quod modo ex Augustino recensui. Tollat homo peccatum quod suum est,Deo iustitiam relinquat.

Aug. in Ioan. hom.49.

Quid ergò, inquies,an nulla erit,quæ ad homines pertineat iustitia? Haud equidem diffiteor,sed quæ alibi quærenda sit,quàm in operibus. Vbi igitur, dices? Dicam non iam ego,sed dicet tibi D.Paulus. Iustitia dei,inquit, per fidem Iesu Christi,in omnes,& super omnes qui credunt. Et

Rom.3.

rursus in eadem epistola:Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem eam,quæ est ex fide: Contra Israel,qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Quid ita? quia non ex fide,

Rom.9.

sed tanquam ex operibus legis. Porrò ad

Galat.2.

Galatas scribens:Scientes inquit, non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi, & nos in Iesum Christum credimus,vt iustificemur ex fide Iesu Christi, & non ex operibus legis,propterea quòd non iustificabitur ex operibus legis omnis caro.&c.

Quid

Quid velit his verbis Apostolus, quis tam lippus, qui non perspiciat? quo magis mirari mecum soleo, quis tantus stupor mentes nostrorum quorundam, tum maximè Iesuitarum istorum eluscat, qui in re tam perspicua, adeò non cedunt Apostolicæ autoritati, vt prosiliisse nuper ex Antro nescio quo Trophonio videantur non in aliud, nisi vt belium gerentes cum D. Paulo, tota sententia illi ex aduerso repugnent. Quid enim hac antithesi repugnantius? Christus est iustitia nostra: fides imputatur ad iustitiam: Si ex operibus, iam gratia non est gratia. Iustus ex fide viuit. Atque ad hunc modum instituit nos Apostolus, & propheta. Quid isti? Ex operibus, inquiũt, iustificamur, ita vt gratia non minus sit gratia. Iustus non ex fide viuit, sed fidelis ex operum viuit iustitia. Cumque Paulus iustitiam nostram ita ad fidem solam revocat, vt operibus nihil relinquat ascribendum, toties voces hasce exclusiuas ingeminans fide sine operibus, absque operibus, non secundum opera, non ex operibus, si gratia iam non ex operibus: vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed quæ ex fide est Iesu Christi: Credenti in eum qui iustificat impium fides imputatur ad iustitiam: Producto insuper gentium & Iudæorum paradigmate, vt ipsa liqueat experientia, quàm periculosum sit, salutis spem alitèr, quàm in fide Christi sola cõstituere. Contra isti Paulina hæc omnia euertentes, modis omnibus id vnicè moliuntur, vt summa

1. Cor. 1.
Rom. 4.
Rom. 11.
Abac. 2.
Rom. 4.
Galat. 3.
2. Tim. 1.
Epes. 2.
Tit. 3.
Rom. 11.
Phil. 3.
Rom. 4.
Rom. 9.

ma iustificationis nostræ vniuersam operũ perfunctione, non fide metiantur, vt imputationem alienæ iustitiæ omnem nobis eripiant, vt fides haud quicquam ad iustitiam amplius conferat, nisi vt dignos idoneosque reddat, quibus diuina gratia primam illam iustitiæ inhærentis infusionem gratis propter meritum Christi cõferat. Ex quibus deinde acceptis nouis illis qualitatibus propter meritum Christi, iam homo ipse inhærente illa iustitia, (vt illorum habent verba) promeretur maiorem, plenioremque iustitiam, reconciliationem, adoptionem, & tandem vitam æternã. Deniq; eò rem deducunt, vt iustitiam nullam omninò statuant, nisi quæ sit sua cuiusq; propria, sicque eum definiunt, vt in tota iustitiæ ratione nullus fidei omninò locus, ac ne mentio quidem vlla appareat. Ita enim definiunt, Iustitia dei, quæ in Euangelio reuelatur, est virtus in Deo, quæ iuxta vniuscuiusque dignitatem singulis distribuit. Addit Alphonsus, Iustitia euangelica est æqua proportio meritorum ad præmia.

Concil. Trident. Sess. 6.

Iustitiæ definitio iuxta Iesuitas colonienses. Censur. Coloniensis. fol. 186. Strat. Alphonsus philip. 4. pa. 34.

Amabo te, pie lector, qui ista profitentur tam putida, incondita, an quisquam eos putabit seria vnquam meditatione in sacris versatos literis, an in Ethnicis potiùs & Aristotelicis quisquiliis ætatem mentemque totam contriuisse? Age, & quibus nunc rationum substructionibus sua ista confirmant, non alienum fuerit aduertere.

NON-

¶CONTRA IESVITAS ET TOpica eorum argumenta, quibus inhærentem iustitiam ex Aristotele confirmant.

QVid inquiũt, an nunquam istam argumentãdi formam legisti in Aristotele? Iustus est, ergô iustitia est prædita, doctus est aliquis, habet ergo doctrinam? legimus, inquiunt, in Topicis quidem Aristotelis. Verum hoc quidem. At ipsi vicissim nunquam legistis in Epistolis Paulinis has loquendi formulas, Christus est iustitia nostra? Nos efficimur iustitia Dei per illum, fides imputatur ad iustitiam? Iustus ex fide viuit? Quid ergo? Aristoteli magis credemus, an Paulo? Piscatoribus, inquit Ambrosius, credimus, non dialecticis. Et nos fidem, quã cum fideli Abrahamo debemus Deo, in homines sophistas transferemus? Sed age, ne non responsum sibi dicant isti Iesuitæ, vim argumenti propius inspiciamus, suoque ipsos telo confodiamus. *Negant illi externam hanc attributionem à seculo vnquam auditam, vt à qualitatibus, quæ inesse possunt, extrinsecus nomen res aliqua sortiatur, ita vt iusti censeantur CORAM DEO, non ex qualitatibus inhærentibus, sed aliena iustitia, Christi nimirum, quæ fide nobis applicatur, &c.* Atque hæc quidem ratio valere vtcunque fortassis ex aristotele potuisset, si illud (*CORAM DEO*) omisissent. Nunc verò quum duplex et diuersa sit

Argumen. ex Topicis, Aristot.

1. Cor. 1.

2. Cor. 5.

Rom. 4. 3.

Responsi. ad argutias Iesuiticas.

Ex censura Iesuit. Colonien. fol. 162.

sit iustitia, altera, quæ legis: altera quæ fidei dicitur, quumque alia sint iuditia Dei, alia iuditia hominum: stultè isti & perridiculè ab humanis ad diuina, à iustitia legis, ad iustitiam fidei arguunt. Neque enim qua ratione iusti censentur apud homines, eadem apud Deum protinus iustificãtur. Imó contra sæpe accidit, vt quos mundus hic maximè celebrat, iustosque ex qualitatibus inhærentibus iudicat, eosdem Deus ex iisdem qualitatibus maximè condemnet iniustitiæ, atque è diuerso. Facile id exemplo perspicuum fuerit Pharisæi, atque publicani. Quorum vterque si ex inhærentibus vitæ meritis metiendus sit, quid quæso erat causæ, quur Publicanus pharisæo iustior domum discederet? Quemadmodum etiam ex consimili diuersitate, mortuos eos quandoque scriptura nominat, quos humana Philosophia ex inhærentibus qualitatibus, viuos plan è ac valentes iudicaret. Sinite inquit ille, mortuos sepelire mortuos suos. Quo modo quęso mortuos? qui nisi viuerent, mortuos suos minime sepelire potuissent? Quid igitur dicemus, mentiriné scripturam, quæ mortuos appellat qui viuerent? an mentitur potius regula ista Iesuitica, quæ ex inhærentibus qualitatibus viuos iudicat, quos scriptura mortuos nominat? Hæc adeo inter se pugnantia, qua tandem ratione cohærebunt? nisi quod aliud sit viuere, mortuum ac iustum esse apud Deum: aliud apud homines. Plenissima sunt exẽplis huiusmodi diuina scriptur-

Ex qualitatibus iudicant homines at aliter iudicat deus.

ę

turæ volumina, tritaque illa & auribus & oculis hominum. Et tamen post hæc omnia, negant suaues isti Gymnosophistæ, *externam hanc attributionem vnquam à seculo auditam esse, vt à qualitatibus, quæ inesse possent, extrinsecus nomen rei aliqua sortiatur*. Itanè vero nunquam à seculo auditam? Quid ego audio? Itanè nūquam audistis aut legistis viri boni, in sacris dei literis hæc Apostoli verba? per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, & rursus, per obedientiam vnius iusti constituentur multi. Quid quæso hæc volunt verba per vnius inobedientiam multi peccatores. Per vnius rursus obedientiam multi iusti? An attributio hæc interna vobis videtur, aut externa potius? an rebellio illa Adami propria, an nostra erat? Si nostra, quo modo nostra, nisi per externam imputationem? Quid, cum hæc Apostoli verba auditis: Christū pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum. &c. Ecquid ex qualitatibus quæ inesse possent, vtrique accepimus, ille quod peccatum factus sit, vel nos quòd iustitia dicimur, efficimurque per illum? Quid porro, quum Publicanus in Euangelio iustificatus dicitur domum discessisse præ Pharisæo: quid causæ erat, quur iustificatus abiret iste, alter iniustus? nó equidem ex habitu iustitiæ inhærentis id factum arbitror, sed ex eo potius, quòd suam Publicanus iniustitiam confitebatur: ideo ex impio iustus fit: Alter, quia iustus sibi videbatur, ex falsa iustitiæ opinio-

2. Cor. 5.

Prouerb. cap. 18. opinione fit impius, testante scriptura sancta: Iustus accusator sui est, in principio sermonis. Et alio loco: dic tu peccata tua vt iustificeris. Merito itaque laudanda vox illa Augustini videtur Ea demum vera est ad perfectionem via, suæ cuiusque imperfectionis, & in veritate agnitio, & in humilitate confessio. Nec minus recte Bernardus, qui considerare nos iubet pharisæum illum orantem: non erat raptor, inquit, non iniustus, non adulter nec iciuniorum instudiosus, nec pauperũ immemor, nec deo ingratus. Quid igitur deerat? Nempe hoc deerat vnum, quòd quid sibi deesset, scire non studuit, sed exaggerauit meritum suum. Vacuus proinde rediit. Contra Publicanus, quia seipsum exinaniuit, vacuumque vas exhibere curauit, gratiam retulit veberiorem.

Aug. ad bonifac. lib. 3. cap. 7.

Bernard. in Annunciat. Dominic. Sermo. 3.

Quanam iustitia iustificamur coram deo, Christi, an nostra.

Ex his satis modò constare arbitror, quęnam hæc iustitia qualisque sit, quæ iustos nos apud Deum efficiat. Christine, an nostra? Si Christi sit, non nostra: quomodo iam ex operibus iustitiæ nostræ? Si nostra, non Christi: quomodo ex impio fit iustus? Si ex impio iustus fit, vt verbis dicã Augustini, quę sũt opera impiorũ? Iactet iã impius opera sua, Do pauperibus, nihil alicui aufero. &c. Impius ergo es, & nulla sunt opera tua. Hæc ille, falsum est igitur, quod negant isti, iustum externa iustitia posse aliquẽ appellari: nec minus asininum, quod rudunt isti Balamitæ *qui dictitant hominem esse iustum, idem esse, ac*

Aug. in psal. 31. in prolog.

Conf. Co. fo. 169

siquis

si quis diceret asinum asinina forma esse hominem. Cens. Fol. 169.
fide enim fideles, iusti ex iustitia dicimur &c. Sit ita sané, Iustus rectè dicatur nemo, nisi iustitiæ ratione: quid igitur, quum Christus nostra sit iustitiá, an non in ea sat positum est, quur iusti appellemur? An quisquam meliorem requirat iustitiam, quàm quæ Christi sit? Et quæ iam prohibebit quamlibet externa prædicandi formula, quo minus iustitiá, quæ Christi propria sit, nostra item dicatur, simulque nobis cum illo communicetur, præsertim quum totus ille noster exístat cum meritis, virtutibus, beneficiis, bonisque vniuersis? quæ licèt nobis ipsis propriè non insunt qualitates, at acceptę tamen ab illo in nostram paritèr transeunt possessionẽ. Sicut astrorũ et planetarum corpora, licet per se opaca, splendent tamen lucidaq; fiunt, non suo, sed ascititio lumine, solis videlicet beneficio irradiata. Haud aliter et nobis euenit vt iusti, reges, sacerdotes, filij et hæredes Dei efficiamur, non nostræ naturæ proprietate aliqua, aut operũ cõditione, sed quia filius & hęres ipse factus pro nobis peccatũ et maledictũ, non ab inhęrente sibi peccato, sed ab imputato, dicitur. Sed obsibilant hic iterum atq; iterum illoti isti sophistæ, nunquã hoc auditũ ex Aristotele, nec ratione cõsentaneũ esse, vt doctus appelletur, qui doctrinã nõ habeat, aut iustus, qui nõ ipsé sit iustitia prędituſ. Atq; verũ istud in virtute fortasse morali videri possit: nũc quũ duplex sit, vt dixi, iustitia, altera quam Ethicam vocant, altera

Christus totus noster cum omnibus suis bonis.

Argument.
Quemadmodum christus factus est peccatum, ita et nos facti sumus iusti.
Sed Christus non ab inhærente peccato, factus est peccatum.
Ergo et nos non ab inhærente iustitia iusti efficimur.
Iustitia, Ethica, et Theologica.

altera Theologica, illa in moribus, hæc in fide posita, longè alitèr de hac, atque de illa iudicandum est. Iustitia siquidem de quâ agit Aristoteles, vt virtus est moralis, distincta à prudẽtia, fortitudine, & temperantia, ita ad habitus animi & internas qualitates refertur, καθ' ἃς ποιοί τινες ἐμαι λέγομθαι, πρὸς φιλοσόφους.

Atque vt verum hoc aliquo modo fateamur, haud quicquam tamen nostram lædit causam, nec institutum imminuit. Quum omnis hæc susceptа à nobis eò spectat contentio, vt iustitiam exquiramus, non quæ virtus sit hominum moralis, sed quæ virtus spiritualis & donum dei existat, quæ non nostra, sed quæ Christi sit propria, vnde solus is sanctus, iustusque, nos in illo iustificati dicimur, non ratione operum, sed ratione fidei, quam Deus imputat in iustitiam credentibus in nomen eius. Hincque iustitia fidei rectè dicitur adeòque fides ipsa iustitia est, qua iusti coram deo statuimur, prædita non externa illa iustitia, de qua isti philosophantur, sed propria maximèque interna iustitia exculti atque, exornati. Quod quum ita sit, quis non videt falsum atque sophisticum esse, quod isti ex Aristotele assumunt: aut nos ex operibus iustificari, aut iustos nullo modo dicendos? Quid ita? *quia iustus nemo dici possit, nisi ex ea iustitia, quam suã quisque in se possidet.* Ita enim argutantur acutuli isti, qui gratuitam fidei iustificationem ferre nequeunt. Quibus vt respondeam, hoc primum ab ipsis

Iustitia fidei.

sis audire liceat. Vtrum fides, qua in Christum mediatorem credimus, virtus ipsis videatur, an secus? Si censeant: peto porrò moralisnè sit, an Theologica? Deinde vtrum interna, mentibusq; nostris insita inhæreat, an externa dicenda sit? Si interna res sit fides, eademque iustitia nostra existat apud Deum: quur non igitur legitima hæc argumentandi formula videatur, contra Iesuitas, qui negant nos alitèr, quàm iustitia interna & inhærente iustificari?

Iustitia interna et inhærens, qua iustificamur secundum Euangelium.

Argumentum.

Ma. Fides nostra iustitia est corã Deo:
Mi. Fides nostra virtus est interna, & inhærẽs.
Concl. Ergo: iusti coram deo interna & inhærente virtute efficimur.

Fides interna et inhærens maxime iustitia.

At obstrepunt hic rursus aduersarii, minimè quidem negare se, quin fides virtus in nobis interna existat, at quæ tamen fideles nos faciat, iustos non faciat. Quid ita? Quia à fide fideles, inquiunt, iusti non nisi à iustitia dicimur. O suaues homines & scitos. Quasi qui fideles sũt in Christo Iesu: nõ iidẽ etiã iusti existãt corã deo nostro, aut quasi nominibus solũ ista spectanda sint, non causis potius & effectis ponderãda. Et quid tum his Pauli verbis dicent, iustificati fide, pacẽ habemus apud Deum per dominũ nostrũ Iesũ Christum? Quod si posita causa, necessariò ponendus sit effectus, fidesque causa sit iustificans (testante Apostolo) qui fieri potest, vt qui à fide fidelium nomen ducant, non eadem ratione causam ipsam

ipsam iustitiæ accipiant, vnde iusti non dicantur solum, sed etiam re ipsa constituantur.

Atque hæc obiter contra Iesuitarum obiecta, qui quum ad dialecticas argumentandi formas diuina religionis nostræ theoremata exigunt tã acriter, par est, vt iisdem modis & ipsi eos irretitos teneamus, nosque ex ipsorum expediamus tendiculis, quoad licet. Hic igitur quandoquidẽ argumenta ad Aristotelicos modos conformata à nobis postulant tantopere, ita accipiant.

Argumentum.

Ma. Ex iustitia rectè & formaliter homines dicuntur iusti.

Mi. Fides Christi iustitia est à Deo nobis imputata. *Ergo,*

Concl. Ex fide rectè & formaliter homines iusti dicuntur apud Deum.

Rursus.

Ma. Qui iustè agunt, iusti dicendi sunt.

Mi. Qui credũt in filium Dei, iustissimè agunt.

Con. *Ergo,* Qui credunt in filium dei, iusti merito dicuntur.

Hoc est opus dei, vt credatis in eum quem misit ille. Ioan. 6.

Quid enim quisquam iustius agat aut sanctius, quã vt credat in vnigenitũ dei filium, eumq; fide tota amplectatur? attestante Euangelio. Hoc est opus dei, vt credatis in eum quem misit ille. Aut quæ porrò doctrina illustrior, quã Christum filium Dei, potentiamque mortis eius, & resurrectionis rectè cognouisse? Quæ notitia quãti valet apud Deũ, præ cæteris omnibus aliarũ artium disci pli-

diſciplinis, ex eo conſtare poterit, quod apud diuinum vatem de Chriſto prænunciatum accipimus. Et ipſe, inquit, ſeruus meus iuſtus in notitia ſui iuſtificabit multos. Quòd ſi in notitia tantum filii Dei ſtatuitur iuſtificatio noſtra, nec aliud ſit fides filii, quàm diuinitùs inſpirata ipſius notitia: quæ fides igitur tribuenda Ieſuitis iſtis Sophiſtis, qui neque externam iuſtificandi cauſam vllam admittunt, nec internam agnoſcunt aliam, præter hanc, quam ipſi in operibus conſtituunt. Age, & quid portò Auguſtini Argumento huic reſpondebunt.

Argumentum. Ex Auguſt.

Ma. Vnde ſalui, inde & iuſti ſumus.

Mi. Ex fide ſalui ſumus deo recõciliati, & victores euadimus, iuxta illud Euangelii. Hęc eſt victoria quę vincit mundũ, fides veſtra.

Con. Ergo: Ex fide iuſtitiæ nomen rectè nobis tribuitur teſtimonio Auguſtini.

Cæterum non tacebunt adhuc iſti graculi, qui neq; internam, neq; externam vllã ferũt iuſtitiã, præter hanc ſolam, quã ipſi in operibus, & legis obſeruatione deſcribunt: Idque hoc lemmate aſtruere conantur. Primum enim, quod ad fidem attinet, etſi virtus ea interna ſit, non aliter tamen iuſtificare eam, quàm ratione charitatis, contendũt. De Iuſtitia verò Chriſti ita diſputant, quoniam ea noſtra non ſit, ſed Chriſti propria, non eſſe proinde, cur ex ea iuſtitia quæ alterius ſit, quiſquam iuſti nomen ſibi vſur-

pare possit, lege nimirum Aristotelica. Quod quàm ineptum sit et pugnans cum fide Euangelica, clarissimis scripturæ verbis haud difficile demonstrare fuerit. Nam alioqui quorsum diuina dilectio Christum vnigenitum suum mundo dedisse in Euangelio atque in prophetis prędicatur, nisi opes illius omnes, virtutes, merita, quæcunq; denique illius bona, nobis paritèr cum illo communicare voluisset? vnde Paulus. Qui filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam non cum illo omnia nobis donabit? Quòd si igitur Christus à patre nobis datus, effusus, atque expositus, totus denique cum bonis, cum dotibus vniuersis noster sit factus. An quicquam iam in illo fuerit, siué sapientia, siué iustitia, siuè sanctificatio, siue vita aut victoria, siue mors, siue quiduis præterea aliud, quod non nostrum sit, quodq; non legitime iure nobis vendicare liceat? Si nostrum sit, qua igitur ratione à nobis alienum esse prædicant gymnosophistę isti? Qua de re ita argumentari liceat.

Ioan. 3. sic deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret vt omnes qui credunt in eum. &c.

Rom. 8.

1. *Cor.* 1.

Regula iuris, quod quis per alium facit, per se ipsum fecisse videtur.

Ma. Quicquid pro nobis fecit Christus, nostrum ducitur, haud aliter ac si à nobis ipsis factum esset.

Mi. Christus omnē impleuit iustitiam *PRO NOBIS.*

Conclu. Ergo. Christi omnis iustitia per fidem nostra est perinde ac si à nobis adimpleta fuisset.

CHRISTI

¶CHRISTI IVSTITIAM NOSTRAM ESSE IUSTITIAM EXEMPLO ADAMI CONFIRMATUR.

EXemplo fortassis res euadet dilucidior. Adamum spectemus atque in eo publicam naturæ nostræ calamitatem intueamur, simulque ex eadem ruina ab illo accepta, restitutam à secundo Adamo salutē vicissim cōtemplemur. Quod si enim contrariorum eadem sit disciplina & potentia, iuxta philosophos, facilius eo pacto licebit ex vnius malo alterius commoda æstimare. Vtrunque igitur cum altero Adamum componamus, primum illum de terra terrenum, cum secundo hoc, de cœlo cœlesti. Qui licèt inter se tota natura sint diuersissimi, singulari tamen dei consilio ita comparatum est, vt mira quædam inter res diuersissimas respondeat similitudo, ratioq; restitutæ nostræ salutis, cum accepti exitii ratione aptissimè cōueniat. Primum in eo, quód vterque generationis princeps extiterit & autor, ille quidem terrenæ, hic cælestis. Accessit deinde aliud, in quo typum ille ac imaginem Christi multò post venturi mirificè præferebat. Id qua ratione factum, rectissimè à Paulo ipso percipiemus. Sicut per vnius, inquit, hominis inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam, iusti constituentur multi: Idemque iterum atque iterum pluribus ingeminans verbis: Quemadmodam inquit, per vnum

Comparatio Adami et Christi

Adamus prior, typus secundi. *Rom. 5.*

hominem peccatum in mundum irrepsit, & per peccatum mors, in omnes homines peruasit, in quo ōnes peccauerūt. &c. Et mox: Quod si igitur per vnius delictū propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, itidem & per vnius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem vitę. Quid his Apostoli verbis explicatius? quorū omnis vis & summa huc reddit deniq;, vt doceat veram iustitię nostræ rationē non nostris deberi virtutibus, sed alieno merito acceptam referri oportere: huiusmodi nimirū sētentiam exprimens argumento.

Sicut per vnius delictum propagatum est malum, ita per vnius iustificationem propagatur bonum. Per inobedientiam vnius peccatores constituti sunt multi. Rom. 5.

Argumentum.

Ma. Qua ratione iustitia propagatur in mūdū, eadem ratione prouenit & iustitia.

Mi. Iniustitia propagata est per vnius tantum hominis delictum.

Con. *Ergo:* Et iustitia ex vnius tātum merito, deriuatur in ōnes fidei cognatione ad Christum pertinentes.

Siue vt crassiore adhuc minerua eadem hæc repetamus, in hāc si placet formā ratio cōnectatur

Aliter.

Sicut vnius peccato multi mortui, ita vnius gratia multi iustificati. Rom. 5.

Ma. Quo modo res habet inter Adamum & nos: eodem modo res habet inter nos & Christum.

Mi. Peccatum vnius Adami imputatum est in omnes posteros, etiam qui non prætergressi sunt cum ipso.

Concl. *Ergo:* Iustitia vnius Christi imputatur in

in omnes eius posteros, in eum videlicet credentes, quavis cū ipso nō obedierunt. Quæ cū ita per se conspicua sunt & dilucida, eò nunc rediit res, vt ad te redeamus necesse sit, Oso. optime, qui quòd Paulus tam copiosè et grauiter de imputatione differit, vel non satis attendere vel pernicioſè denegare videris. Quamobrem etiam atq; etiā te rogans, sacrā hāc, de qua scribis iustitiam atq; humanitatis tuæ æquitatē appello, vt defecatis paululū oculis, Apostolicę disputationis mētē, vimq; rationū penitùs inspectes. Ac primū id mihi videas velī, quid sit quod potissimū agat, quid spiret, quo tēdat diuinus Apostolus hac similitudine, qua Adamū simul cū christo cōparat, illūq; huius typū ac figuram proponit. Vbi verò Typus est, aliquid subesse, quod cōuenientia quadā similitudinis Typo respondeat, necesse est. Contrà vbi nulla conuenientia, ibi nullus est Typus: vbi nulla significatio, nulla illic similitudo cernitur. Nunc verò quū prior Adamus typum gerit & similitudinem illius sequuturi, in quo similitudo hæc consistat aduertamus. Quid in delicto propagando? Nihil minus. In natura ipsa personarum? Quid dissimilius? Vbi igitur similitudo? Nempe, non in personis, nec rebus ipsis, sed in modo tantum rei. Quis autem sit ille modus explicandum est. In eo siquidem omnis laborat nostra cum Papistis controuersia. Nam alioqui quod ad res ipsas & personas attinet, satis in eo quidem

Qua ratione Peccatum vnius in omnes imputatur, consimili ratione, iustitia etiam vnius omnibus imputatur. Alioquin, nulla esset inter Adamum et Christum similitudo.

Adamus typus Christi.

Similitudo Adami et Christi in quo consistit.

conuenimus. Neque enim quisquam est, qui de Adamo atque de Christo interrogatus, non id, quod res est, de vtroque respondeat, natura illum terrenum, vita peccatorem fuisse, nobisque non exemplum modo, sed causam etiam peccandi tabifico quodam naturę contagio attulisse. Contrà Christum de cœlo cœlestem, ab omni criminis labe purissimum, solum deniq; mundi seruatorem existere. De quo, ni fallor, vtrinq; conuenit inter nos & Antagonistas: Cæterum de modo, quo hæc ad nos siuè mala, siuè bona ex ipsis principiis proueniant, hic omnis vertitur inter nos contentionis materia. Vt multi enim sũt qui non alitèr nos reos putant, quàm quòd peccandi exemplo Adamum primum peccandi Autorem imitamur: ita permultos rursus videas, qui non alia ratione nos iustos deoque gratos existimant, quàm qua Christi sanctissima opera, purissimamque vitæ innocentiam gratia adiuti vel assequimur, vel quàm proximè eandẽ referimus. Qui etsi aliquid dicere videantur, nequaquã tamen in eo sunt omnia. Quamvis enim ad capessendam virtutem, vim habet non mediocrem recta institutio, commodèque adhibita imitatio, qua fieri possit, vt minus fortassis alii aliis scelerosi, laudeque pietatis cæteris quibusdam præire vtcunque videantur: at nunquam tamen id præstabit imitatio, aut disciplinæ vlla institutio, breuiter, nec vllus præterea modus ad hoc vnquam suffecerit, vt vel excutias cerucibus illud quod hausi-

Quæstio. Vtrum Adamus scelus ad posteros seminis propagatione, an sola imitatione, transmiserit.

Imitatio vitæ.

hauſiſti ex Adamo, vel vt id vnquam aſſequaris, quod in Chriſto fuit, hoc eſt, vt iuſtus appareas apud Deum, niſi Chriſtus tibi alio modo, quam tuis quātiſcunque conatibus ſuccurrat.

Quomodo, inquies? id indicabit tibi nemo felicius D. Paulo. Quo etenim modo te Adamus perdidit prior, eodem ſecundus Adam Chriſtus te reſtituit. Primus ille generis autor, te nondum nato, ſua, non tua rebellione, in radice occidit, in peſtem atque exitium pertraxit. In Adamo ſpecta Chriſtum, qui conſimili modo pro te natus ac mortuus, ſua innocentia, non tua, veræ te innocentiæ ac paradiſo reſtitutum denuò vindicauit. Vt igitur tranſgreſſio Adami tibi imputata eſt, qui non peccaſti, in ſimilitudinem tranſgreſſionis illius: ita iuſtitia Chriſti tibi imputatur, qui non operatus es in ſimilitudinem Chriſti. Quorum in altero ſpecta iudicii ſeueritatem, in altero pietatis excellētiam. Quod ſi cui in Adamo durum hoc fortaſſis aut mirum videbitur, vt ego ſceleris alieni pœnas luam, vtque plectantur alterius crimine ii, qui nihil admiſere (quo pacto enim non alieni, quum ego non meo, ſed parentis crimine iuſtitia ſpoliatus ſum?) Hic idem rurſus relicto Adamo, oculos ad Chriſtum reflectat, in quo prioris iuditii ſeueritatem, pari iterū pondere repenſat effuſiſſimæ clementię benignitas. Ex vno ſiquidem homine mors peruaſit in omnes, in eos etiam qui non deliquerunt. Et meritò. Quanquam non tam meritum hic ſpecto, modum

Chriſtus in Adamo ſpectandus.

Iuditii diuini ſeueritas in Adamo.

Pietatis rurſus excellentia in Chriſto.

Typus cum Archetypo componitur.

modum rei tantum expendo. Age igitur, componamus nunc Typum cum Antitypo. Ex vnius, vt dixi, inobedientia prodiit mors in omnes homines, qui minime illius exemplo peccauerunt. Id quod negari nō potest. Eodē modo ex vnius rursus iustitia, vita refunditur in omnes, qui illius similiter non operati sunt iustitiam. Quod pari ratione consentaneum est. Nam aliter Christus Typo suo respondere non potuisset. Hic iam cogita mihi, quisquis es, Christiane lector, vtrum in Adamo metuenda magis tibi diuina sint iudicia, in quo dei seueritas tibi nondum nato, imputauit quod non cōmiseras: an pietas magis in Christo domino diligenda, quæ non operanti, credēti verò in eum, qui iustificat impium, iustitiam tibi imputat, quam non promerebaris.

Ex quo vides, vir egregie, si Paulo Apostolo astipilandum sit, quam nulla fides astruenda sit tuo dogmati, quo sublata omnis imputationis gratia, miseris peccatoribus nullam præterea iustitiam reliquam facis, nisi quā suis quisq; benefactis sibi comparet. Quod quàm verum sit, expendamus ad locum illum Pauli qui te mēdatii ac pudendi erroris clarissimo hoc conuincat argumento.

Argumentum.

Ma. Qua ratione Christus factus pro nobis est peccatum, pari ratione nos iustitia Dei efficimur per Christum.

Mi. Christus factus est pro nobis peccatū, nō nisi sola duntaxat imputatione.

Concl.

Concl. *Ergo*: Nos iusti efficimur apud Deum non nisi sola imputatione.

Ad hanc tam illustrem apertissimæ scripturæ euidentiam, cedo per catholicam tuam charitatẽ, quid dices, aut quid finges, Oso. charissime. An non Apostolicis planèq; adamantinis te vinculis vndiq; constrictũ vides? Quam nunc igitur strophã, quã elabẽdi rimulam reperies? Christus pro nobis peccatum efficitur. Quam ob rem? vt nos efficeremur iustitia dei per illum. Ait Apostolus. Tu negabis? Non opinor. Quonam igitur modo factus ille peccatum? perpetrando nè dices? Minime. Imputatione igitur? sine dubio. Rectè quidẽ. Quod si peccator ille alieni imputatione peccati efficitur apud Deum, qui peccatum non nouit: quid an non eadem pietatis & imputationis dispensatione nos iusti similiter apud Deum efficiemur, qui sumus natura iniusti? Quid quæso obstabit, quin vt vnius rebellio sit omnibus nobis imputata ad interitum, eadem rursus ratione vnius obedientia non omnibus similitèr imputetur ad salutem? Quid hic non mihi, sed quid Paulo respondeas, cogitet tua prudentia. Sed age, vt planius istud intelligatur. Primum communem hanc & fatalem cunctis incumbentẽ mortalibus moriendi necessitatem vides, quæ æquo pulsat pede pauperum tabernas, regũq; turres. Nunc igitur scire abs te velim, vnde causa hæc & necessitas moriendi, vim primum ac initium grassandi cœpit? Nostrané an aliena culpa?

Christus imputatione peccator. Itidem & nos imputatione iusti

Non

Non nostra dices. Quid si enim teipsum in primis crepundiis mors abripuisset. Nihil tum ipse commerueras. Et tamen non eras ea tum conditione natus, qui mori potuisses. Certè multi quotidie infantes, & insontes abripiuntur nihil ipsi quidem commeriti, at ea tamen lege nati, vt mortales essent morique aliquando debuissent. quid ita obsecro? nisi quia ab illo prognati sunt cuius vnius transgressio imputata sit omnibus ad luendum mortis supplicium, ita vt satis iam causę id habeat ad moriendum, quòd ex eo nasceris, qui mortem commeruit. Dura satis lege, inquies. Idem & ipse tecum dicerem, nisi eadem sempiterni numinis iustitia duræ huic calamitati par rursus remedium opposuisset, iustam seueritatē pari pietate pensans, atque etiam superans. Quo modo inquies? Eo nimirum modo, quem indicat hoc loco D. Paulus, Qui non nouit, inquit, peccatum, factus est peccatum pro nobis, vt nos efficeremur iustitia dei per illū. Quid istud quęso est, fieri pro nobis peccatum, nisi pœnam subire peccatis nostris debitam? Quam si dignatus sit clementissimus pater, in filium vnigenitum, nullo suo merito, sed nostra solum causa transferre, fieri certè non potest, nec diuinæ æquitati consentaneum est, ac ne rationi quidem, vt & filium suum simul & nos ipsos, pro commissis nostris vindicet, quin ex iis duobus alterum consequatur necesse sit, vt si dependit pro nobis Christus, vel in nobis nihil habeat iam iustitia, quod accu-

Mors ab vnius peccato non multorum, initium grassandi accepit

Iustitiæ gratuitæ pari rursus pietate pensata ac superata.

2. Cor. 5.

set:

fet: vel si habeat, iam igitur falsum sit, quod apud Paulum hoc loco dicitur: factus pro nobis peccatum Christus. Falsumque illud, quod audimus apud Prophetam: Et iniquitates eorum ipse portabit. &c. Quo modo enim portauit ille, si nobis adhuc portanda permaneant? vnde rectissimè concludens Apostolus, ratiocinatur in hunc finem: vt nos efficeremur, inquit, iustitia dei per illum, acsi diceret: Quemadmodũ portauit peccata nostra Christus, ita & nos illius portamus iustitiam. Affectus est ille supplicio pro peccatis nõ suis sed nostris, ititem & nos iustitia afficimur, non quæ nostra, sed quæ illius existat. *Esai. 53.*

Sanguis redemptionis cum iustitia congrediens, iustitiam tamen non violans, sed redimens.

Qua in re admirabile cernitur redemptionis nostræ opificium: vbi cum iustitia congrediens, ita certat pietas, vt vincat etiam, at quæ ita vincat tamen, vt nulla interim fiat iustitiæ violatio, sed iusta pro peccatis compensatio. Quàm enim iniustum est, vt ipse qui immunis à peccato esset, peccati lueret supplicium pro noxiis: tam rursus iniustum est, vt scelera nostra iam in illo pro nobis expiata, in nobis iterum reposcantur in iuditium condemnationis. Diuersaque ratione, quã id iustum erat, vt vnius labes, qui totius naturæ personam sustinuit, in omnes promiscuè diffunderetur ex se natos, publicæque tribueretur condemnationi: tam id rursus iustitiæ consentaneũ est, vt obedientia vnius, qui omnium causam & personam obierat, omnibus similitèr ex se renatis cederet in iustitiæ imputationem. At enim tu con-

contrà contendis, minimè æquum id videri, vt aliena quisquam iustitia iustus videatur, qui sit ipse in se iniustus. Respondeo vicissim, sicque contendo, neque æquum id erat, vt Christus innocēs in mortis condemnationem demergeretur, qui esset ipse in se expers omnis maculæ. Tu mihi obiicis definitam iustitiæ naturam: quæ quum virtus sit, cuique iuxta suam dignitatē tribuens, fieri proinde non posse arguis, vt hominibus quibusq; non æquo iure demetiatur, quęcūq; ipsorum meritis debeantur. Esto sane, & cur non eadem hæc igitur iustitia, ô bone, Christo filio dei secundum suam dignitatem distribuit? cur innoxius plagis afficitur? cur suppliciis īmeritò laceratur? cur præter dignitatem, præter ius & fas in mortis iuditium trahitur, innocens in crucem distenditur? Quid hic mihi respondeas? quid ais? quid habes quo distributiuam iustitiam hanc tuam tuearis? Imo quid ipsamet rerū omnium exactissima perfectissimaque toties, tot in libris deprædicata tibi iustitia pro sese afferet? quod tantæ acceptæ iniuriæ possit probabiliter obtendere: nisi vt hoc solum dicat, nos nostraque omnium peccata in vno hoc innocentissimo illius corpore, pœnas persoluisse, meritisque suppliciis iustissimé à Deo vindicari.

Responsio.

Singularis summi numinis prouidentia in temperando redemtionis nostræ negotio.

Quod nisi rita haberet, peccasset ipsa quidem in eum iustitia iniustissimè. Nunc ea rem moderatione temperauit singularis altissimi artificis prouidentia, vt & gloriæ sui filii, & nostræ

noſtræ ſaluti, pariter & ſuæ iuſtitiæ conſultiſſimè proſpexerit : ita vt nihil ſit, in quo vel iuſtitia illius incuſari poſſit : neque in nobis quicquam inueniatur, in quo lex ipſa iuſtitiæ meritò nos condemnet, vnde rectè ab Apoſtolo nulla dicitur iis condemnatio, qui ſunt in Chriſto Ieſu. *Rom. 6.*

Nam alioqui quorſum mortuus eſt Chriſtus, ſi pro peccatis & peccatoribus non ſit mortuus, aut quo modo pro peccatis mortuus ille, ſi peccati pœna nobis adhuc luenda ex integro maneat ? Quomodo factus ille peccatum pro nobis & maledictum, ſi nos adhuc execrationi ſuccumbimus ? aut quis denique omnino fructus ex ſacratiſſima hac litatione ad nos rediturus, ſi quod peccatis noſtris lege iuſtitiæ debetur, Chriſtus iure redemptionis non ſuſtulerit ? Sin autem ſuſtulit, vbi debita ergo peccatoribus condemnatio ? Loquor de his peccatoribus qui à peccatis ſeria pœnitentia conuerſi, fide ad Chriſtum confugiunt. Cæterum iamdudum audire videor, quid hic nobis obmuſsitet tua theologia : Nempe mortuum pro nobis Chriſtum noſtramque in eo iuſtitiam repoſitam minimè negabis, *at ita tamen, vt hæc illius beneficia præmiaque iuſtitiæ non fide nec imputatione, ad nos perueniant, ſed operum ſtudio & ſanctitate, quam Chriſti meritis donatam ex-*

Chriſtus peccatores iuſtificat, ſed quos.

Oſo. de iuſt. li. 7.

gratia-

ex gratuito dei munere in hac vita accipimus. Itaque quòd tenebris olim inclusi, & vi mortis extincti, nunc mortis tyrannidem effugimus, quòd diuina iustitiæ munera prius amissa atque è manibus elapsa nunc recuperamus quòdque vitæ præmium virtuti propositum consequimur: id totum in eo positum esse, vt quicquid habemus à primo parente, penitus abdicemus atq; relinquamus, nosq; totos ad secundi parentis similitudinem atq; imitationem transferamus. Ita demum futurum, vt immortales & diuinas opes atque sempiternam gloriam nobis veramque iustitiam tandem cum sempiterna laude comparemus, non nostris quidem meritis, sed Christi solum virtute, qui hac omnia in nobis operatur.

Omnis salutis nostræ ratio non alia in re, nisi in imitatione Christi, atque exprimenda eius similitudine posita iuxta Osorium.

Ergo iuxta hanc Theologiæ rationem, Christi merita haud aliud in cœlo efficiunt, nisi vt diuinam nobis gratiam concilient, qua Christi secundi parentis nostri sanctissima vestigia atque similitudinem facilius imitando referamus, legibusque illius vitam hic rectè instituamus. Age, & quid si passibus non æquis vestigia sanctitatis illius assequi liceat? quid si vacillet aut titubet nonnunquam imitatio? quid si remittat se plus æquo charitatis feruor, sanctissimæ religionis studium, cultusque iustitiæ? imò quid si obrepat alicubi, vt fert, infirmitas, peccati labes? Aut quid si, vt verbis vtar Hieronymi, qui aduersus flumen lembum trahit, manus remiserit paululum, an nō ilico relabitur, & fluentibus aquis, quò non vult, du-

Hieronym. ad Ctesiphontem dial. 3.

ducitur, & quis non remittit aliquando: cum & Paulus, eò quò non vult, duci se quandoque fateatur. Age, & vbi sperata iam ex operibus iustitia? vbi proposita virtuti immortalitas? Certè nisi melior patris clementissimi pietas, rebus nostris consultum ita voluisset, vt in filii iustitia, non nostra, sarta tectaque salus nobis reconderetur, nosque non fides & imputatio magis, quàm vitæ imitatio subleuaret, satis misero nimisque lacero fundamento res nostræ constitissent. Sed deo optimo maximo omnis misericordiæ patri perennis sit gratia, qui pro ineffabili sua sapientia; quæ pertingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, non lege aliqua operum opes firmauit nostras, sed fide, quò secundum gratiam firma sit promissio vniuerso semini, vt quamvis ipsi imbecilles, omnique iustitia deserti simus, satis sit tamen, vnum esse nostri generis qui omnem compleuerit iustitiam, vnusq; pro omnibus iustus existat. Quo modo inquis, pro omnibus? Quî minus, quàm vnius olim Adæ iniustitia sat fuerat omnibus ad ruinam? In Adamo igitur spectemus Christum, alterumque cõponamus cum altero. Qui licèt inter se longé dissimiles fuerint, in hoc tamen conueniunt, quód quum vterque princeps generationis fuerit, pari similitudine, ab vtroque velut autore quiddam profectum est, quód in omnes homines dimanauit. Mors videlicet & vita: peccatum, & iustitia. Perdidit itaque vnus omnes: seruatque similitèr

Qua ratione conueniat Christi et Adami similitudo.

Mors, peccatum ab Adamo.

vnus omnes. Neq; hoc ipse negas, Sed quo modo perdit ille, quo modò hic conseruat perditos, videamus. *Illius inquis, non nostro scelere peccati labem nascendo contraximus.* Sunt hæc tua ipsius verba. Quæ vt lubēter accipio, ita si vera sint, sic; ille Typum hoc modo gerebat Christi, quod ex Paulo ostenditur, quid obstat quo minùs & nos non nostra, sed ipsius similiter obedientia, iustitiæ præmiū renascēdo cōsequamur? peccauit ille ōnesq; scelere suo pessūdedit. Obediuit iste, suaq; iustitia ōnes iustificat, ac seruat. Verū, dicis, si modo ad illius imitationē atq; exemplū vitam rectè instituamus. Et vbi tum similitudinis cōueniētia inter Christum & Adamum, si hic nos nascendo perdidit, vt ipse fateris, Christus nos renascendo seruare nō poterit, nisi accedat imitatio. Age, & vbi iā imputationis gratia, fideiq; imputatio ad iustitiam toties in scripturis repetita, ab Apostolis edocta, á vetustissimis patribus testificata, ab ecclesia recepta & tradita? Quid an satis hoc causæ habet ad infligendam coporis tui mortem quòd ex Adamo nasceris: & non satis habebit causæ ad animæ iustificationem, quòd in Christo renasceris? Quid ais? An nulli moriuntur, nisi qui Adami exemplo delinquunt? An nulli seruabuntur, nisi qui sanctissimas Christi virtutes digna imitatione sint assequuti? Et quid igitur fidei sacramentum, Baptismus regenerando efficit, si non alia re paratur salus, nisi calcandis Christi vestigiis?

Osor. de iust. li. 7. pa. 179. Osorius Osorio opponitur.

Nascendo solum ex Adamo perimus: Et quur non renascendo æque ex Christo seruamur.

IOB.

¶ OBIECTIONI OSORIANÆ respondetur, vbi de imitatione Christi copiosius.

QVid autem, an non præclarum, inquies, an non pium est, an non cuique etiam perneccessarium, qui vitam & salutem charam habet, qui gloriam immortalem spectat, qui stabiles atque sempiternas voluptates requirit, vt quantum possit sese à terreni patris imitatione seiungat, totumque se ad cœlestis exemplum formet & fingat? Quis id negat aut nescit, Osori? Quis ab omni non religione dico, sed mente vnquam tam semotus fuit, qui non vltro totoque pectore id tibi fateatur, quod vt persuadeas, tanto ipse molimine, summa ingenii contentione, vim ac diuinosin orationis, quantam possis maximam non explicas modò, sed exhauris etiam. Primũ quid ab vtroq; parente accepimus, de quo tam prolixé disputas, quis tam infans qui ignorat? In quas prior ille nos fraudes, angustias, in quod barathrum malorum coniecit, res ipsa, rerumque omnium experientia nimium clamitat. Ita ex altero rursus parente, quot quantaque bona sunt consequuta, nemini obscurum arbitror. Cuius si res pro nobis gestas spectemus, quid excellentius? si beneficiorum magnitudinem, quid diuinius? si vitam ipsam omni virtutũ maximarũ puritate vndique perfectam, quid admirabilius? Ad cuius

Obiectio Osor. Pag. 180. Responsio.

exemplum tanquam ad perfectissimam regulã imitandam, quandoquidem nos euocas tam sollicitè, nequeo quin tuam in eo & pietatem lubẽs amplectar, simulque gratias hoc nomine agam diligentiæ. Idque tanto etiam impensiùs, quanto magis nunc istiusmodi stimulis egeat temporũ horum infelix calamitas, quæ nescio quo pacto obliteratis cœlestis Adami vestigiis, ad terrenũ denuò parentem tota conspiratione degenerasse videantur. Quo magis his moribus & temporibus optarim, vt quæ de exemplo Christi sequẽdo, de morte eius exprimenda, de vita illius diuina imitanda rectissimè abs te disseruntur, non aures modo hominum, sed intimos etiam animos penetrent. Quid enim vel pro consilio grauius, vel pro tempore oportunius, quàm quod ipse effusa verborum amplificatione exaggeras tantopere, vt pro sua quisq; virili Christum omnis virtutis vnicum exemplar, vitæque magistrũ sibi ad imitandum atque exprimendum proponat, vt profligatis pristinæ naturæ sordibus & reliquiis, omnes impuritatis labes forti & masculo animo repellat quam longissimè. *Quoniamque nobis mediis, vt ais, esse nõ licet, restat igitur vt deserta corporis factione, ita sub Christo principe militemus, ita corpus ipsum vi salutaris crucis subigamus, ita corporis omnis in nobis rebellio concidat, vt effrenata hæc cupiditas, quæ sempiternas cum deo inimicitias gerit, cedat tandem illius imperio, nec vllum denique studium aut laborem quantumuis*

Imitatio Christi cunctis per necessaria.

uis grauem aut acerbum in sanctissimo hoc iustitiæ cultu, Christique imitatione remittamus.

Hæc vt sanctè non minus quàm disertè abs te proposita sunt, optime Osor. ita vellem equidem eadem hęc de imitando consilia, in aures Romanorum præsulum & Cardinalium, istic similiter tua occineret Rhetorica: vt hi abdicatis fluxis & caducis huius mundi opibus, quibus præter omnem professionis suæ modum, supra regalem etiam magnificientiam diffluunt, de Christi aliquando paupertate cogitent: vt terrenas possessiones, congesta latifundia, diademata, cæteraq; regalia, ad exemplum non veterum dico philosophorum, sed ad sanctissimorum Apostolorum τὴν ἀυταρκείαν, diminuant, vt luxum strepitumque vitæ huius, glorias, delitias, ampullas, seriò abiicientes, desinant tandem συσχηματίζεσθαι τῷ αἰῶνι τούτῳ: vt posito fastu omnique superbia vitæ, ad Christi humilitatem cristas demittãt, spiritus animosque surgentes comprimant cõponantque: vt deposita hac pontificia ferocia ac tyrannide, discant cum mitissimo Christo mansuescere. Discite inquit, ille, à me, quia mitis sum & humilis corde. Non postulo vt pedes pauperculorum Christi exemplo, eluãt Romani isti flamines: Hoc postulo, ne sanguine suorum fratrum manus ipsi homicidas cruentent, non vt aquam præbeant refocillandis Christi discipulis, sed ne flammas ac faces exurendis corporibus accumulent, ne insidias comparent, consilia agi- *Mat.* 11.

tent,dolos struant,ne pestem & exitium machinentur,ne tela armaq; submini strent occidendis iis,pro quibus occisus est Christus,à quibus neq; ipsi vnquam sunt læsi.

Si exemplum à Christo petendum sit : quid quæso,diuinus ille parens atque autor nobis cõmendat magis,quid integra illius vita spiret aliud,quàm mutuam charitatẽ, cum erga amicos, tum inimicos etiã? Quippe qui non solũ calamũ quassum ac protritum ipse non atterit,sed in cruce orat etiam pro crucifigentibus. Habemus itaque exemplum eximiè quidem præclarum, quod imitemur. Habemus cum exemplo simul coniunctam Apostolicæ vocis commendationẽ, qua charitas vinculum appellatur perfectionis. Quin nec ipsa etiam deest theologorũ prædicatio,qui passim in libris,in diatribus, in concionibus tantum tribuunt charitati, vt fidei formam, ἐντελέχειαν, vitamq; ipsã esse doceant: sine qua, nulla vis sit alia,quæ saluti prosit . Age & quo modo nunc hi ipsi rebus ipsis & factis charitatem hanc exprimant,non est quòd ego hic multis aperiam,quũ tot vbiq; in oculis sunt argumẽta,tot testentur occisorum hominum myriades, tanta vis profusa Christiani sanguinis , tãta gliscẽit vbiq; persequendi rabies. A cæde, furore, tumultu,insidiis,dissidiis,periculis, flãmis, facibus, conspiratis consiliis, articulis inquisitoriis , vinculis, carceribus nihil vndique tutum . Hinc Turca ferro grassatur : Hinc fumis ac rogis. Sæuiunt

Charitas vinculum perfectionis. Colos. 3.

Charitatis quam nullum apparet vestigium in Romana tyrannide.

Sæuiunt Romanæ curiæ patres patrati : Primum leges sanguine scriptas condunt, quas deindè Monarchis politicis promulgandas, cæterisque lictoribus exæquendas ex officio mandãt. Mox ad quęstiones, deinde ad necem, ad supplicia raptantur honesti ciues, ministri docti, si quis vel leuitèr aduersus manifestos errorum abusus hiscere sit ausus. Nec ætati, nec sexui, nec conditioni parcitur. Sic nimirum charitatem Christi imitantur, sic vitam eius diuinam sequuntur, sic mortem referunt, sic mansuetudinẽ exprimunt, sic imaginem gestant diuini parentis, sic denique à terreni parentis imitatione, sese totos & plusquã totos ad cœlestis exẽplũ formant. atque fingunt puri puti isti Romano catholici proceres. Qui iure merentur audire à domino : vos estis qui iustos vos esse dicitis coram hominibus, sed deus nouit corda vestra: quia quòd apud homines excelsum est, abominabile est corã Deo. Quòd si verò tantum ab eo sanctissimi absunt pontifices, purpurati Cardinales, sũmates ipsi ecclesię, cum vniuerso vestro hoc Episcoporum ordine, cumq; arctissimis illis monachorum regulis, qui loco, dignitate, professione, proximum Christi circulum attingere, vicesq; in terris ipsius referre videntur, quid erit tãdem, vel quod de reliquo multitudinis vulgo speremus, vel quod quisquã sibi salutem, in exprimendis Christi vestigiis polliceatur? Sed de hac querela alia quæretur, donante domino oportunitas.

Leges pontificum sanguine scriptæ.

Ad te nunc, Ofor. redeamus; Cuius tam pia hæc disertaque hortamenta, de induendo & imitando Christo, adeò mihi non improbantur, vt cupiam quàm fixissima mentibus hominum insidere, quæ admoues. Vt enim nihil in sanctissimis Christi moribus elucet, quod non exemplo sit dignissimum, ita nulla officii pars cuique christiano conuenire magis videtur, quàm vt omnes summa ope ad referendam imaginem nobis propositam contendere adnitamur. Præsertim quũ D. Paulus tam grauitér, idque non vno loco, huc nos euocat, qui inita vtriusque parentis collatione Adami simul & Christi, quid de vtroque accepimus disertè indicat. Per hominem, inquit, 1. Cor. 15. mors, per hominem resurrectio ex mortuis. Et mox paulò ea de re pergens: primus homo de terra terrenus, secundus homo, Dominus ipse de cœlis. Denique in hanc concludens sententiam, nosque ad obedientiæ exemplum cohortans, subinfert: Sicut gestauimus, inquit, imaginem terreni, gestemus & imaginem cœlestis. Quin nec multum à Paulo discrepans Apostolus Petrus, 1. Pet. 2. exemplum omnis tolerantiæ Christum ipsũ proponit: quia & Christus, inquit, passus est pro nobis, exemplum relinquens, vt sequamini vestigia illius, qui peccatum non fecit, qui cũ malediceretur, non regessit maledicta, cum pateretur non comminabatur, sed omnem vindictam reliquit patri, &c.

Quòd igitur cum beatissimis Apostolis, de con-

consectandis Christi vestigiis contendis, tam acriter in eo te perlibenter & audimus & assentimur. Quòd autem omnem salutis nostræ dignitatem in eo constituis, quòd ad vnum hoc caput vniuersas dei erga nos promissiones reuocas, perinde quasi nulla sit iustificationis causa, nisi quæ solum in præceptis institutisque vitæ sit posita, in eo longè quidem extra oleas sanæ & Apostolicæ doctrinæ pretercecta tua videtur oratio. Etsi enim permaximè id refert, vt studia officiaque vitæ omnia ad illius imationem componamus: at non ideo tamen salus nobis promittitur, quòd ad rectitudinis normam hanc actiones nostræ respondeant: nec quia cum virtute viuimus, idcirco iustitiæ titulus nobis imponitur, sed quia factus sit ipse pro nobis iustitia: neque verò imitando, sed renascendo iusti, apud deum euadimus. Quemadmodum vitio olim non nostro, sed Adami, non imitatione, sed stirpis propagatione imputata est nobis peccati illius labes in condemnationem mortis. Ita secundi Adami virtute, non nostra, renascendo, non imitando imputatur nobis iustitia, ad iustificationem vitæ: Neque tamen proinde consequitur, Christi exempla non esse nobis ad imitandum proposita. Aliud est à causis ad effecta, aliud ab effectis ad causas ratiocinari. Quòd si causa quæritur, quæ nos iustos statuat apud Deum, respondebit Paulus, Externam quidem esse Christum, qui factus est pro nobis peccatum, vt nos iustitia dei efficeremur

Ad imitationem Christi promissiones Dei non alligantur, sed ad fidem.

Adami primi et secundi collatio.

Causa iustificationis externa Christus.
Interna fides, in Christum.

remur per illum: Internam verò, fidem esse nostram in Christo, quæ credentibus in eum imputatur ad iustitiam. Quæ autem effecta sunt causæ huius, si roges: quis nescit fructus esse piorum operum, hancque ipsam Christi imitationem, quam tantopere nobis deprædicas, & meritò quidem. Quis enim Christianum se rectè dixerit, vt rectissimè prædicas, qui non omnem animi conatum huc comparat, quantum possit, vt sese à terreni parentis omni societate seiungat, totũq; se ad cœlestis exemplum formet atque fingat. Sit hoc ita Osor. ita vt est, verissimum. Non enim quod rectè assumis, id improbo: sed quod perperàm hinc colligis, illud refello. Sic enim concludis, *omnia scilicet in hoc posita salutis nostræ præsidia contineri, vt pio labore & industria nostra regnum dei nobis paremus: qui affirmant fidem solã sufficere ad salutem, insanire eos egregiamque operam antiquo illi serpenti nauare: prorsus inutilem omnem esse actionem, quam suscipimus, si fides sola sufficiat.* In hanc enim summam vniuersæ tuæ contentionis definit Epilogus. In quo quid aliud quàm imperita quadam rerum perturbatione, nulloque disputandi ordine, causas in effectus, effectus rursum in causas vertis. Quid? cum monet Apostolus, vt Vxores subditę sint suis viris, eorumque agnoscant autoritatem, quemadmodum Ecclesia subiecta est Christo suo sponso, an ideò quæ legitimo coniugii fœdere adiuncta est marito, non prius Vxor erit,

Effecta, causæ.

De iust. lib. 7. pa. 187.

Argumentum ex similibus.

erit, quàm acceſſerit debitæ obedientiæ teſtificatio? Sic ſolent liberi ingenuis prognati parentibus, non corporum modo lineamentis, ſed morum etiam ſimilitudine aliqua eos referre, à quibus procreantur, quid ſi aliqua parte minus reſpondeat effigies? quid ſi mores diffluant? quid ſi talis contingat filius, qualem depingit nobis Euangelica parabola, qui deſerto patre nullam præſtat officii partem, an ideó deſinet eſſe filius? aut an quiſquam ex vitæ meritis vnquam conſequetur, vt filius ſit, qui natura ſit ſeruus? *Luc.* 18.

Quorſum tandem iſta, inquies? Nempe vt exemplis his intelligas, ex cauſis pendere effecta, non ex effectis cauſas gubernari. Exhibet honeſta matrona, quam debet viro ſubiectionem, præſtatque viciſſim ille ſuum in fouenda coniuge officium. Sequuntur iſta quidem nexum coniugalem, minimè certè efficiunt. Nec ſecus res habet in ſpirituali propagatione, quæ tanquam altera natura nos Chriſto regenerat, velutq; nouas creaturas in filios dei transformat. Cuius rei ſi cauſa quæritur, non opera, non ſpes, non charitas, ſed ſola in Chriſtum fides: non imitatio aliqua, ſed baptiſmus fidei nimirum ſacramentum id præſtat. De quo Paulum apertiſſimis verbis teſtantem audiamus: Omnes, inquit, filii dei eſtis, per fidē in Chriſto Ieſu. Quicūq; in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Qui Chriſto indutus incedit, quid illi ad

Fidei ſacramentum baptiſmus. *Galat.* 3.

ad decus ad ſpendorem omnem iuſtitiæ deeſſe poterit? quid ad ſempiternæ vitæ ſecuritatem quiſquam amplius deſideret? Quid ſublimitate immenſius? generis nobilitate ſublimius? celſitudinis dignitate excellentius? quàm in Dei prępotentis, qui omnia poteſtate complectitur, non ſeruos modò, aut clientes, ſed in filios etiamque hæredes cooptari? Quo modo autem tot iſta, tãtaque bona nobis obueniant, ſi doceri poſtulas, Reſpondet Paulus, per fidem, inquit, in Chriſto Ieſu, omnes filii eſtis. Si filii, ergo ſecundum promiſſionem hæredes. Quando autem id fit, vtrum poſt operum merita, an ante opera, ſi petis, Docebit idem ipſe Paulus: quamprimum, inquit, baptizatus es, Chriſtũ induiſti. Cui & ſubſcribẽs Chryſoſtomus. Quamprimùm, inquit, homo crediderit confeſtim ſimul iuſtificatus eſt. Quod ſi verum ſit, falſum proinde, quod tua fert poſitio, *quæ totum in eo poſitum eſſe dicitas ad ſaluẽ conſequendam, vt nos totos ad Chriſti ſimilitudinem transformemus. Rurſuſque quum nullam nobis viam aliam ad ſalutem munitam omninò eſſe contendis, quàm quæ diuina lege continetur.* Idemque alibi, vbi pleno ore aſſeueras, *maximarum virtutũ meritis aſcẽſum in cœlum dari, ſempiternique regni ſedes eſſe iuſtè atque meritò ſanctis & caſtis hominibus attributas. Ita ſiquidem fieri, vt iuſtis hominibus regnum illud immortale, non ſolum vt merces & præmium, ſed etiam vt legitimum patrimonium, patris ſapientia & benignitate fundatum opti-*

Fides in Chriſto quid præſtat, iuxta Paulum.

Galat. 3.

Chryſoſtom.

Oſo. de inſt. lib. 7

De iu. l. 9. p. 232.

De iu. l. 6. p. 148

optimo iure debeatur.

Quæ omnia vt præclarè abs te posita, speciem nonnullam veri procul ostentare videntur, si ad platonicam tuam iustitiam, aut ad statum illum primæ nostræ innocentiæ referantur. Nunc verò in læsa ac perdita hac natura, nullum omninò locum habent, nisi vt omnem prorsus aditum in sempiternas regni sedes omnibus intercludant. Scio quidem castis & sanctis hominibus, vt ais, legemque inculpatè colentibus, optimo iure deberi immortale iustitiæ præmium. Sed scio rursus, legem non perficientibus regalem, secundũ scripturas, æterna deberi gehennæ supplicia. *Iacob. 2.* Quid hic agas, ô bonè? quid platonica hic tua profuerit philosophia? Non ignoro, quid diuiti illi pharisæo dictum sit à Domino: Si vis in uitam ingredi, Serua mandata. Verum id quidem est. *Mat. 12.* Tu igitur præsta, Osori, quod iussus est ille facere, vende quæ habes omnia, & da pauperibus, nudusque Christum sequere. Sin minus, quid restabit expectandum tibi aliud, nisi cum illo vt simul pereas? Nunc verò alia ratione consuluit infirmitati nostræ diuina benignitas, quæ non modo iustitiæ suæ ornatum, sed totum etiam Christum suum nobis induendum imposuit, quò non solum nudus Christum iam consectari queas, sed vt Christus etiam totus in te ipso viuat, totus te vestiat, teque insuper filium dei per fidem cõstituat.

Quid ergo, inquiet aliquis, an non his, qui Christo

Renouatio spiritus sancti, quid in nobis efficit.

Christo fidunt, tribuitur spiritus sanctus, qui noua luce mentes perfundat, qui corda renouet, operum bonorum opibus, donis ac muneribus abundè cumulet, omnique virtutum genere amplissimè exornet? Quid an bona illa opera sanctissimi spiritus afflatu susceptа, nihil efficient apud Deum, nihil ad iustitiam conferent? nullum vsum neque locum in præmii ratione ferēt? Nam eò niti omnis tua videtur ratiocinatio. Vbi in hæc verba scribis: *Si fidem diuinis promissis adhibemus, præsidium repentè diuinum consequimur, quo facillimè omnia, quæ sunt nobis imperata faciamus, atque ita salui simus.* Moxque paucis interiectis. *fides, inquis facit vt dei legem in animo incisam habeamus, atque ita sempiternum salutis fœdus cum domino faciamus. Itaque cum habemus dei legem intimis animi sensibus inclusam, euenit, vt compressa cupiditate, extincta libidine, sublata contumacis animi prauitate, fiat repente animus ipse spiritus diuini sacrarium, & omni mente in ipsius diuinæ legis studium incitetur, atque vt vno verbo dicam, iustitiæ diuinæ magnificentiam & decus comprehensum animo contineat.* Et Paulo inferius: *?deò ex fide, inquit Paulus, vt secundum gratiam firma sit promissio. Qualis tandem est ista promissio? vt qui cum fide Christi ad Deum accesserint, & scelere soluantur, & execratione, qua fuerant diuincti, liberentur, & dei legem habeāt in animis inscriptam, & spiritus sancti numen comprehensum animo contineant, & vitam*

Osor. de iust. li. 9 pa. 233.

De iust. lib. 9. pa. 234.

eam nullo flagitio contaminent : sed eam dei lege moderentur, aut quemadmodum est apud Ezechi. elevs, in dei præceptis ambulent, & opera sancta & præclara perficiant, vt denique iusti sint. Huc enim omnia promissa diuina referuntur. &c.

Quid audio? Itane, huc omnia diuina promissa referuntur, vt nisi seruata lege, nulla sit iustitiæ spes, nulla salutis ratio, nulla nobis reconciliatio, nec peccatorum constet remissio? Et vbi pax igitur illa cum deo, quam prædicat Apostolus: Iustificati fide, pacẽ habemus apud Deũ, per dominũ Iesum Christũ? vbi accessus ad thronum cum fiducia? vbi spes gloriæ, beatitudo, benedictio, hęreditas vitæ æternæ κατ' ἐπαγγελίαν si nõ aliter, te quidem autore, hæc obueniant bona, nisi ex pactione vitæ, quam nulla cõmaculat flagitii labes? Quid, an istud quæso Euãgeliũ ex Apostolicis institutis, an ex placitis platonicis hausit tua pietas? Ideò ex fide, inquit Paulus, vt secundum gratiam firma sit promissio. Atqui quonam modo firma, nisi sit gratuita? quo modo gratuita, si quoquo modo ex operibus? aut quo modo ex fide, si tu ad legem iustitiæ omnia diuina promissa restringas, *quæ animas omnium hominum, certa, vt eis, spe iustitiæ confirment?* Aut quæ tandem illa erit iustitiæ certitudo, si tu cum Tridentinis, & Iesuiticis Iebusæis in dubia spei fluctuatione nos detinens, omnem tollis bene sperandi fiduciam?

Responsio. *Rom. 5.* *Ephes. 3.* *Rom. 4.* De iust. lib. 9. Pag. 234.

ꝟDE

De divinis promissis, quæ, quibus, & quo modo promisit Deus.

Sed age, quoniã hic incidit de diuinis promissis dicendi locus, reliquum est, vt quidnam id sit, quod promiserit deus, quibus promiserit, quo modo & qua causa id faciat, abs te qui hæc disseris tã acriter, audiamus. Cũ autẽ multa atq; ingẽtia existũt dei erga nos, singulari gratię ipsius benignitate, partĩ pręstita, partim promissa munera atq; ornamẽta, imò cum nihil sit in hoc naturæ opificio, adeoq; minutissimis in rebus, quod non gratuito ipsius dono acceptũ, si grati esse volumus, referre oporteat: tum inter vniuersa hæc, quæ tot tantaque in nos congesserit, tam liberali manu, nihil certè splendidius, nihil admirabilius duxerim amplissimo hoc honore regni sui, quod dominus ipse nobis attipulatur in Euangelio: Nolite, inquit, timere, pusille grex, quia complacitum est patri vestro vobis dare regnũ. Quod & Paulus tum alibi, tum ad Colossen. scribens commemorat: Qui eripuit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filii sibi dilecti. &c. Cuius & Daniel vates celeberrimus locupletissimum ędidit testimonium. Regnum ait, & dominatus, amplitudoque regnorum sub toto cœlo dabitur populo sanctorum altissimi. &c.

Cum omnia debemus diuinæ gratiæ accepta beneficia: tum quid illud sit, in quo singularis eius erga nos gratia potissimum cernitur.

Luc. 12.

Daniel. 7.

In quo vno beneficio quum omnis comprehensa felicitatis nostræ summa contineatur: Nẽpe

pe reconciliatio cum Deo, iustitiæ imputatio, peccatorum remissio, pax apud Deum, accessus cum fiducia, Spes, gloria dei, Beatitudo & salus æterna, benedictio, hæreditas vitæ æternæ, Immunitas ab accusatione legis & damnatione: quid quæso vel votis optare quisquam, vel fide concipere possit magnificentius? Qui enim regni insignitur possessione, quid huic accedere ad summum gloriæ splendorem amplissimęq; celsitudinis gradum possit amplius? *Rom.5.* *Rom.4.* *Tit.3.* *Rom.8.*

Habemus itaque, vt cernis Osori, sempiterni regni sedes hæreditarias nobis promissas, idque non ex operibus, sed ex fide, non secundum pactionem, sed secundum gratiam, ideoque secũdum gratiam, vt firma indubitataque constet promissio vniuerso semini. Grauis inprimis causa est, & autoritas minimè negligenda. Quid enim ad omnem securitatem firmius, quàm quod certa dei fide ac gratuita promissione nititur? Contra, quid instabilius, quàm quod operum nostrorum, quæ vel praua plærumque, vel semper incerta sunt, conditione incertissima pẽdeat? Quid igitur & tu nunc è firmissimo hoc proposito nobis præsidio certissimæ fiduciæ, quæ in gratuita promittentis dei benignitate tutissimè conquiescit, tanquam ex portu partæ tranquillitatis depulsos, iterum in fluctus atque angustias diffidentiæ & desperationis iactandos coniicies? eaque, quæ diuino beneficio certissimam iam fide, tanquam manibus tenemus, tu in dubium atque

Promissio dei, gratuita, quo potissimum fundamento nititur.

Certitudo fiduciæ καὶ πεποιθησις ex gratuita dei promissione.

ambiguum reuocas, vt nihil iam certum sit, quod quisquam secum in animo de salute possit statuere? Nam quid certum te quæso esse poterit, si modo sublata promissionis gratia, si posthabita imputatione, quę nobis est in Christo posita, res tota ad calculum deducatur nostrarum actionum? nec aliter iustos nos apud deum esse contendas, quàm perfungendis diuinæ legis officiis?

Obiectio.

Osor. de iust. l. 9. pag. 234.

Quid autem, inquies, *Annon promisit apud Hieremiam & Ezechielem Deus ijs, qui cum fide ad Deum accesserint, vt legem ipsius haberant animo inscriptam, vt spiritus sancti numen comprehensum animo contineant, vitamque nullo flagitio contaminent? sed eam dei lege moderentur, ambulentque in dei præceptis, & præclara & sancta opera perficiant, vt denique iusti sint, &c.*

Responsio.

Primum quod ad promissum diuini numinis spiritum attinet, verissimum est, quod ex Hieremia citas. Promisit enim diuina benignitas fore, vt legem ipse suam non saxeis, vt prius, monumentis, sed intimis animorum tabulis inscribat, nec minus quidem ille præstitit, præstatque quotidie quod promisit. Age & quid inde dialectica tua ratiotinacio colligit? *Ergo*,

Ibid. pag. 233.

inquis, *cum habeamus dei legem intimis animi sensibus inclusam, fit vt fidem diuinis promissis adhibentes, præsidium repentè diuinum consequamur, quò facillimè omnia, quæ sunt nobis imperata faciamus, atque ita salui simus. &c.*

Lib. 9. pa. 232. b.

Ex

Ex his ergo, quæ hactenus tam multa de lege, eiusque officio abs te adducta sunt, duo te velle perspicio, quorum vtrumque vero repugnat. Primum quòd diuina gratia suffultos, & ope communitos perfacilè posse nos vniuersa ea ob. Duo Oforii paradoxa, quorum vtrumque falsum est.
ire affirmas, quæcunque diuina lege præcipiuntur. Alterum, quòd in exequendis his Dei mandatis, omnem iustitiæ nostræ & salutis rationem consistere, nec aliam esse ad cœlum viam nobis contendas, quàm quæ diuina lege continetur. Quæ vtraque tua ratio, quàm absurda sit, quàm inimica diuinæ gratiæ ac Euangelio contraria, quàm ab omni non solum diuinæ scripturæ autoritate improbata ac conuulsa, sed sententiis etiam antiquissimorum patrum iamdudum confixa atque explosa, quàm denique nullo rationis aut experientiæ firmamento nixa, nemo est, tam nulla præditus ratione, aut religione excultus, qui non pellucidè persentiat, ac carbone notet. Vt enim non negemus, quin opitulante gratia diuini spiritus, mirabiles, varii, ac multiplices effectus existant, immensaque diffundantur charismata in animis renatorum, ad omnes vitæ partes piè sanctèque gubernandas, at vnde, te quæso, hoc edocebis, tantas vires, tantamque excolendæ iustitiæ facultatem, homini mortali diuinitùs attributam esse atque commissam, quæ par sit præstandis omnibus, quæ sanctissima dei lege præscribuntur.

De perfectione iustitiæ, & integra obedientia legis.

PErgis vrgere iterum atque iterum veterem illam ex propheta cantionem. *Dabo, inquit ille, legem meam in visceribus eorũ, & in corde eorũ inscribam eam.* Itemque ex altero propheta: *Et dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent & iudicia mea custodiant faciantque ea vt denique iusta sint, &c.* Clarissima propheticæ promissionis oracula audio, vnde enascuntur opera sine dubio nouæ obedientiæ, quę fidem necessariò consequuntur, ita vt si quis causam iam vestiget operum bonorum, protinus hinc edisca, eam non humani arbitrii viribus, sed dono spiritus sancti tribuendam. Iam verò vnde donũ hoc proficiscitur, nisi ex Christi meritis? aut quibus tribuitur nisi credentibus in Christum? Fide enim accipitur spiritus sanctus, iuxta illud Pauli: vt promissionem spiritus accipiamus per fidem. Quapropter quum fides vnica res existat, quæ spiritum sanctum nobis conciliat, fieri proinde aliter non potest, quin accepto diuino sanctificationis spiritu, noua quædam vita, ac spirituales motus in cordibus consequantur renatorũ. Mẽs enim fide Christi rectè imbuta, iamque Deo reconciliata, vt diuino fauore destitui non potest, ita sacro illius afflatu incitata, incipit sibi iam ipsi

Hiere. 31. *Ezech.* 11. Osor. li. 9.

Opera nouæ obedientiæ ex fonte diuinæ gratiæ & meritis Christi emanare nemo negat.

ipsi lex esse, qua Deum timeat, eumque pro virili, veneratione debita prosequatur, omni cum amplectatur studio, in eum actiones suas & consilia referat, precibus inuocet, in afflictis rebus ei adhæreat, beneficia grata animi recordatione celebret, spem ac fiduciam, totumque adeò seipsum in eũ coniiciat, denique illius causa proximos etiam, quanta potest ope, diligat foueatque. Atque hæc quidem necessariæ obedientiæ officia, numine spiritus sancti susceptа, vt nemo est qui neget fructus esse bene institutæ fidei: ita nulla nobis quidem in eo intercedit tecũ controuersia, præsertim quum & ipse vnà nobiscum confitearis *opera hac non legis esse, sed fidei nec tam ad legem, quam ad spiritum sanctum, atque fidem, ope illius, vt ais, nixam referri oportere.*

Fidelis quisque vere in Christo renatus sibi ipsi lex est, aut esse debet.

Opera fidei

Osor. de iust. li. 3. pa. 71.

Quod autem inter nos dissidii est, in hoc ferè caput vniuersum recidit, quòd quum nos obedientiam hominis, ope diuina renati, in choatam & imperfectam in mortali hac infirmitate astruimus: tu contrà in operibus nescio quam perfectionem obedientiæ somnias, ita in nobis agente diuino spiritu, vt quisquis eo dilibutus sit, nulla re indigeat, quę ad absolutam iustitiæ perfectionem pertineat. Nam huc eniti videtur omnis tua de hac materia disputatio, velut hoc vno concluſa syllogismo.

Argumentum.

Ma. Quicunque ambulant in præceptis domini

mini, eaque præstant, perfecti dicendi sunt, quibus facile licebit sine peccato viuere.

Ieremi.32. Ezech.11. *Mi.* Omnes fideles ex promissione Dei, ambulãt in præceptis eius eaq; præstãt, ex eo quod nihil promittit deus, quod nõ præstare possit & velit.

Concl. *Ergo*: Ex promissione dei nihil obstat, quin fideles perfecti hic sint, quibus sine omni peccato viuere liceat.

Vt argumento respondeam. Elenchus est fallaciæ à secundum quid, ad simpliciter. Quod in maiore perfecti dicuntur ii, qui ambulant in præceptis domini, eaque in vita exprimunt: verum est in iis, qui simpliciter perfecteque ea, quæ in lege præcipiuntur, omnia, qua par est, perfectione, exequuntur. Ad quam regulam si intelligatur maior, negandũ est hac ratione quod in minore assumitur. Etsi enim promisit Dominus fãctis suis non defuturam opitulatricem spiritus sui gratiam, quæ pios conatus in electis suis prouehat, studiumque sanctioris obedientiæ in eis accendat. At vbi vnquam promisit, aut cui tandem largitus est ille eam ambulandi felicitatem, quæ nusquam declinet ad dexteram, nec ad sinistram? nusquam per omnem vitam impingat? quæ in omni virtutum genere, perpetuo tenore, ita vitæ cursum cõformet ad absolutã innocẽtiã, vt nulla in re vnquam deficiat? Solent hic aduersarii in patrocinium suæ sententiæ, verba, quæ

Spiritus renouati omis promissus et dona us a deo quousque se porrigit.

mo-

modo citata sunt, arripere, ex Hierem. cap. 31. & Ezechiel. cap. 26, Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iuditia mea custodiatis. &c. Deinde ex Deuteronom. cap. 30. Circumcidam, ait Dominus, præputium cordis tui, vt diligas me toto corde, tota anima, &c. Scio iis quidem verbis illustrem contineri promissionem de donatione spiritus sancti, & nouæ obedientiæ restauratione. Verum quum duplex iuxta Hieronymum, statuitur perfectio, duplexque iustitia: Altera, quæ dei virtutibus coaptatur. Altera, quæ competit nostræ fragilitati. Rursusque quum, autore Augustino, duplex existit obedientiæ ratio: vna quæ inchoata, & imperfecta in hac vita cernitur. Altera perfecta, quæ futura perficitur: haud difficile videre est, quo sensu renouationis perfectio in his scripturis intelligenda sit, videlicet, non simpliciter & absolutè, sed pro modo & captu huius vitæ. Rectè proinde Augustinus dictitat, perfectum aliquem dici nonnunquam, quòd magna ex parte profecerit. Idemque rursus: Quod autem sancti & perfecti dicuntur aliquãdo in scripturis, ad hoc dico: Modum esse quendam perfectionis, quo sancti viri suam imperfectionem agnoscunt. Dicuntur etiam perfecti, qui quoquo modo perfectionem patris cœlestis imitantur, qui super iustos & iniustos pluit. &c. Rursusque idem Augustinus ad Bonifacium scribens: virtus, inquit, quæ nunc est in homine iusto, hactenus

Hierem. 31. *Ezec.* 36. *Deut.* 30.

Hieron. cont. Pelag. dial. 1.

Duplex perfectio seu duplex iustitia secundum Hiero.

August cont. duas epistolas pela. l. 3. cap. 8.

Duplex obedientiæ ratio secundum August.

Aug. de peccat. merit et remiss. lib. 2. cap. 15.

Aug. de peccat. merit. et remiss. lib. 1. cap. 7.

Aug. ad Bonifac. lib. 3. cap. 7.

perfecta nominatur, vt ad eius perfectionem pertineat etiã ipsius imperfectionis, & in veritate agnitio, & in humilitate confessio. Quin nec multum discrepans ab eo Hieronymus haud inscitè respondit: Cui quum obiiceretur locus D. Pauli: Quotquot ergo perfecti hoc sapimus: Ad hoc Hiero. Quid ergo sapimus, inquit, imò quid sapere debeamus, qui perfecti nõ sumus, imperfectos nos esse confiteri, & necdum comprehendisse se, nec dum accepisse. Hæc est, inquit, hominis sapientia imperfectum se esse nosse, atque vt ita loquar, Cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est, &c. Deinde eodem rursus libro: Tunc ergo iusti sumus, quando nos peccatores fatemur. Iustitia siquidem nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia, dicente scriptura: Iustus accusator est sui in principio sermonis. Rursusque ad Ctesiphontem: Hæc hominibus, inquit, sola perfectio est, si se imperfectos nouerint, &c. Quin & alio insuper argumento nos petunt aduersarii, quod ex verbis Deut. cap. 30. ad astruendam iustitiæ suæ perfectionem nectunt in hunc modum.

Hieron. aduersus pelag. lib. 1.

Hieron. ibid.

Prouer. 18.

Hieron. ad Ctesiphontem.

Ma. In duobus iis mandatis, Diliges Deum tuum toto corde tuo, tota anima, & proximum sicut teipsum, continetur summa totius perfectionis.

Deu. 30. Circumcidam præputium cordis tui, vt diligas me toto corde tuo, ex tota anima.

Mi. Possunt renati diligere deum toto corde, tota anima, & proximos vt seipsos ex promissione Dei. Deut. 30,

Concl.

Concl. Hinc ergo consequitur posse renatos, ope diuini spiritus, vniuersam iustitiam legis operibus complere.

Hęc ratiocinatio vt à superiori haud multum discrepat, ita subest in ea, haud dissimilis quædam fallendi ratio, quæ cuiusmodi sit, pace si liceat tua, Osori, dicam. Latet enim sub verbis scripturæ non comodè intellectis fraus, seu venenum planè pelagianum. Cæterum fallaciam hanc nō inscitè nobis discutiet Augustinus, eo in libro, cui titulum inscripsit de perfectione iustitiæ. Vbi in hanc refert sententiam: statum huius controuersiæ de perfectione dilectionis in duabus versari quæstionibus. Per quem? videlicet, &, Quādo? Primum, vt si quæstio sit, per quem possit homo peruenire ad talem perfectionem, vt sit sine peccato, Respondet ille, id fieri non liberi arbitrii viribus, sed diuina gratia, atq; hactenus nulla nobis est lis cum aduersaria parte. Sin de tempore quæratur, quando ad talem hanc perfectionem perueniatur, disertè exponit Augustinus, non in hac vita id fieri, sed in futura. Quin nec minus appositè alio in libro, nebulas huius argumenti dispellit clarissimis verbis hic ipse Augustinus: præceptum hoc iustitiæ, inquit, de diligēdo domino, ex toto corde, & ex tota anima: Item illud de diligendo proximo, in illa vita implebimus, vbi videbimus à facie ad faciem. Sed excipiet hic aliquis, cur ergo præcipitur, si non hic impletur? Respondet Augustinus. Nempè vt admoneremur,

Pelagianismus.

August. de perfectione iustitiæ.

1. Per quem contingit perfectio.

2. Quando contingit perfectio.

Aug. de spiritu et litera.

mur, quid fide expoſcere, quó ſpem præmittere, & obliuiſcendo quæ retro ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Atque per hoc quãtum mihi, inquit, videtur, in ea quæ perficienda eſt iuſtitia, multum in hac vita profecit, qui quàm longè ſit à perfectione iuſtitiæ, proficiendo cognoſcit, &c. Quid illud? quod ad Bonifacium ſcribens ita de gratia diuina diſputat: Gratia, inquit, dei tribuit in hac vita, ſtudium præcepta ſeruandi, (hic que habes inchoatam, quam dicimus obedientiam) & eadem ſi quid etiam in illis præceptis minus ſeruatur, ignoſcit. &c. Atque ita tandem omnia mandata dei facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoſcitur. Ex quo vides, opinor, eiuſmodi eſſe iuſtitiam noſtram in hac quidem vita, vt peccatorum potius remiſſione conſtet, quàm perfectione virtutum, quæ demum perfectio in futura vita nobis expectanda ſit.

Aug. ad Bonifac. lib. 3. cap. 7.

Inchoata obedientia.

Imputatio iuſtitiæ apud Auguſt.

Accedit & illud, minimè hoc loco prætereundum, quod ad Hyeronimum idem ſcribens Auguſtinus, Epiſtola. 29. Charitas inquit, virtus eſt, qua id quod diligendum eſt diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla eſt. Pleniſſima verò, quæ iam non poſſit augeri, quàm diu hic viuit homo, eſt in nemine. Quamdiu autem augeri poteſt, profectò illud, quod minus eſt, quàm debet, ex vitio eſt. Ex quo vitio, non eſt iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo

Aug. ad Hieron. epiſt. 29.

quo vitio, non iustificabitur in conspectu domini omnis viuens. Propter quod vitium, si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosmet seducimus, & veritas in nobis non est. Propter quod quamtumlibet etiam profecerimus, necessarium est nobis dicere. Demitte nobis debita nostra.

Plena sunt veterum orthodoxorum monumẽta locupletissimis testimoniis, sententiam hanc abundè confirmantia. Præclaré quidem illud & grauiter Cyprianus de renatis etiam loquens: Nemo, inquit, sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, vt innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptũ sit: Quis gloriabitur castũ se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Si autem nemo esse sine peccatis possit, quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus, aut stultus est, &c. Pro hac, inquit Hieronimus, Orabit ad te omnis sanctus. Si sanctus est, quo modo orat pro iniquitate? Si iniquitatem habet, quo modo sanctus appellatur.

Cyprian. citante Augustino.

Hyeron. aduersus Pelagi.

Non inuenitur, ait Ambrosius, in vno homine, tanta concordia, vt legi mentis, lex, quæ in membris est insita, non repugnet: propter quod ex omnium sanctorum persona accipitur, quod Ioan. Apostolus ait, si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Desinam, si & illud ex Bernardo, quod non parum ad rem attinet, adiunxero.

Ambros. lib. 10. epist. 84.

Aug. lib. 10. epist. 84.

Quis

Bernard. super Cantic. serm. 50.

Quis sibi, inquit, ille, id arrogare audeat, quod Paulus ipse fatetur se non comprehendisse? Nec latuit præceptorem, præcepti pondus, hominum excedere vires, sed iudicauit vtile, ex hoc ipso suę ipsos insufficientiæ admoneri, & vt scirent sanè, ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit, sed humiles, vt omne os obstruatur, & subditus fiat ónis mũdus Deo. &c.

Deus cur mandauit impossibilia.

Possem innumera hoc genus è probatissimis autoribus testimonia efferre. Sed quid recensendis hominum nominibus aut suffragiis numerãdis immoror? quum, vt vno dicam verbo, vniuersa priscæ ætatis antiquitas, publica prioris ecclesiæ consensio, lectissimi quique ex omni antiquitate scriptores, quotquot vnquam veterem illum pelagianismum à se repulerint, iidem omnes vno ore in hanc sententiã cõtra te consẽtiũt, nullã esse iustitię in hac vita integritatẽ, quæ imperfecta nõ existat, quę ignoscẽtia nõ egeat: nullam hic esse tantã innocentiã, quę vulnere aliquo careat, quę non medicinam postulet, nullum denique sanctorum omnium ita vixisse, vt non ad plenitudinem iustitiæ multum sibi defuerit, ac non necesse habeat quotidie orare pro iniquitate, attestante August. quia quotidiana est, inquit, offensio, oportet vt sit quotidiana etiã remissio. Quæ quum ita sint tot eruditissimorum testium clarissimis consignata suffragiis. *Vbi nunc igitur salus il a, quam ipse in iustitia sanctitate, religione, excel.*

Hieronymus.

Augustinus.

Cyprianus.

Orig. hom. 21. in Iosuam.

Cypri. de tentatione Christi.

August. de vera et falsa pœnitentia. Cap. 5.

Oso. de inst. li. 5. pag. 128.

excellentibuſque omnium virtutum meritis poſitã deſcribis?

Vbi iuſtitia illa operum, quæ nos deo conciliat, ſimileſque deo efficiat? vbi via illa quæ nobis in cœlum præclaris operum meritis conſtrata eſt. Lib. 2. pa. 44.

Vbi aſcenſus ille in Regnum cœleſte, qui virtutum maximarum meritis aperitur? vbi ſempiterni Regni ſedes, quas iuſtè atq; meritò ſanctis & caſtis hominibus attributas aſſeris? Lib. 6. pag. 148.

Vbi regnum denique illud immortale, quod non ſolum vt merces & præmium, ſed etiam vt legitimum patrimonium, patris ſapientia & benignitate fundatum, optimo iure deberi concludis? Quod ſi ex diſciplina tua, non alitèr quàm ſeruandis mandatis, via ad ſalutẽ pateat, ſique autore Bernardo, eiuſmodi ſit legis pondus, vt vires prorſus excedat humanas (quod modò oſtenſum eſt) quid iam reliquum nobis ad ſperandam ſalutem reſtabit deniq; Ibidem. Bernard. ſuper cant. Serm. 50.

Nempè, inquies, ſi quis vires ſuas conſideret, in tanta virium humanarum imbecillitate, difficillimum fuerit diuinum iuſtitiæ ſtatum adipiſci. Sin ad diuinas opes, quæ, ſi velis, tibi ſemper aderunt, animo complectare, nihil erit facilius. Hinc q;, vt ait Moſes, præceptum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cœlo ſitum, vt dicas, quis è nobis in cœlum poteſt aſcendere: neque vltra mare poſitum, vt dicas, quis traiiciet mare, nec iam lapidibus inciſum, ſed fidei præcordijs inſculptum geris. Si enim fidem diuinis Oſor. de iuſt. li. 9. pag. 131. 132.

diuinis promissis adhibemus, præsidium repentè diuinum consequimur, quo facillime omnia, quæ nobis sunt imperata, faciamus, atque ita salui simus.

Itanè, Osori, salui hoc modo simus seruandis dei præceptis? hæccine tua oratio est? hocque tam facile factu existimas? *Quid ni verò, inquis, adiutore diuino spiritu?* Age, & quantulum hæc vox à veteri illa pelagianorum abest, quã recitat alicubi Augustinus contra Iulian. Pelagianum scribens. Sic enim aiebant illi: per facili studio sanctitatis, quod Deus adiuuat, potest homo carere peccatis. Sed & his & tibi respõdentẽ audiamus Augustinũ. Nõ negamus, inquit ille, adiutorium dei tantum valere si velit, vt hodie nullas cõcupiscẽtias habere possimus, contra quas vel inuictissimè dimicemus. Et tamẽ nõ fieri, id neq; tu ipse negas. Cur autem non fiat, quis cognouit sensũ Domini? Nõ tamẽ parum scio, quum scio, quæcũq; illa causa sit, quòd nec iusti dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in eius alto abditoq; consilio, cur quã diu viuimus in hac carne mortali, est in nobis, contra quod mens diuinitus nostra: Est etiam, propter quod dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Et paulò inferius: Sapit hæc, qui fatigatus fame, reuertitur ad semetipsum & dicit: Surgam, & ibo ad patrem meum. Et mox. Ideò factum est in lòco infirmitatis huius, ne superbè viueremus, & sub quotidiana peccatorũ remissione viuamus. Sed siue ista causa sit, siue alia, quæ multo amplius

Aug. cont. Iulian. pelagia. l. 4. c. 3.

Abditum dei consilium in præcipiendis iis quæ fieri a nobis nequunt.

us me latet, tamen quod dubitare non possum, quātumlibet proficiamus sub hoc onere corporis corruptibilis, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, &c. Hæc ille. Sed quid humana te præmam autoritate, cum res ipsa validissima voce ex aduerso reclamans, cum vniuersa scriptura, soli Christo hunc honorem deferens, cum vniuersalis hominum experientia, & exemplum, cum praxis vitæ, vt nè sinus hic internos tanquam domesticos testes tuæ cōscientiæ attingam, manifestum contra te ædant testimonium?

Diuinum, inquis, præsidium repentè consequimur, quo facillimè omnia, quæ sunt nobis imperata, faciamus. &c. Itané omnia? quid ergo, si de primo illo dilectionis mandato te interrogem, quā ex toto corde, toto animi studio debes Domino deo tuo? Quid illud, quo ne ōnino cōcupiscas, iuberis? An præstas? Scio, quā hic adhibēt distinctionē garrulæ Sophistarū Scholæ, secūdū substātiā actus, & secūdū intētionem legislatoris. Sed nihil moror has subtilitatū fabulas. Illud ex Paulo scimus, quòd spiritualis lex est, nos carnales sumus, venundati sub peccato. Peto nunc, an ipse carnis hac circūfusus imbecillitate, spiritualem illā dei νομοθεσίαν compleas ea spiritus synceritate, qua par est? Respondē ingenuè: Taces? Quid ipse præstē, inquis, meis viribus non hic disputo, possū tamen opitulante numinis gratia. O callidū cōsiliū: postquā omnis tua huc dilabitur disceptatio,

De iust. lib. 9. pa. 231.

Distinctio sophistica.

Rom. 7.

vt

vt facilia dei mandata astruas, nihilque vis ab eo præscriptum, quod seruari á nobis non possit, nunc post grauissimum somnium (vt cũ Hieronymo dicam) ad decipiendas rudes animas, frustra conaris adiungere (non absque gratia.) At id non quæro, quid per se valeat, sed quid in te efficiat, aut in quoquam alia mortali homine, omnipotens dei gratia? Tu facilia ponis præcepta iustitiæ, quæ, adminiculante diuina gratia, virilem operam nostram non excedant. Et tamen nullum proferre potes, qui vniuersa compleuerit. Nunc quæ ista argumentatio est, posse esse, quod non fuerit? posse fieri, quod nullum feciſſe testeris? & dare nescio cui, quod in patriarchis, Prophetis, & Apostolis fuisse nequeas approbare? De membrorum suorum refractaria rebellione queritur Paulus ipse Apostolus, cui, quod volebat, bonum operari minime licebat, & carnalem se, & miserum, & captiuum clamitans. Augustinus posse quidem peccata in hac vita minui: non nisi in morte eadem desinere testatur. Idemque ad petrum de sanctis & iustis scribens, firmissimé id eum tenere iubet, etiam iustos & sanctos homines, exceptis his, qui baptizati sunt paruuli, sine peccato hic neminem victitare. Et tu ita reuulsas iniustitiæ fibras omnes, in sanctis arbitraris, vt facillimum esse dicas, præsidio diuini numinis, quod nunquam non præsto adest volentibus, vitam sine peccato transigere, atque ita salutẽ consequi? At longè secus Hieronimi

Non quid valeat gratia. Sed quid efficiat, id quæritur.

Hieronimus ad Cteſiphontem.

ronimi ſtat ſententia : Ego enim ita, inquit, ſentio nullam creaturam, ſecundum veram cõſummatamque iuſtitiam poſſe eſſe perfectam, cæterum alium differre ab alio, & diuerſas eſſe in hominibus iuſtitias, nulli dubium eſt, & maiorem eſſe alium vel minorem, & tamen ſecundum ſtatum & menſuram ſuam, poſſe iuſtos nominari, qui aliorum comparatione non iuſti ſunt. Breuiter qui cunctas poſſideat virtutes, nullum eſſe ſanctorum nec prophetarum, nec Apoſtolorum, quia nũc ex parte prophetamus, & ex parte cognoſcimus, nec enim poſſunt omnia in omnibus eſſe hominibus. Et ad Cteſiphont. Soli hoc illi tribuendum, de quo ſcriptum eſt quaſi propriũ. Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Quamobrem vt cum Hieronymo, iiſdem te compellam verbis, Hieronyme, ſi hoc tibi cum Chriſto commune eſſe velis, vt poſſis ſine peccato eſſe, quid iam illi relinquis proprium? Sin aliter, quid reſtat igitur, niſi vt præcelſi iſti iuſtitiæ montes, quibus adeo inſumeſcis, non concidant modò, ſed in fumos etiam euaneſcant.

Hyeron. contra Pelag. Dial. 1.

1. Cor. 13.

Hieron. ad Cteſiphont.

Pergis adhuc, nodum velut in ſcirpo quærens, qui tamen haud difficili cuneo perrumpetur. *Quæris, quorſum lex iuſtitiæ tantæ tunc à Deo præſcripta ſit, aut in quem finem voluerit illa, vt in eorum animis, quos hæc inſtituebat, lex ſemper inhæret: ſi nihil eorum, quæ lege ſanciebat, eſſet in hominum poteſtate futurum?* Quid, inquis, igitur,

Oſo. de iuſt. li. 8. pag. 197.

num Deus legem iocum putauit, humanumque genus luſit, ea facere præcipiens, quæ nullo modo poſſent homines exequi? Ac demum rẽ feſtiuo claudens ſarcaſmo, *O feſtiuum, clamas, Deum. ſi ludendi generis humani cauſa, tantam operam in gẽte illa tuenda, & inſtituenda conſumpſerit? Id quod perinde ſe habere dicitis, acſi quis hominem pedibus captum in ſtadio currere, aut cœcum ea, quæ in longinquis oris fierent, acriter ſpeculari iuberet.* Quæ omnia in huius argumenti ſummam redeunt denique.

pag. 168.

Argumentum Oſorii.

Ma. Fruſtra præcipitur, quod præſtari non poteſt.

Mi. Deus nihil fruſtra præcipit.

Con. *Ergo*: Præcepta dei minimè ſunt impoſsibilia.

Vel ſi mauis in hanc formam colligere.

Ma. Aequus & prudens nomothetes, nunquam eas leges præſcribit, quæ vires & naturam ſubditorum excedunt.

Mi. Deus omnium æquiſsimus, & ſapientiſsimus eſt legiſlator.

Con. *Ergo*: Quæ præſcripta ſunt in diuina lege, ſupra vires & naturam ſuæ creaturæ non ſunt poſita.

Reſponſio.

Ad maiorem reſpondeo bifariám: Primum tenere quidem eam in his legibus, quæ latæ ſunt à Nomothera tãtùmodo in hunc finem, vt exactè impleantur à ſubditis, vt ex eadem obſeruatione ſalus ſtatueretur. Nunc verò etſi Deus hoc maximè

maximè voluit, vt leges quàm exactissimè ipsius præstarentur ab vniuersis, tamen præter hunc finem, existunt aliæ & multæ & graues causæ, cur lex quæ norma sit perfectæ iustitiæ, licét seruari à nobis quoad integram obedientiam non possit, necessariò tamen esset promulgãda, vel vt publicum extaret testimonium, diuini iuditii atque iræ aduersus peccatum, vel vt ipsi in cognitionem peccatorum & imbecillitatis nostræ facilius perduceremur. De quo Paulus, accedente, inquit, lege, peccatum reuiguit: vel vt animaduersa vitiatæ & perditæ naturæ imbecillitate, acrius hac adacti necessitate, tanquam pædagogi ferula impelleremur ad Christum, qui est finis legis quemadmodum & lex pædagogus ad Christum dicitur: siue vt eadem hac veluti pædagogia edoceamur, quó nobis contendendum sit: vt si plenam legis obedientiam minùs assequi liceat, saltem in inchoanda obedientia proficiamus pro virili. Qua propter quum tot tantæque subeant causæ legis constituendæ, satis hinc liquet, nihil esse, cur lex frustra nobis à Deo imposita videatur, tametsi nec ideo consequens est, quia lex diuina humanæ naturæ post lapsum sit impossibilis, quod ad integram eius obedientiam attinet, propterea eam esse inutilem, quum alios tam insignes eadem vsus habeat. Implicat igitur Maior Argumenti fallaciam, quæ dialecticis dicitur: A non causa, vt causa.

Finis et scopus promulgatæ legis

Rom. 7.

Fallacia a non causa, vt causa.

Sed progrediamur ad reliquas tuas Argumentorum non rationes, sed fraudes potius & fallacias dixerim. Sic enim contra Lutherũ colligis, quem velut atrociſſimum quendam ſempiternæ iuſtitiæ aduerſarium iniuſtiſſimè producis. *Quid magis cum iuſtitia, aïs, & æquitate pugnat, quàm dare aliquem pœnas eo nomine, quòd non perfecerit ea, quæ nullo modo poterat inchoare?* Audio, & quid tum poſtea? *Pergis deinde ſimilitudinis fictione rem ipſam ad oculum depingere, veluti ſi Dominus aliquis lautus ac moroſus ſeruo, quem habet, manicis ita compeditum, vt ſe commouere loco nequeat, domo proficiſcens præcipiat prandium ei parare, cibos opiparè condire, ædes mundare, menſam inſternere, & aulæa etiam intendere, hæc, inquam, qui ſeruo homini conſtricto præcipiat, an non inſanus atque demens putaretur? Tum, ſi idem dominus poſtea reuertens eundem ſeruum, qui ſe vinculis eximere nullo modo potuit, vt ea, quæ iußus fuerat, præſtaret, flagris conſcindat & excruciet, eò quod imperium non fuerit exequutus: cum, qui tam crudeliter ſeruum miſerum accipit, hominem putabimus, an potius truculentam belluam in humana ſpecie latitantem? &c.* Habes, pie lector, tragicæ nimium crudelitatis paradigma: Accipe nunc Tragœdiæ catastrophen. *Quid & quiſquam erit tanto ſcelere percitus, vt tantum furorem, & immaniſſimi ſceleris rationem, qua nulla videtur eſſe truculentior, audeat ſummo illi & optimo & ſapientiſſimo rerum omnium domino, conditori atque mo-*

Oſo. de iuſt. li. 8. pa. 198. a.

Hypotipoſis ſeu fictio Oſorii.

moderatori tam impudenter ascribere? Nemo equidem quod scio, O bone, Si quem ipsi nosti, effice vt eum digito nobis commonstres. Quanquam non me latet, quosnã hic homines designes. Sed prætermissis nominibus, vim argumenti tui exploremus, atque ad singulas eius partes ordine digestas respondeamus. Responsio ad fictionem propositam.

Ma. Pugnat cum iustitia & æquitate, vt pœnas luat aliquis ob ea, quæ perficere nullo modo potuit. Argumentum ex verbis Osorii.

Mi. Deus omnia agit cũ summa iustitia & æquitate.

Concl. *Ergo*: Deus pœnas non exigit ob ea quæ præstari non possunt.

Committitur fallacia accidentis. Haberet siquidem iustam excusationem defectus hic virium & impotentia, si propriè & simplicitér sic condita natura fuisset. Nunc quum debilitas hæc nõ cum natura ipsa primum nata sit, sed contra naturam per peccatum aliunde irrepsit, videndum idcirco, non iam quid possit, aut non possit vitiata hęc natura, sed quid debeat simpliciter facere. Itaq; ad Maiorem respondeo, fateorque iniustè irrogari pœnas ob ea, quæ quo minùs obseruari queant, causa nulla existit, vel in legislatore, vel in natura ipsa, sed in ipsis subditis, suo ipsorum vitio contracta, veluti si princeps legatum quopiám emittat pulchrè sanũ & integrum, cui postea in mandatis quędam dat obeunda, quæ facilè exequi potuisset, nisi ipse se claudum & mutilum suo Fallacia accidentis. Ad maiorem responsio.

ipsius vitio & intemperantia effecisset. Iam si in obeundis mandatis, impares sint legati vires, estnè quod principi imputetur, an legato potius, qui sua seipsum integritate spoliauit? Idque est, quod innuit Augustinus, Libro de Iustic. perfect. Imò ideò, inquit, est culpa hominis, quia sola hominis voluntate factum est, vt ad istam veniret necessitatem, quam sola hominis voluntas excutere non poterit. Quæ igitur de seruo constricto, abs te inducitur hypotyposis, nihil ad rem facit, nisi id pariter edoceas, nulla sua ipsius culpa aut causa iniectum esse hoc ei impedimentum. Quod quum abs te negari non possit, quæ iam crudelitas in eo statuetur, si Dominus à seruo corrupto & flagitioso commeritas pro scelere pœnas exigit? Imò specta magis singularem in Domino clementiam, qui adeò nullas á seruo pœnas deposcit, quas ille commerebatur, vt in gratiam etiam præter omne meritum recipiat, imò filium insuper vnice dilectum ad pœnas pro seruo subeundas exponat. I nunc Osori, atq; vbi de hac re satis tecũ cogitaris, dic tandem, quinam isti sint tanto furore lymphati, qui tam fœdã iniustitiæ & crudelitatis maculam sẽpiternæ bonitati tã impudenter aspergunt? Quod si de Luthero sẽtias, & Caluino, quos perstringis tam amarulenter, quid isti quẽso aliud, quám gratuitã Dei ignoscentiam omnibus Christum pro nobis cæsũ fide amplectentibus ex Euangelio ebuccinant? Tantum

Aug. lib. de perfect. Iustitiæ.

tum absunt illi ab hac calumnia, quam ipsis iniquissimè impingis, vt nusquam reperias, qui acriori studio immensas diuinæ gratiæ opes mortalibus deprædicent.

PECCATA QVO MODO delet Christus cum responsione ad obiecta Osorij.

CÆterum incursat nos iterum bonus hic antagonista alio lemmate, quod prima fronte remorari possit nonnihil lectoris animum. Petit enim ab his, qui negant Christi gratia funditus in hac vita extirpari peccatum: *vtrum potestati illius, an clementiæ diffidant? Si enim Christus omnia peccata non delet in his, quos in gratiam recipit, id euenit, aut quia non potest, aut quia non vult. Si non posse dixeris, potestatem illi detrahis: Si non velle contendas, non eum tantum clementia sed fidei etiam laude spolias. Quacunque igitur ratione, sententiam tueare, filium Dei conculcas, & insignem illi contumeliam intorques.* Bona verba, vir optime. Age, & qua tandem confirmatione id couincis? *Cum enim potestas illius infinita non possit vllis difficultatibus impediri, quo minus ea quæ vult repente perficiat: Cumque tanta illius charitas suam olim fidem astrinxerit, fore, vt peccata per Christum deleret, omnique scelere humanum genus liberaret, quæ tum audacia hac est*

Osor. de iust. lib. 2. pa. 34.

Di lemm Osorii

Ibidem.

impuriſſimorum hominum, qui negant peccatum in illis, quos ſanctiſſimo ſibi amore diuinxit, nõ funditùs euerti? non penitùs excindi, non radicitùs extrahi? non omnes illius fibras extirpari? Hæc ille.

Argumentum.

Argumenti connexio.

Ma. Succurrente dei gratia, poteſt natura omne peccatum excludere.

Mi. Succurrit dei gratia iis, qui in Chriſto renati ſunt.

Concl. *Ergo:* In renatis omnis excluditur peccandi neceſſitas.

Reſponſio ad maiorem.

Si de perfecto gratiæ auxilio intelligas, quod nullis impeditur difficultatibus, & quo omnis naturæ tolli poſſit infirmitas, ita vera eſt Maior, at Minor falſa. Vt enim immenſas eſſe opes fatear diuinæ gratiæ, & præclara chariſmata, quæ in ſuos perfundit Deus, at gratia hæc tamen dei neminem ita perficit in hoc ſeculo, quin ſæpe in minutis offendimus omnes, oramuſq; quotidie, vt demittantur nobis debita: Imò totus ſanctorum ſermo ad Deum, quid aliud quàm aſſidua oratio eſt & deprecatio, teſte Hieronymo, qua extorquet clementiam creatoris, vt qui noſtris viribus ſaluari non poſſumus, illius miſericordia cõſeruemur. De quo & pſalmi myſtica auditur cãtio. Pro hac inquiens, orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno. Vnde non inſcitè colligẽs Hyeronimus: Si ſanctus, inquit, eſt quomodo orat pro iniquitate? Si iniquitatem habet, qua ratione

Iacob. 2.

Hieron. contra Pelag. Dial. 3.

Pſal. 32.

Hieron. dial. 2.

tione ſanctus appellatur ? Iuxta illum videlicet modum, quo aliàs dicitur, Septies in die cadit iuſtus, & reſurget. Et rurſus. Iuſtus accuſator ſui eſt in principio ſermonis, &c. Adiutat itaque infirmitates noſtras dei gratia, vt minuantur: vt penitus tollantur, id negamus. Adiuuat illa quidem, vt dictum eſt, infirmitates, at nihilo minus infirmos relinquit, quos perpetuò adiutet. Quanta Chriſti virtus affulſit in ſanctis Apoſtolis ignorat nemo, quæ tamen eorum firmitatem ad plenum non perfecit, ſed ipſa potius per eorum infirmitatem perficiebatur. Ex parte, inquit ille, cognoſcimus, & ex parte prophetamus. At vbi venerit, quod perfectum eſt, tunc quod ex parte, abolebitur. Cernimus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc verò cognoſcã quo modo & cognitus ſum.

Prouerb. 24.
Prouerb. 18.
Virtus mea in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12.
1. *Cor.* 12.

Verbo igitur vt reſpondeam, ſi eam diuinæ gratiæ opẽ ſentias, quæ obedientiam in hac vita vndique illibatam, perfectamque conſtituat, protinus id Oſorio negabit Auguſtinus. Qui de primo Iuſtitiæ præcepto diſſerens, quo iubemur Deum ex toto corde, proximum vt nos ipſos diligere: Illud, inquit, in illa vita implebimus, vbi videbimus facie ad faciẽ. Et mox, ideoque in ea, quæ perficienda eſt iuſtitia, multum in hac vita ille profecit, qui quàm longè abſit à perfectione iuſtitiæ proficiendo cognoſcit.

Aug de ſpiritu et litera. Cap. 36.

Poſtremo, quod à poteſtate diuinæ gratiæ arguitur,

guitur, non satis ad excludendam peccati necessitatem facit. Fieri quidem posse aiunt, per dei gratiam absolutam, ne quis omninò in hac vita peccet. Esto sane. Non fiunt tamen omnia, quæ possunt singulari numinis potestate fieri. Ita subleuante nos dei potentia, possemus volare, nõ volamus tamen. Neque enim omnia diuina fert voluntas, quæ potestas possit. *At vult*, inquis, *grauissimoque iubet ille imperio, vt mandata obseruemus, non inssurus, nisi sciret possibilia.* Verum id quidem, si secundum eam naturam possibilia intelligantur, quam ipse primum in nobis condidit, ita vt in ipso nulla causa existat, quin vt recta, sic & possibilia præcepta illius censeantur. Sed audi respondentem hic tibi, commodeque nodum hunc dissoluentem Hieronymum. Deus, inquit, possibilia mandauit, hoc nulli dubium est. Sed quia homines possibilia non fecerunt: Idcirco omnis mundus subditus est Deo, & indiget misericordia eius. &c.

Potest Deus quæ vult. Non vult omnia quæ potest.

Neque enim culpa imperantis est sed fragilitas audientis, vt omnis mundus subditus sit Deo. Hiero. dial. 2.

Scio nihil in rebus humanis tam arduũ, quod non nutu potentiæ suæ omnipotens possit immensitas. Cui nec difficile foret collapsam hãc naturæ fragilitatem in pristinum innocentiæ statum reponere si velit. Nec dubium quin faceret, si quantum pro infinita sua posset maiestate, tantum pro arcano suo consilio efficere decreuisset. Nunc igitur aut doce in renatis sublatam omnem carnis infirmitatẽ, ipsosq; pristinę innocentiæ restitutos, quæ omni careat peccato

ac

ac mortis etiam liberetur necessitate, aut desine eam iustitiæ perfectionem in hac vita somniare, quæ in nullo hactenus sanctorum omnium, siue Apostolorum (vt verbis loquor Hieronimi) siue patriarcharum, siue prophetarum sit reperta. Hieron. dial. 1.

Cæterum vt hanc remittamus de potentia diuina contentionem, cui nihil detrahimus, quid interim de gratia, quid de clementissimo illius in nos studio ac voluntate dicemus? quid promittenti nobis Deo respondebimus? *Quid enim*, inquit, *an non certissima pactione suam olim fidem astrinxit Deus fore, vt peccata omnia per Christum deleret? An non tandem hac gratia omnibus adipisci volentibus obuia, parataque promittitur, qua genus humanum omni scelere liberet, qua mentibus, quibus influit, formam diuinæ iustitiæ protinus imprimat, vireſque inuictissimas subministret, quibus cupiditatem elidere, omnes animi labes repellere, turpitudinis & impuritatis fibras omnes extirpare liceat, ita vt compressa iam cupiditate, extincta libidine, sublata contumacis animi prauitate, animus diuino firmatus subsidio, tota mente in diuinæ legis studium incitetur, facillimèque Dei legem seruet, atque salutem consequatur.* Ad minorem responſ. Osor. de iust. li. 2. Osor. lib. 4. pag. 89. De iust. lib. 6.

Quid igitur, quum omnia summo potestatis imperio, diuina complectitur maiestas, sitque illius bonitas in nihilo minus, quàm potestas infinita, an gra-

gratiam hanc existimamus inuandæ suæ creaturæ vnquam defuturam, aut clementiæ benignissimi conditoris diffidemus? Absit nefas. At dic sodes, vbinam fidem hanc suam Deus, quam dicis, ita nobis astrinxit fore, vt excisis omnis peccati fibris, omnique sublata peccandi infirmitate, genus humanum ab omni scelere perpurgatum ita sanaret, vt compressa libidine, veterisque contagii expuncta omni materia, nullæ residēt in hac vita peccati reliquiæ, quin facillimum sit iussis diuinis obtemperare, atque ita salutem consequi? Quo autore, quo teste, quo doctore, quo testimonio aut exemplo verum hoc doces, quod prędicas? Primum, inquies, an non hoc constat odiosum esse Deo peccatum, quod nos vi & immanitate sua, à Dei coniunctione necessariò diuellit? Et qui fieri igitur potest, vt Dominus, qui natura iustus & φιλοδίκαιος existit, non peccata omninò tollat de animis eorum, quos statuit sibi amore coniungere? Deinde, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo, inquit Paulus, nō cum illo omnia nobis donabit? Quod si verum sit Pauli testimonium, constat proinde omni scelere liberari illos, quos summa illa puritas purissimo sibi amore deuinxit. *Nam aliter, si peccatum non excinderet tantum abest, vt omnia nobis donarit, vt maxima ex parte miseros, infelices & erumnosos esse permiserit. Atque ita demum fieret, vt nullum in nos magnum beneficium per Christum Deus ipse*

Responsio.

Confirmatio Osoriange assertionis.

Oso. de iust. lib. 2 pag. 34.

se in nos contuliſſe videatur, ſi nos in ſeruitute peccati deſeruit, ſi ſeruile iugum à ceruicibus noſtris, vt fuerat olim pollicitus, minime deiecit. Quin nec vllum adhuc fructum attulit nobis Chriſti ſanguis in cruce profuſus. Adhuc enim in ſumma miſeria verſamur, non poßumus non eſſe miſeri, quamdiu peccatis alligati detinemur. Accedunt praterea illuſtriſſima ex ſacris oraculis teſtimonia, hãc vnam ſententiam confirmantia, nempè Chriſti numine, crimen extirpari, cupiditatem elidi, libidinem coerceri, humanaſq; mentes à peccato liberatas diuinam formam induere.

Sic enim à ſanctiſſimo Dauide teſtatum accipimus. Quantũ diſtat ortus ab occidẽte, tã longè repulit à nobis iniquitates noſtras. Et aſperges me domine hyſopo, & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor. Eſaias item futurum prædixerat, vt omnes qui cum fide in Eccleſia viuerent, ſancti vocarentur. Et deleuit vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua. Similiter Hieremias: In tempore illo, ait Dominus, quaretur iniquitas Iſrael, & non erit, & peccatum Iuda, & nõ inuenietur. In Ezechiele porro inquit effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Micheas item: proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Porrò autem Zacharias perennem illum fontẽ celebrat, qui erat apariendus ad omnium ſordes eluendas. Illud verò Ioannis Baptiſtæ teſtimonium quàm præclarum, Ecce Agnus dei, qui tollit peccata mũdi.

Oſor. lib. 2. p. 35.
Pſal. 112.
Pſal. 51.
Eſai. 61.
Hieremi. 50.
Ezech. 36.
Miche. 7.
Zacha. 13.
Ioan. 1.

Quæ

Quæ tam multa, cumque his, infinita alia quorsum tendunt denique, nisi vt intelligamus, per Christum, omnes deletas esse peccatricis naturę nostræ fœditates. &c. In hanc enim summam redeunt, quæ lõgo verborum circuitu citas ac congeris.

Augustinus.

Ad quæ tamen tam multa, vna est et expedita responsio ex Augustino. Distingue, inquit ille, tempora, et conciliabis scripturas. Delentur per Christum flagitia nostra, Nemini id dubium est. Sed quo modo delentur, videndum. Delet quidem ille in hac vita, Delebit et in futura. Non vno tamen eodẽmque modo. Aufertur enim per Christũ iniquitas, finemque accipit peccatum, vt Danielis cõstat vaticinio. Sed quo modo in hac carne, si quæras: Respondebit tibi Augustinus: Nemo, inquit, tollit peccatum, nisi Christus, qui est Agnus Dei tollens peccata mundi: Tollit autem et diminuendo que facta sunt, et adiuuando ne fiant, et perducendo ad vitam futuram, vbi fieri omnino non possunt. In hac igitur vita tantum cursus est ad iustitiam, in altera vita erit brabium. Hæc itaque est nunc iustitia nostra, qua currimus esurientes et sitientes, ad perfectionem et plenitudinem iustitiæ illius, qua posthac in altera vita saturabimur. Hinc dicit Apostolus. Non quia iam acceperim aut iam perfectus sim, fratres, ego non arbitror me apprehendisse, vnum autem quæ retro sunt obliuiscens, in ea quæ futura sunt ex-

Delentur peccata per Christum, quo modo.

Dan. 6.

Augst.

Aug. lib. de perfect. Iusticiæ.

Phil. 3.

ten-

tentus, ſecundum intentionem, ſequor ſupernæ vocationis dei in Chriſto Ieſu. &c. Hic ergo, autore Auguſtino, curſus, hic profectus eſt, illic erit perfectio. Profecit autem ille in hac vita non parum, qui quàm longè abſit à perfectione iuſtitiæ, proficiendo cognoſcit. Hic velut in ſtadio currentes de virtute in virtutem progredimur. Illic perficimur. Nunc inchoata tãtum tenemus virtutum ſemina, Tunc in illa plenitudine charitatis, quando perficietur illud in nobis, quod modò imperfectum eſt, implebitur præceptum illud, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Nam cum eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frænetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro ſine anima concupiſcit, quamuis caro concupiſcere dicatur, quia anima carnaliter concupiſcit. &c. Itaque quàm diu carnis hoc onere laborant ſancti, quam excutere nequeunt, peccatum certè in carne inhabitans abeſſe non poteſt. At quo modo igitur, inquies, tollitur è mundo peccatum, ſi graſſatur adhuc in ſanctis peccati lues.

Aug de ſpiritu et litera.

Aug. de perfect. Iuſtitiæ.

Obiectio.

Dicam compendio. Nempè qua ratione mortem ceruicibus noſtris depulit Chriſti mors, & tamen morimur. Idem & in peccati profligatione accidit, vt peccato ſoluti per Chriſtum, peccato tamen non careamus. Semper enim duo hæc iunctiſſimo inter ſe nexu colligata congrediuntur

Reſponſio.

Ergo et peccatum eodem modo per christum tollitur.

diuntur, vt vbi peccatum existat, mors necessariò consequatur. Quamobrem si caro mortis atrocitate tenetur adhuc illigata, eadem etiincitur ratione, perdurare in carne etiam peccati reliquias. Age, & vbi igitur institia illa, inquies, quam peperit nobis Christus? Vis scire, Osori? Vbi vita est nostra, ibi & iustitia versatur. Non in carne hac, quam exuimus, sed in illa, quam olim induemus incorruptam. Huiusce modi sunt enim omnia Christi parta nobis beneficia, vt ipsorũ quidem promissio, vt terra olim sancta hebræis eminus ostensa, fide ac spiritu in hac vita percipiatur: plena autem possessio non nisi ad alteram propriè, solidèque pertineat.

¶ CHRISTVS INCHOAT SVA *beneficia in præsenti vita, in futura perficit.*

SVnuma verò hæc filii Dei beneficia in eo potissimum sita sunt, vt abolito prorsus peccato, deleta morte, nos ex regno ereptos diaboli, in vitæ æternæ possessionẽ restituat, in qua Deus totũ se nobis communicet, totusque sit omnia in omnibus. Atque hoc quidem amplissimum ipsius opus, summa dignitate plenissimum inchoat ille in misera hac vita, perficiat in altera, tum cum fiet hoc, quod scriptum est: Absorpta est Mors in victoriam: vbi mors victoria tua? vbi est Mors stimulus tuus? Quanquam neq; hæc eò dicũtur, quasi

Osee. 13. 1. *Cor.* 15.

quasi nihil interim, aut parũ sit in hac etiam vita quod præstet nobis opitulatrix Christi gratia. Quemadmodum suos olim Israelitas in vasta quidem solitudine nunquam æterni numinis destituit auxilium, quos introducturus erat in promissionis sedes: ita neque exigua certè sunt Christi erga nos beneficia, non paruæ benignitatis opes, quas cumulata manu, quotidie in nos profundit præsentissima Christi gratia, quum in peccatrici hac natura, subinde adiuuat infirmitates, peccata condonat, verbo instituit, spe reficit, fide suffulcit, Sacramentis pascit vegetatque: Spiritu nos refocillat suo, muneribus ornat, corda renouat & excitat ad Spirituales motus rectioris vitæ & obedientiæ, affectus comprimit vitiosos: cuius ductu increscunt in nobis initia vitæ æternæ, agnitio Dei, inuocatio, timor, fides, vera pœnitentia, noua lex & imago illius qui condidit nos. &c. Atque hæc quum assidua in nos cura, operatur Christus indies magis ac magis, id quod in nobis inchoauit, prouehens ac maturans, non est proinde quòd otiosa hic Christi gratia cuiquam videatur. Verum discernenda sunt tamen initia hæc diuinæ gratiæ, à perfecta illa & integra renouatione naturæ, quæ in glorificatis post hanc vitam conspicietur. Etsi enim nemini dubitandum sit, quin diuina spiritus sancti ope magna conferantur credentibus adiumenta, tum ad ea, quæ grauiter criminosa

Terra promissionis figura nostræ hæreditatis.

Christi gratia, quæ quantaque conferat adiumenta in præsenti vita.

Christi gratia nunquam in suis ociosa.

*Rom.*8.

sunt, effugienda, tum ad excolenda pietatis officia: de quo Paulus Rom.8. Qui spiritu Dei, inquit, ducuntur hi sunt filij Dei: tamen non tribuitur renatis solida in hac vita conformitas cum lege Dei, sed ad alteram vitam differtur. Nam vita sanctorum in his terris, vita non carnis sed fidei potius dicenda est: non absolutæ, sed inchoatæ dilectionis & mortificationis. Quippe quæ non tam in Iustitia cernitur, quàm in Iustificatione, non in sanctitate, sed in sanctificatione: non in puritate, sed in purificatione: non in perfectione, sed in profectu.

Vita sanctorum in his terris non tam carnis est, quum fidei: non tam in iustitia quum in iustificatione cernitur.

At hoc nullo modo ferendum putat bonus hic noster, qui sic ἀφῆισε γένεσθαι, quasi omnis salutis nostræ ratio nō in iustificatione (cuius nec vocabulum etiam vlla dignatur mentione) sed in iustitia ipsa, non in profectu, sed in perfectione virtutum statuatur; nec aliter liceat ad iusta illa felicitatis præmia aspirare, nisi obeundis his vitæ officijs, quæ legis præscriptione continentur. O miseræ nimis res mortalium, siquidem vera sunt, quæ tu nobis, Osori, euangelisas. Sed quo tandem Euangelij autoramento hæc confirmas quæ astruis? *Nulla*, inquis, *ratio est, aliquem Deo coniungi nisi sit illi amicus*. Audio. Quid deinde? *Amicus porrò illius esse nemo potest, nisi fuerit illi similis*. Istud durius, pergat inductio. *Diuina autem similitudo tota est vera virtutis studio*

Iustificationis vocabulum nullo modo recipit Osorius.

Osor. de Iustic. lib 4. pag. 96.

&

& exercitatione constituta. Ex his ergo concluditur. Nullam esse aliam viam, quæ nos Deo coniungat, nisi quæ sit in virtutis perfunctione, & præclaris officijs posita. Age & quid tum fiet his, qui septies in die cadunt iusti, & tamen resurgunt? Quid illis porrò omnibus, de quibus commemorans Iacobus. In multis, iuquit, offendimus omnes? quid istis denique quos iubet Christus orare, Demitte nobis debita nostra. *Prouerb. 24.* *1. Iacob. 3.*

Postremò, quod ais neminem Deo coniungi, aut in gratiam recipi, nisi qui sit illi amicus; id si ita sit, quo igitur modo Deus ipse suæ respondet legi, quæ iubet non amicos solum colere, sed deprecari etiã pro inimicis? Quæso quũ Deus ita dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, quid aliud mundus hic tum, quam inimicus deo fuerat, quem tanta tamen prosequutus est sua gratia? Quid quod desertè testatur Paulus, non amicos, sed inimicos nos deo reconciliatos, adeoque commendari in eo dicit charitatem Christi, quòd pro inimicis sit mortuus. Et rursus, si cum inimici essemus reconciliati fuimus deo, per mortem filij eius, multo magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Vide, amâbo, quãtum inter Pauli sententiã & tuã intersit Osori. Ille recõciliatos nos deo affirmat, cũ essemus inimici, Tu neminẽ admittis in gratiã, nisi qui ei amicus exiſtat, totaq; vitæ similitudine illi cõformis. Et qui tũ cõstabit mandatũ *Ioan. 3.* *Rom. 5.*

illud Christi de diligendis inimicis, idque exemplo paternæ benignitatis, qui beneficio & solis & pluuiæ non amicos modò dignatur, sed etiam inimicos, si modò diuini fauoris gratia, non nisi amicis solum, ipsique similibus pateat. Atque vt obiter nonnihil hic attingã ex propheticæ scripturæ mysteriis, dic quid aliud nobis designat insignis ille receptus Iacobi & filiorum, in terram ægypti, Gen. cap. 47. quos Rex humanissimus ad se perductos, cui ante ne noti quidem fuissent, ex alieniginis inquilinos, ex ignotis charos sibi subditos, non modo in rempub. suam, sed & in amicitiã recipit, nulla quidem omnino ipsorum causa, qui nihil secum adferebant, præter famem & inopiam: sed Ioſephi solum gratia, quem rex intimè sibi chariſſimum habuit. Ioſephus hic sub humili historia, quid nobis repræsentat aliud, quàm sublimẽ dei filium vnicè dilectum? In fratribus, patre, totaq; cognatione, quid aliud quàm nos miseros peccatores intelligas, quos delictis mortuos, conuiuificauit Christus, atque ex inimicis amicos patri reconciliauit, nullo operum nostrorum merito, aut conformitate, sed solum gratia illa, qua pollet ipse apud patrem.

Gen. 47.

Sed age, argumentum Osorianum breuiter in legitimam formam reuocemus, quo singulas eius partes rectius intueamur.

Osor de iust. li. 9. Nu. 96. Lib. 8. Nu. 61.

Ma. Soli hi cum deo amicitia coniunguntur, qui sunt ei similes,

Mi. Qui peccatorum labe inficiuntur, non sunt

sunt deo similes.

Con. *Ergo:* Eorum nulli quibus peccati inhæret labes, vllam habent cum Deo coniunctionem:

Atque inde ex contrario sensu colligitur necessariò concludendum, vt abolitis omnibus vitiorum maculis, *eximia quadam iustitiæ similitudine, cum Deo conueniat is, qui eius coniunctionem expetat.* Respondeo primum ad Maiorem, quæ non est perpetuò vera. Etsi similitudo morum sæpe vim habet non paruam ad conciliandas amicitias in communi vsu vitæ, vt refert Cicero, at non ita tamen omnia, quæ quocunque modo dissimilia sunt, opponūtur: vt cōsistere simul nequeant, quin se oppugnent mutuò. Vt multa sūt in rebus diuersa, non quæuis tamen diuersitas dissuit charitatis necessitudinem: quemadmodū rursus nec omnes vbique amicitiæ firmo nexu inter se cohærent, quicunque dotibus ac ingeniis aliquo modo conueniunt. Certè in diuina charitate nullam habet causam hæc conformitatis conuenientia, cur in gratiam illius non recipiantur qui proximè ad illius accedunt imaginem. Ita fieret, vt cæteris exclusis creaturis omnibus, solas angelicas virtutes propitio fauore complecteretur cœleste numen. Quanquam ne hic quidem etiam, si Angelos ipsos spectes, cum diuina sanctitate vlla coalescit similitudinis proportio, teste Roffense: Qui iustitiā aliam dicit esse hominum, quām Angelorum. Et istorum rursus aliam

Nihil est quod tam alliciat ad amicitiam, quam similitudo, qua fit, vt boni bonos diligant. Cic. in Lælio.

Similis simili semper hæret. Plat. de amore.

Roffens. contra Luther. Articul. 31

esse, quàm Dei. Sicut igitur hæc Angelorum iustitia, si cum Dei iustitia conferas, imperfecta videbitur, & à summa illa rectitudine longè latèque deficiens, & quæ peccato tamen (*fortassis*) caret: Sic si humanam cum Angelica perfectione componas, imperfectione aliqua laborabit, sic tamen vt opera eius non omnia peccato subijciantur. Hactenus Roffensis. Accedit huc Augustinus, qui iustitiã nostrã, quæ nunc est, cum illa quę futura sit, componens, de eius dissimilitudine hęc habeat. Cum fuerit illa, inquit, iustitia, se cundũ quã viuunt, vbi nulla erit cõcupiscentia, iã vnusquisq; metiatur se, quid est modò, & quid erit tunc, & inueniet in cõparatione illius iustitię, ista dãna esse & stercora. &c. Et mox paulò. In resurrectione nos credimus impleturos esse iustitiam, id est, plenam nos habituros iustitiã. In comparatione illius, stercus est tota vita, quã gerimus. &c. Age, & quam hic dices, Osori, similitudinis conuenientiã inter vitã hanc stercoreã, & illũ omnis sanctitatis sumũ autorẽ & principem.

Aug. de tempore Sermone 49.

¶ ASSERTIO OSORII, QVA probat nullam coire poße cum Deo conciliationem nisi, reciſſis prorſus omnibus peccati reliquijs.

Alia Osorii cauillatio contra Lutherum.

AT excipiet hic iterum Osorianus forsitan aliquis. Etsi non omnis dissimilitudo distrahit amicitiæ connectionem: at quæ ita tamen diuersa

uersa sunt, vt etiam mutua repugnantia sibi opponantur, ea vt inter se cohæreant, fieri ratione nulla possit. Cuiusmodi sunt virtus & vitium, Iustitia & peccatum, Amor & odium. Quamobrem quum Deus singulari ratione, ita per se totus sit natura iustus, vt peccatum non odisse non possit: Contra sic homo totus sit peccato immersus, vt in omni bono opere, iuxta positionem Lutheri, ipsi etiam peccent sancti, in hac tanta rerum inter se pugnantium dissimilitudine, *quî fieri potest, vt summa illa sanctitas, vllam ineat participationis coniunctionem cum homine, si talis sit, qualem Lutherus describit.* Ita enim Osorius ex bene dictis Lutheri, perperam abs se intellectis, atque ad calumniam peius detortis, pessimè struit, non quod verum sit, sed quod ipsi videatur. Sed occurramus primum dilutæ obiectioni: Deinde Lutheri partes contra sæuas aduersariorum incursiones, qua licet tueamur. Ac primum quòd iustitia & peccatum, contraria inter se maximè ratione repugnent, negari id quidem non potest. Quin neque illud minus etiam verum confitemur, Deo exosam atq; exposam esse omnem peccati impuritatem. Palam fit enim ira Dei de cœlo super omnẽ impietatẽ & iniustitiã hominũ, qui veritatẽ dei in iniustitia detinent, clarissima vox est Apostoli. Quod quũ ita sit, quid superest ergo, nisi vt vita piorũ, aut ṍni vacet crimine in hoc seculo, sicut contendit Osorius: aut si id fieri non possit, *Rom. 1.*

Cauilli repulsio

Vti assirmat Lutherus, omnes succumbant iræ Dei oporteat. Respondeo cum Diuo paulo, id quidem necessariò sequi, nisi accedat Mediator, qui se iræ Dei opponat, pro peccatore, qui pro peccato satisfaciat, qui veniam impetret, qui iuditij emolliat rigorem, imo qui iudicium etiam de reis totum in seipsum transferat, vt iam Iudex sit ipse causæ, qui criminis est condonator. Sic enim in Euangelio audimus: pater meus neminem iudicat amplius, sed omne iuditium dedit filio: Et rursus: Omnia sunt tradita mihi à patre meo. Quæ omnia beneficia, quum à Christo benignissimo mediatore, supra quàm credi possit, cumulatè accipimus, non est, Osori, cur in tanta gratiæ amplitudine, tam strictis iustitiæ ponderibus nos vrgeas, perinde quasi sub lege modò, non sub gratia essemus. At quanto magis tuo tum officio, tum saluti conueniebat, vt communi pariter nobiscū submissione, gratiæ Dei cōcederes, mediatoris agnosceres beneficia, omnique mentis gratitudine in sempiternas illius laudes, in omnē memoriam decantandas incumberes.

Omne iuditium iam penes filium.

Ioan. 3.

Luc. 10.

Aliud peccatum est, Aliud homo peccator apud Deum.

Paucis igitur vt rem minime difficilem transigamus. Quòd odiosum Deo peccatum esse dicis, nihil est verius. Sed aliud est tamen de peccato, aliud de homine peccatore dicere. Odit quidem ille peccatū: & odit etiam medicus morbum, at non ita tamen, vt ægrotum perdat, sed vt sanet. Quæ de re si mihi non fidis, Audi Augustinum.

Augustinum. Non is Deus est, inquit, qui quædã peccata damnat, quędã iustificat & laudat. Nulla laudat, sed odit omnia, sicut medicus odit ægritudinem, & id agit curando, vt ęgritudo pellatur. Sic deus gratia sua hoc agit, vt in nobis peccatum consumatur. Sed quo modo consumitur? minuitur in vita proficientium: In vita consumetur perfectorum. &c. August. tract. 41. in Iohannem.

Minuitur peccatum in hac vita non tollitur.

¶ DE PECCATIS SANCTORUM, assertio Lutheri contra Osorium defenditur.

VEnio nunc ad Lutherum, quẽ tu tam indignis modis, ac nõ dicendis conuitiis, imò mẽdatiis tam tragicè exagitas. Quid ita? Nempè, quia sanctos etiam ipsos peccati insimulare sit ausus. Quod tibi sęcl[illegible]deo execrandũ videtur, ac si nulla possit contumelia maior *non solum in sanctos ipsos homines sed in totius sanctitatis autorem & principem intorqueri.* ✠ Quin eodem impetu in Hyeronimũ similiter, in Augustinum, in Bernardũ, cæteroſq; primariæ antiquitatis spectatissimos scriptores hæc iurgia confe[illegible]as

✠ *Aug. de vera & falsa pœnitent. ca. 5.* Cur dominus petri pedes lauisset, nisi quia quotidiana est offensio, oportet vt sit quotidiana etiam remissio. &c.

Cypria. Si autem nemo sine peccato esse potest, quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus aut stultus est.

Hyer. cont. Pelag. Dial. 1. Sine autem peccato perpetuo diuinæ solius est potestatis. Itaque audi exemplum qui absque peccato fuerit inperpetuum. Aut si dare non potsis, confrere imbecillitatem tuam et noli imponere in cœlos os tuum, vt per esie, et esie posse stultorum illudas auribus.

conferas. Quos omnes aut cum Luthero absoluas, aut Lutherum non sine his condemnes necesse sit. Quum nemo sit istorum omnium, qui cuiquã, præterquam soli Christo titulũ hunc honoris ascribendũ existimarit, vt omni prorsus offensionis nota careat. *Non, sed Lutherus,* inquis, *omnes mortales quãtumuis in fide confirmatos, in peccato versari, atque in sanctis etiã, quãdiu statũ suum cum fide tuentur, peccatum vigere contendit, adeòq; eosdẽ in omni bono opere peccare profitetur.* Et quid tam rectè quisquam dixerit vnquã, aut fecerit, quod perperam narrando, commentante maximè calũnia, deprauari non possit? Quod de peccatis sanctorum asserit Lutherus, si cum statu quæstionis, verba commodè appendantur, nihil habet piaculi. Veluti si quæratur, vtrum opera renatorum bona in hac vita dicenda sint, an peccata: Non negat Lutherus bona quidem esse renatorum pia facta: Sed hoc ipsum, quòd bona sint apud deum illique placeant, id non ratione ipsius operis prouenire, sed ratione fidei & mediatoris, cuius causa placẽt deo pia suorum studia, & inchoata obedientia, quamuis alioqui sua natura imperfecta. Nõ igitur in eo est controuersia, an renati iuuante Dei gratia, piè ac præclarè aliquid operari queant in hac vita. Neq; an possit absoluta Dei gratia in renatis id præstare, vt opera ipsorum omni vacent peccato. Sed an gratia Dei in hac carne, cuiquam renatorũ, tantã suppeditet iustitiæ perficiendæ facultatem, vt illius vl-

Osor de iust. lib. 2 pag. 36. 35.

Opera renatorũ quo modo bona sunt, quo modo peccata. Aug. in prim. quinqua. Psal. 31.

Crede in eum qui iustificat impium vt possint bona opera tua esse bona, nã nec bona illa appellauerim quãdiu non de radice bona procedunt.

Status cõtrouersiæ in quo versatur.

lum

lum opus exiſtat tam integrum ac perfectum, vt ſi ad normam exigatur diuinę legis, venia non egeat, & Mediatore. Quod ſi autem miſericordia indigeat, cum labe igitur & peccato adnectatur neceſſe eſt, vt iam laus ſit mediatoris, non hominis: imputationis, non actionis: gratiæ, non meriti: fidei, non operum: quòd opera renatorum & ſanctiſſimorum hominũ Deus ſibi grata habeat. Neq; verò aliud eſt bonorum noſtrorum rectitudo, quàm dei ignoſcentia, & iuſtę ſeueritatis remiſſio. Vnde rectè concludit Apoſtolus, eos qui ex operibus legis ſunt (nõ de malis ſed de perfectiſſimis vtiq; loquens operibus) ſub maledicto eſſe. Atque hac quidem ratione verum eſt, quod refert Lutherus, iuſtum in omni opere bono peccare: non quòd opus ipſum lege Dei præſcriptum peccatum exiſtat, ſed quòd quicquid minus eſt, ſẽtentia Auguſtini, quã debeat, in vitio ſit. ¶Ex quo haud obſcurè apparet nullum eſſe opus in hac vita tam integrum, in quo non aliquid deſideretur, hoc eſt, in quo non peccatum inſit, ſi ex ſtricto legis rigore iudicetur.

Aug. de ciuitate lib. 19. ca. 17. Ipſa iuſtitia noſtra tanta eſt in hac vita, vt potius remiſſione peccatorum conſtet, quam perfectione virtutum.

Hyeronimus in Ezech. lib. 14. cap. 46. Perſpicuum eſt, omnem hominem quãuis ad perfectionem venerit, tamen indigere miſericordia Dei, &c.

¶ Aug epiſtola 31 ad Hieron. Charitas qua id quod diligendum eſt, diligimus. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla. Pleniſsima vero, quæ iam non poſsit augeri, quamdiu hic homo viuit, eſt in nemine. Quamdiu autem augeri poteſt, illud quod minus eſt, quam eſſe debet, ex vitio eſt, &c. Idem in Pſalm. 142. Nullus vnquam bonum opus fecit tanta charitate, quanta potuit et debuit.

¶DE

¶ De gratia Dei, quo modo ea definitur apud Osoriũ, cum confutatione definitionis.

CResc unt argumenta, quoniam de gratia renatorum incidit hic mentio, ostenditur, vel inuita Dialectica, Gratiam Dei nihil aliud, quàm iustitiam esse & virtutem, hoc nomine, *quòd quũ maximè ea sit, quæ deo nos gratos efficiat, nec quicquam gratiũ deo esse possit, quod non sit ei simile, hac conclusione effectum satis putat, quũ nihil nos similes deo reddat præter solam iustitiam & virtutem, gratiam proindè nihil esse, si virtus non sit & iustitia.* Quid multis moror? si gratia ea ab Osorio intelligatur, quã toties per omnes epistolas commendat nobis D. Paulus, vtrumque falsum est, quod contra Apostolum hic assumit episcopus. Neque enim rectè definitur hoc modo gratia, vt nihil sit aliud quàm virtus aut iustitia. Ac primum virtutem esse, id planè negat Thomas in summa Theologica. Parte 12. quæst. 110. articul. 3. vbi disputans ille de gratia dei. Etsi eam reduci posse non negat ad primam speciem qualitatis, quòd virtus tamẽ sit, id prorsus renuit ac refellit, in hãc denique sententiam concludens, quod habitudo sit quędam ad virtutes infusas præsuppositа, tanquam earum principium & radix. &c.

Osor de Iust. li. 5. Nu. 127. 128. b.

Gratiæ definitio, iuxta Osorium.

Tho. 12. quæst. 100. ad tertium

Gratia non idem est quod virtus, sed principium tantum virtutis.

Præterea in Sentent. Lib. 2. Dist. 26. Art. 4. eadem de re arguens, quòd gratia & virtus non

sint

sint idem: Si virtus, inquit, ab eodem haberet, & quòd virtus esset, & quòd Deo gratum redderet, consequens esset, vt omnis virtus idem faceret. Atque ita quum quædam virtutes per actus, non per infusionem acquirantur, sequeretur secundũ hæresin Pelagianam, quòd ex libero arbitrio homo gratus efficeretur. Sin autem ab alio, non ex eodem haberet, & quod virtus sit, & quod gratũ Deo reddat, oportet quòd gratia & virtus non sint idem secundum rem. Diuersis enim effectibus, qui diuisim inueniuntur, diuersa principia respondent. &c.

Oforius confutatus a Tho. Aqui.

Quod si ita sit, vt gratia virtus esse negetur, certé nec iustitia eadem ratione dici poterit, quum iustitia sub genere virtutis necessariò contineatur. Et quid mirum interim, si nostro huic tam malè cum Lutheranis conueniat, qui neque cum suæ etiam classis doctoribus ac ductoribus angelicis, in tam apertis Theologię capitibus, satis congruat? Sed ratiocinationes nunc ipsius, ac probationum firmamenta, cuiusmodi sint aduertamus.

Quod gratia non sit idem quod iustitia

Ma. Id nos Deo conciliat gratosque reddit, quod similes nos illi efficit.

Mi. Sola iustitia est, quæ nos similes Deo reddit.

Con. *Ergo*: sola iustitia nos conciliat gratosque efficit.

Argumentum Oforii et pontificiorum, pro iustitia operum.

Sequitur deinde τὸ τῆς τῆς προειρημένοις τὸ ἀκό λυθον aliud, ex eodem constructum fundamento argu-

argumentum.

Ma. Gratia nos Deo gratos facit atque coniungit.

Mi. Iustitia gratos nos Deo efficit atq; coniungit.

Con. *Ergo:* Iustitia aut gratiâ est & virtus, aut nihil est.

Primum, argumenta hæc æque vtraque eodem laborant Elencho. quippe quæ præter legitimas ratiocinandi leges concludunt affirmatiue in secunda figura, ita vt sunt ab Osorio posita lib. 5. Cæterum subleuemus laborantem hic boni viri dialecticam. Ita enim potius (ni fallor) ex definitione gratiæ colligere voluit,

Argumentum.

Ma. Cuicunque conuenit definitio, recte conuenit definitum.

Mi. Definitio gratiæ rectissimè quadrat in iustitiam.

Con. *Ergo:* Iustitiæ conuenit ipsum definitum.

Responsio ad argumenta.

Respondeo ad minorem per inficiationẽ. Neq; enim quæ propria definitio est gratiæ, eadem iustitiæ conuenit, quum res ipsę longé inter se dispares sint, tum quoad causas, tum quoad effectus. Etenim si Thomæ credimus. Gratia principium & causa est iustitiæ, omniumque virtutũ: Iustitia causa non est gratiæ, sed eius potius effectus. Quin nec multum à Thomæ sententia recedit Albertus Ratisponensis, qui in eandem

Albertus magnus in sentent. lib. 2. disti. 26. art. 4.

eadem sententiam commentans, eadem distinct. art. 4. hæc habet. Gratia est habitus vitæ vniuersaliter ordinatus, non secundum gradus ordinatorum, sed quatenus relatio totius vitę ducitur ad consecutionem finis. Hoc autem non facit iustitia, nec virtus, quia non necessariò iustitia in eo quòd iustitia, vel virtus, facit dignum vita æterna, &c. Quod si verò propria veraque causa perquirenda sit, quæ nos diuinæ dilectioni conciliet, dignosque vitæ æterna reddat, eam non in iustitiæ operibus sitam esse, sed ex alia causa proficisci comperiemus, Quænam autem ea sit, Christus ipse magister optimus, te docebit in Euangelio. Cui non aures modo arrectas, sed fidē etiā adhibeas rogo atq; obsecro. Sūt enim ipsius in Euāgelio verba: Pater enim ipse diligit vos, quia vos me dilexistis, & credidistis, quia a patre exiuerim. Ex quo vides non iustitiæ aut virtutis nostræ, sed charissimi solum filii sui causa fieri, quur nos Deus pater cura ac amore suo prosequitur. *Ioan. 16.*

Argumentum Osorii quo probatur iustitia nihil esse aliud, quam gratia.

Quid ergo, an non iustitia, inquis, homines piè iusteque versantes in hoc seculo gratos Deo efficit? Quod si fit, non potest aliud existimari quàm gratja. Quicquid enim Deo gratos reddit, gratia meritò censetur. Iustitia gratos Deo reddat. Est ergo gratia. Quod ad minorem attinet, haud equidem abnuerim, quin iustitia, vt res Deo est gratissima, ita gratos deo reddat, si perfecta sit, diuinæque

que perfectioni respondeat. Quod quum nobis in hoc seculo donatū non sit, alia nobis ara quærenda est, aliis opus adminiculis. Proindè si apud Deum gratiam vllam inire studemus, ad Christum nos conferamus, fide eum amplectamur oportebit. Quanquam verò non me fugit, quò spectat, et quos sequitur magistros, quo denique nititur fundamento bonus hic argutator. Nititur enim ueteri & obsoleta illa, nec tam vsu trita, quàm leuitate futili & ieiuna distinctione scholasticorum, qui gratiæ vim multiplicem pro sua subtilitate in duas plærique, nonnulli in tres aut plures partes dissecant. In gratiam nimirū gratis datam, & gratum facientem. Rursusque posteriorem hanc, anatomica uelut sectione, in venas plures distrahunt, in operantem, quam in tres rursus riuulos diffundunt, præuenientem, incipientem, liberantem. Deinde in cooperantem. quæ similiter triplex est. Subsequens, proficiens, adiuuans.

Gratiæ varia distinctio apud scholasticos.

Lombardus sentent. l. 2. d. 26

Gratia operans proueniens.
Incipiens liberans.
Gratia cooperans subsequens, perficiens.
Adiutans.

O Christe sancte, quo studio, quanto conatu, quas telas hic nobis aranearum nectunt nugatores isti, quo saluteferam gratiæ doctrinam fumis ac fuligine suarum nugarum obruant. Nam si de gratia illa dicendum sit, ad quam omnis salutis nostræ ratio refertur, quis ex literis Euangelicis & Apostolicis eam nō intelligit ita descriptam, vt sola existat, quæ in gratuita Dei indulgētia erga miseros peccatores posita charos habet in Christo filio, quoscunque in eum credentes,

Gratiam vocabulum in Euangelicis et Apostolicis literis, quid significat.

peccata

peccata eis condonat, ſpiritum ſuum, vitam & eternam felicitatem ijſdem, licet alioqui immeritis, filij ſui cauſa elargitur. Atque huius quidem gratiæ etſi non vna ſit operatio, effectus verò diuerſi, variaq; chariſmata pro donorum diuerſitate: at ipſa tamen non niſi vna eſt diuina gratia, quæ nobis ad ſalutem & gratis data, & quæ gratos Deo eos efficiat quos ſeruarit, vna eademque cauſa et ſeruandi & renouandi exiſtat.

Quamobrem meritò iſtorum reprehenditur diſtinctio, qui per gratiam gratos faciẽtem intelligunt habitus, & dona diuinitus collata, atque ex his ineptiſſimè concludunt homines de gratos effici, quum ſola ſit miſericordia in Chriſto mediatore, quæ non ſolum nos dilectos ſibi habeat, ſed electos etiam habuerit, priuſquam vllis donorum ornamentis imbueremur. Præterea ſi ita habeat res, quemadmodum iſti diſiniunt, vt non ſola in Chriſtum fides, ſed dona habituſq; virtutum diuinitus infuſi Deo gratos reddant: quid igitur de ijs dicetur, qui etiam extra Chriſtum, multa ſæpe huiuſmodi nobiſcum præclara chariſmata poſſiderunt, in quibus æquè nobiſcum non modo certant eorum permulti, ſed vincunt etiam non nulli, Cuiuſmodi ſunt genera linguarum, dona ſanationum, prophetia, virtutes excellentes, acumen ingenij, vires corporis, ornamenta animi. Iudæi ſpem ſortem in Deo habent. Turcæ charitatem inter ſe retinent. Quid autem, an iſtos etiam Deo gratos ex ijs

Contra Lombardum, Thomam, Scotum, hiſque aſſectatores.

effici affirmabimus? quod dictu absurdum sit. Vt igitur concludamus, fatemur charismata huiusmodi res esse, quæ vitam hanc exornent, naturam illustrẽt, dei liberalem benignitatẽ nobilitẽt, sed quæ tamẽ nos neq; regenerent, neq; iustificẽt apud deũ. Id enim soli Christo debetur per fidem, nec conuenit aliis creaturis quibuscunque tribui: iuxta illud D. Pauli: Iustificati igitur fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Quanquam non me latet interim, quid hic respondeãt. Nõ se agere de operibus iis, quæ viribus naturæ gentes peragãt: nec quę ex ductu solum legis extra fidẽ á Iudeis fiunt, sed quæ ex fide Christi. Quid ergo, an non præclara, inquiunt, operum huiusmodi studia Deo sunt cordi? An non illi pergratum, acceptumque habetur, quicquid rectum, quicquid cum virtute & honestate coniunctum, quicquid ex officio & pietate cum fide susceptum rectè geritur? Huic vt respondeam, tria obiter incidunt obseruanda. 1. Cuiusmodi sint opera ista de quibus agitur, perfectanè, an secus? 2. Quo modo deinde placeant, per se, an ratione fidei? Tertio, quantopere placeant, an vt vitam æternam emereantur, vt veniam violatæ iustitiæ impetrent, vt opposita iræ Dei, vindictam ômnem auertant, possintque in eo consistere, sine aliqua peccatorum remissione, vt iuditio satisfaciant? Nam hæc omnia necessaria attentione hic spectanda sunt. Primum quum summus ille rerum opifex

Rom. 5.

Tria in operibus bonis spectanda.

opifex Deus, summè sua sit natura sanctus, omnisque bonitatis perfectio, cõstat nihil per se illi acceptum καὶ ἐυχείσου εἶναι, quod aliqua imperfectionis labe sordidatum, non modis omnibus exactissimæ ipsius puritati respondeat. Nunc verò quum verissimum sit, quod nec ipse negat Osor. neminem vnquam tam bene subducta ratione ad vitam esse, *qui perpetuum vitæ cursum sine graui aliquo lapsu confecerit*: nec vllum esse statum animi diuina gratia ita constitutum, quàm sit diuinis opibus exaggeratus, in quo nihil fuerit vnquam vel perfidia violatum, aût errore mentis offensum, aut negligentia prætermissum: aut quod denique nõ constet remissione magis peccatorũ, quã perfectione virtutum, quid restat ergo nisi aût falsum sit, quod de humana perfectione nostrer hic crepat. Osor. aut aliquid certè exquiratur oportet, præter virtutes ipsas, quod inchoata hæc initia nostrarum imperfectionum diuinæ perfectioni commendet, ac fauori reconciliet.

Osor. lib. 5. Pag. 119. b.

Aug. de ciuit. dei, lib. 19. cap. 27.

Quidnam illud ergo existat, quód peccatores Deo reconciliatos reponat in gratiam, superest id modò perquirendum. Cum autem iustitia, vt dictum est, nostrarum virtutum, perfici hæc reconciliatio non possit, totum proinde munus hoc reconciliãdi in sola dei gratia positũ esse fatendum est. Id quod nec ipsi nobis negabunt pontificii, qui in eo simul conueniunt cũ nostris, hominem gratia iustificari. Sic enim ab Osorio

In sola dei misericordia, omnis continetur iustificatione.

Oſor. de iuſtic. lib. 6. Nu. 151.

ipſo diſertè teſtatum his verbis audimus: *Non igitur qui meritis, inquit, ſanctorum hominum cœlum tribui dicunt, Dei gratiam labefactãt, vt quidam homines imperiti dictitant, ſed admirandum gratiæ ipſius effectum debitis laudibus illuſtrant. Hi enim ſumus, qui omnia ſanctorum merita ad Dei benignitatem & gratiam referenda exiſtimemus, ita vt ſit perpetuò dicendum. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. &c.* Præclara quidem verba audio, ſi non verba ſatis iam nobis dediſſes Oſori: Verùm qui res ipſas & argumenta, totumque orationis ductum cum iuditio expenderit, longè aliud comperiet, nihil te minus agere, quàm quod verba præ ſe ferunt, nihil enixius toto conari ſtudio, quàm vt ſub plauſibili gratiæ titulo, aduerſarium gratiæ (vt cum Auguſtino dicam) tam occultum tegas, cum cæteris tuæ cateruæ conſodalibus: Qui omnes in eadem edocti ſchola in hoc vnum tanquam ſigno dato, conſpirare videntur, vt omnem gratiæ Euangelicæ vim euertant, fidei certitudinem peſſundent, conſolationis omnem obruant firmitatem. Quis etenim gratiæ locus, te obſecro, ſi non gratuito munere conferentis, ſed meritis ſanctorum hominum vt ais, cœlum, tribuatur? Et quid Paulo igitur reſpondebis Apoſtolo, qui negat iam gratiam eſſe gratiam, ſiquidem ex operibus res agatur apud Deum? Vnde non immeritò contra te tuoſque id afferri poſſit, quod

Ad benignitatem et gratiam Dei omnina renocare videri volunt papiſtæ, quũ re ipſa nihil faciunt minus.

quod Augustinus olim, contra veteres sui temporis Pelagianos pugnans, induxerit. Sic enim contendis: *meritis sanctorum hominum cœlum iure meritòque tribui*. Contra Augustinus Apostolica doctus authoritate, Si vllis, inquit, meritis datur, iam non gratis donatur, sed debita redditur: ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur, vbi merces, vt habet Apostolus, non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Vt autem vera sit gratia, id est, gratuita, nihil inuenit in homine cui debeatur: alioqui ex sententia Apostoli, gratia non esset gratia. &c. Age,& quo tandem colore hæc inter se repugnantia coherebunt? Affirmat Augustinus cum D. Paulo, gratiam nihil inuenire in homine, cui debeatur. Vt sit gratuita. Contra pontificij miritis sanctorum cœlum, ceu iure debitum tribui contendunt. Quid pugnantius? Gratia, ait ille, non solum iustum adiuuat, sed impium etiam iustificat. In quo gemina diuinæ gratiæ effectio, fructusque tum in iustis adiuuandis, tum in impijs iustificandis, cernitur. Quorum vos altero contenti alterum vel indignè pretermittitis, vel quod fœdius est, oppugnatis sceleratè, dum nullam admittitis iustificandi gratiam, nisi quę cum virtute & iustitia meritorum coniuncta videatur. Et tamen post hæc omnia, quum nihil contra gratiam hostilius dici possit, persuasurus est nobis suauis hic Rhetor, phaleratis

Aug. lib. de patien. ia. Cap. 20.

Rom. 4.

Antithesis inter gratiam et meritum.

Aug. de patientia Cap. 20.

ofor. lib. 6.

ſuis dictis, minimè ipſos eſſe, qui dei gratiam labefactant, vt quidam imperiti homines dictitant, ſed qui admirandum gratiæ effectum debitis laudibus celebrant, omnia ſanctorum merita ad Dei benignitatem,& gratiam referenda doceant. Atque iſtud quidem certiſſimum fatemur, nihil eſſe quod ad gratiam Dei non ſit referendum, vnde Hieronymus pro ſacrilegio ducat, ſi quis abſque gratia, poſſe ſe non peccare putet. Sed adhibenda hic explicatio eſt quid Gratiæ velit vocabulum, ex Euangelica cautione. Gratia enim in literis ſacris non tantum intelligitur de auxilio ſpiritus ſancti, ſed vtrumque complectitur,& gratuitam imputationem,quæ fit propter Chriſtum (quam pontificii perferre nequeunt)& auxilium ſpiritus ſancti in exequendis virtutum officiis.

Gratiæ vocabulũ diſtinguitur.

¶ PONTIFICII ET EVANGELICI *quatenus conueniunt & diſcrepant in vocabulo gratiæ intelligendo.*

Gratiæ vocabulo quid intelligunt pontificii, quid Euangelici.

QVòd igitur videntur pontificii ſimul & Euangelici, iuſtificationem hominis gratiæ aſſignare, in eo ſimul vtrique conueniunt. Sed hoc illi ſuo loquendi more, nos noſtro dicimus. Inter hos verò,& Euangelicos hoc intereſt,quòd illi nomine gratiæ intelligunt dona tantum, quæ conferuntur iis, qui iuſtificantur, nimirum habitus, quos appellant, infuſos, & præclaras dotes

dotes pulcherrimarum, virtutum, aliaque id genus, quibus electi gratuito Dei dono imbuuntur. At diuersa pars aliter ex Scripturis edocta, patrumque confirmata sententijs, quum videant hæc ipsa dona diuini Spiritus, quoad in carne hic viuitur, nostro vitio imperfecta esse, negant posse homines illis iustificari, quando ex his nulla ratione possit diuino iuditio satisfieri. Eòque fit, vt cum D. Paulo iustificationem diuinæ solum gratiæ & misericordiæ ascribant, non quæ virtutum remuneratione aliqua, sed imputatione potius iustitiæ, & peccatorum constet condonatione. Non igitur, quòd rectè affirmant, omnia bona nostra opera ad gratiam diuinam referenda esse, id nos in illis reprehendimus: Quod nec ipsi Iudæi, nec Turcæ denegabunt. Sed quòd gratiam hanc non rectè secundum Scripturam definiunt, id meritò improbamus. Quòd enim ita ab ijs definitur gratia, vt nihil sit aliud, quàm habitus á Deo infusus, bonitatis & charitatis eius consimilis, quo illum habens gratus Deo redditur, operaque illi facit grata, & meritoria: hæc quàm vitiosa sit finitio, & Scripturis & ratione perfacilè ostenditur, quum latius definitum pateat, quàm definitio. Siquidem gratia, qua Deus Iacob dilexit, Esau verò odio habúit, priusquam aut boni quicquam fecissent aut mali, gratia erat: quæ tamen non erat habitus aliquis, vel naturali vi ingenitus, vel

Gratia Dei qua ratione aut quo sensu nos iustificat.

Gratiæ definitio iuxta Scholasticos.

Habitus infusus.

Iacob.

Esau.

par gratiam infusus, quo illum habens, vt verbis ipsorum loquar, gratus deo reddebatur Iacobus. Consimilem in modum gratia, quæ Paulum in media persecutione mutauit in organum electionis, non erat habitus infusus, sed habitum infusum præcesserat, priusque Christo gratum reddebat, quám habitus gratum faciens infundebatur. Idem de latrone, de publicano, de læproso, cæteriſque in Euangelica historia permultis dicendum est: quibus non habitus infusus, sed fides tantum infusa saluti fuit. Nam alioqui quid vox illa voluit domini toties in Euangelio repetita: *Fides tua te saluum fecit?* Quæ vox si vera sit, aut igitur fides iustitia est: aut iustitia certé seruare nos nullo modo poterit. Eademque ratio de gentium conuersione afferri potest, quas olim à fœdo paganismo, ad Euangelii communionẽ accersit diuina gratia, non ob inhærentem iustitiam aliquam, sed propter multam ipsius dilectionẽ, qua indignos & perditos peccatores est prosecutus. Quid de ipsis porró dicemus Apostolis, quos vtique non iustos, vt refert Augustinus, sed iustificandos elegit Christus, quum diceret. Ego vos elegi de mundo. Quòd si de mundo eos elegit Christus: vt iusti essent, prius ergo in mundo iniusti erant, quos de mundo elegerat, vt iusti essent: Sin iusti prius erant, & non de mundo peccatores, quos de mundo elegit Christus: ipsi ergo prius elegerũt Christum, vt iusti eligi ab ipso possent. Sed non ita factum est: Ipse enim ait

Definitionis refutatio.

Paulus.

Latronis exemplo, Publicani, læprosi, &c.

Fides Christi iustitia nostra.

Gentium conuersio.

Aug. de patientia Cap. 20. 21.

Peccatores ad fidem vocati ante opera, iustificati sine operibus.

ait illis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,&c.

Hæc Augustinus. Ex quibus minimè obscurum est, quemadmodum electio & iustificatio nostra per Christum parta, non iustitia aliqua operum, sed gratuito solum dono gratiæ perficiatur. Vnde apud Paulum electio gratiæ dicitur, non iustitiæ, hoc videlicet argumento. Quòd si per gratiam, inquit, iam non ex operibus. Quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia. Quandoquidem opus iam non est opus.&c.

Ro. 11. Reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerunt. et c.

Quæ quum ita sint, necessariò cõsequens est, iustitiam quæ tota in operum cultu occupatur, non rectè gratiam esse ab Osorio appellatam. Accipe igitur Augustini argumentum.

Osor. li. 5. pa. 127. 128.

Argumentum Augustini.

Ma. Gratia est, quæ & eligit & iustificat impium.

Argument.

Mi. Iustitia inhærens iniustum non iustificat. Si enim impius, quo modo iustus est? Si iustus, quonam modo iniustus dicetur?

Aug. epistol. 106. ad Alipium. Gratia est qua iustificantur iniusti, de qua nobis dubitare fas non est.

Con. Iustitia ergo gratia non est. Alioqui iuxta D. Paulum, si ex operibus iustitia, Gratia iam non est gratia.

Ad hæc, gratia dei, quæ gratuita est ipsius indulgentia, quum locum propriè non habeat, nisi vbi iusta posset esse vindicta: nec vlla sit iusta vindicta, vbi perfecta viget iustitia: falsum igitur sit

Aug. ibid. Ibi gratuita est indulgentia, vbi iusta posset esse vindicta.

Osor.lib.5. sit oportet, quod assumit Osorius: *aut iustitiam esse quæ nos deo gratos faciat, ipsamque esse gratiam, aut nihil esse.* Verum enimuero vt hoc Osorio disputãdi gratia tribuamus, posse fieri fortassis, vt cultus hic iustitiæ, splendidusque apparatus sanctissimarũ virtutum, quibus diuina nos exornat gratia, nomen hoc sibi impositum accipiat apud Scriptores nonnullos, vt gratia aliquo modo dicatur: At quid tum postea? quid hoc ad controuersiæ nostræ institutum? quum gratia ea non sit, quæ nos iustificet apud deum, sed altera adhuc gratia opus erit, qua ipsamet iustificetur. Neque enim id agitur hoc loco, sintnè nostra omnia ad gratiam & benignitatem Dei referenda. Quis enim tam Scytha est, qui dubitet? Neque insuper de eo ambigitur, placeantnè Deo pia Christianorum opera? Sed an Christiani propter pia sua opera ita Deo placeant, vt ob eadem iustificentur: vt iram effugiant, vt mortui reuiuiscant, vt induant immortalitatem, vt in gloriam cœlestẽ recipiantur. Tua sic tota pugnat oratio, *ac si nulla alia statuatur via & ratio iræ Dei auertendæ, & salutis æternæ comparendæ, nisi assidua charitatis exercitatione, pijsque ac sanctis actionibus. Quoniãq; omnis rectè viuendi institutio, non à nostræ solũ naturæ viribus, sed à Dei gratia proficiscitur, quæ fide cõparatur,* ideo quicquid de gratia ac fide in literis Dei sacris vsquam inter legendum occurrit, id mox ceu certissimum testimonium detorques, ad confirmandum iustitiam bonorum operum,

Erant a scopo quæstionis Papistæ aduersarii.

Osor.lib.3.p.68 69.

Osor.lib.4. Nu.103.104.

operum, simulque ad gratiæ ac fidei defensionem. Quod quo illustrius lector perspiciat, simulque suauis interpretis acumen admiretur, vnum è multis ac propè innumeris, exempli vice depromere libuit. Veluti vbi Paulus hæc habet verba: non ex operibus quæ fecimus nos, Tit 3.
sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. &c. Hunc locum Osor. sequutus suum Hosium perinde interpretatur, ac si verba Apostoli Hosius.
non aliter intelligenda sint, *quàm de operibus, non ijs, quæ nostra propriè existunt, sed de illis, quæ fide videlicet vigente & incitata peraguntur. &c.* Osor. lib. 4. Nu. 104.
Audiuimus Osorium: Accipite nunc ex eadem Tripode Tridentina, strepentem Hosium. *Opera*, inquit, *quæ agunt, ea ratione bona existunt, vt Christi sunt opera, non ipsorum. Quatenus enim ipsorum sunt, quamlubet bona videantur opera, haud quicquam ad vitam conducunt æternam. Quatenus autem Dei sunt, manuumque eius opera, ita ex ipsius beneficentia, & iustitiæ titulo, & mercedis regni cœlestis digna habentur. &c.* Ex Hosio confut. lib. 5. pag. 451.
Vnde de bonis operibus tota eorũ ratio & oratio huiusmodi est: Opera in nobis non nostra videt & coronat Deus, sed sua: *Additque porrò idem* Hosius *suo more contendens, Datum iri cœlestis regni mercedem, ijsdem operibus nostris quidẽ illis, verũ non propter eorũ, quatenus à nobis proficiscũtur, dignitatẽ, sed propter Christũ, cuius manuũ, vt inquit Aug. opera sunt. Ipse enim qui vinẽs & habitans in nobis est operatur ea.* Hosius, ibid.

Eaque

Eaq; causa, quod magis rideas, pergit hic phormio Lutheranos tanquam gratiæ hostes traducere, *quippe qui multo grauius, vt ait, quàm ipsi, gloria Christi detrahunt, crucemque eius euacuant, & præcium sanguinis imminuunt. Etenim quũ regeneratorum operibus detrahunt, non illorum, sed Christi meritis derogant, vnde omnis illorum pendet dignitas. &c.* Hæc Hosius cui non multum dissona voce accinit Andradius in hæc verba scriptitans: Cum in nobis inhærere iustitiam dicimus, minimè sanè Christi iustitiæ ac meritis vim autoritatemuè derogamus, cui omnia animi ornamenta accepta referimus: sed augemus potius & amplificamus, quum non ficticiam & imputatiuam iustitiam, qua hi qui reipsa scelerati sunt, iusti habentur, nec sunt: sed veram solidã & expressam animoque mirabiliter impressam nobis promeruisse dicimus. &c. Nec multo inferius: Imò vos quidem Lutherani in Dei filium humani generis liberatorem iniuriosi estis, vos, inquam, illius amplissima benefitia imminuere atque deprimere studetis: qui ea peccata manere dicitis, quæ ipse sanguinis sui lauacro deleuit, sordibus eos inquinatos esse iudicatis, quos ipse infinita virtute mundauit, iustitiamque nobis illam præripere conamini, quã multis cum laboribus, ac sanguine humano generi promeruit. Hactenus Andrad.

Ex Hosio. lib. 5. Nu. 452.

Andrad. lib. 6. pa. 181. Orthod. Explic.

Responsio ad aduersarios.

Non est quòd hic te submoneam, pié lector, quid de strophis & offutiis istorum statuendum, quid

quid tibi ipsi cauendum sit. Qua fraude simplicitatem peruertunt Apostolicæ doctrinę, quibus tenebris suas obtegunt fraudes, quis tam nullo mentis captu præditus est, aut tam parum in sacrarum lectione rerum versatus, qui non vel clausis etiam oculis perspiciat, quám hæc ἐνθυμήματα πρὸς ἐπιχείρημα, nihil ad pauli mentem respondeant? Ex quo minimè difficilis præbetur æstimandi copia, quid de toto hoc hominum genere, ipsorumque ecclesia, quam falso nomine Catholicam iactitant, sentiendum videatur, quæ monstra hæc tanta errorum & dogmatum Zizania in vulgus spargat, in scholis tueatur, in templis deprædicet, quæ huiusmodi nobis dogmatistas, & præstigiarum artifices emittat in medium, qui non leues modo venas ac riuulos sincerę doctrinæ vitiant, sed quæ ipsos etiam fontes petunt, fundamenta Apostolicæ institutionis, labefactent ipsosque adeo neruos simpliciſſimę veritatis conscindant atque dilacerent. Quæ enim vis maior contra scripturas Dei asserri, quid crudelius contra Christi gratiam, cótra pauli mẽtem hostilius, contra Christianę fidei sanitatem grauius dici aut fingi possit, quàm quod figuli isti Romanenses in pestem & ruinam totius reip. Christianę, commentitijs suis versutijs conturuerunt? Quid enim de communi religione. de peccatis singulorum, de statu reip. Christianę sperãdũ putemus, si eò res redierit, vt sublata, aut contracta amplitudine hac misericordię Euangelicæ,

Romana ecclesia pseudocatholica.

hostes fidei et gratiæ sub larua religionis.

gelicæ, ad rationem iterum bonorum operum simus reuocandi.

DE VI ET EFFICACIA DIVINA gratia, vberior contra aduersarios disceptatio, eorum obiectis respondens.

Osor.lib.6.p.151 AT negabunt isti sese diuinæ gratiæ quicquam detrahere, quin potius proprium hoc scelus Lutheranorum esse, non suum, quum ipsorũ omnis huc ratio spectet, vt misericordiam Dei communiant, debitisque laudibus celebrẽt? Quid ita cedo? Quid enim, inquiũt, an non præclara sãctorum opera deo placent? Rectè, & quid tum postea? An non eadem opera, à Deo ipso autore profecta, ad benignitatem illius & misericordiã sunt referenda? Quid ni? Accipe nunc igitur, catholice lector, conclusionem satis, ni fallor, Romanocatholicam. Ergo, qui detrahit bonis operibus à Christo factis, derogat diuinæ gratiæ & misericordiæ. Rectè istud. Sed quis quæso istis detrahit? quis negat bona opera, quæ Christus in nobis viuens & inhabitans operatur, esse bona opera? Aut quis debitam laudem illis dignitatẽque eripit? Atqui id studiosè Lutheranos moliri garrit Hosius, contendit Osorius, exclamat Andrad. Quid ita obsecro? Quia bonis operibus susceptis, salutẽ, quæ illis debetur, nõ tribuũt, sed in fidem solum transferunt. Quid igitur, an qui

Andrad.lib.6. a.483.

rectis

rectis operibus salutē non ascribunt, nihil propterea tribuere operibus, aut contumelioſi in Dei gratiam censendi sunt? Contra qui fidei Christianę detrahunt, vitæ æternæ promiſſionē, amicine illi gratiæ ſtatuentur?

Quin eadem ratione lucem in tenebras vertamus, & tenebras in lucem: Chriſtus in ſepulchro maneat, reſurgat Moſes iudex viuorum & mortuorum. Sed age: quibus tandem freti argumentis hoc diſputāt iſti? Quia, inquiunt, ex fonte diuinæ gratiæ promanant opera iuſtitiæ. Quid autem? an non fides in Chriſto mediatore dei donum æquè exiſtit ſingulare, atque ex electione diuinæ gratiæ proficiſcitur? Sed audiamus pluſquam catholicum modo argumentum.

Argumentum.

Ma. Sola dei gratia iuſtificamur.

Mi. Bona noſtra opera ortum ducunt ex ſola dei gratia. Pſeudoſyllogiſmus.

Con. *Ergo*: in bonis operibus omnis conſiſtit noſtra iuſtificatio.

Eruenda nobis fraus eſt huius paralogiſmi, iterumque explicandum vocabulum gratiæ, quod aliter in maiore, aliter in minore ſumitur. Illic enim pro miſericordia accipitur, & beneuolētia dei vltronea, qua gratis nos redemit, qua charos habet in Chriſto Ieſu, & condonat nobis peccata, qua deniq; ſpiritū ſuum & aternā nobis felicitatē impartit. Hæcq; gratia condonationis Ad Argumentum reſponſio.

Gratia condonans ſeu remiſſionis.

propriè

propriè appellatur, de qua passim concionantur scripta Apostolica. Non est volentis, nec currentis sed miserentis Dei: Et iterum: peccatum vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, sed sub gratia. Et quod ex Psalmo idem citat Apostolus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. &c. Porrò quod alibi apertissimè testatus, Iustificantur, inquit, gratis per gratiam ipsius: simulq; ne quis dubitet, quid voce gratię significetur, mox subiungens, velutque se explicans subinfert: per redemptionē quæ est in Christo Iesu. At quid hæc redemptionis adiunctio subinnuit aliud, quā peccatorū omnium remissionem? Vt hoc sit argumentum: Ea gratia iustificamur, qua redimimur. At gratia nos renouando non redimit. Ergo gratia nos renouante non iustificamur. Venio nunc itaq; ad Minorem, in qua vocabulum gratiæ aliter, quàm in maiore sumitur. Illic enim pro remissione, seu redēptione: hic pro renouatione ponitur: hoc est, pro efficaci diuinæ inspirationis energia, in conferendis donis & muneribus, quibus eos, quos prius iustificauit, postea exornat. Vnde duplex emergit gratiæ distinguēdæ ratio, pro alia atque alia hinc inde diuersitate effectuum, quorum alter in operum malorum remissione, alter in bonorum operatione consistit. Atque illa quidem gratia condonans, hæc renouans dicitur. Quarū ex altera salus fluit & iustificatio impiorum, ex altera enascuntur piorum rectè facta, quanquā non plena

Rom. 9. 6. 4. Coloss. 1. Rom. 3.

Gratia renouans.

Gratia duabus partibus distribuitur.

plena tamen illa, neque perfecta. Respondeo nunc itaque proposito Argumento, quod laborat non vno errore. Primum quòd quatuor constat terminis. Deinde ex meris conflatur particularibus: Ad hæc in Minore præter morem differentium, fit mutatio casus, cū seruandus esset idem casus in maiore præcedens, sicque sequeretur Minor: At bona opera nostra sunt sola Dei gratia. Aut certè in maiore seruādus erat idē casus minoris sub hac forma. Bis nostra iustificatio oritur ex sola Dei gratia. Omnia bona nostra opera ortum ducunt ex sola Dei gratia. Ergo ex bonis operibus fluit ōnis nostra iustificatio. Ita vt vera huius pseudosyllogismi ratio nō ad primā, sed ad secūdā figurā simpliciter pertineat, cōcludēs affirmatiuè simul & absurdissimé. Perindé ac si quis ita arguat: Ex limo terræ conflata est corporea nostra natura. Ollę fictiles cōflantur ex limo terrę. Ex ollis ergo fictilibus producta est corporea nostra natura. Quid verbis opus? quoquo modo argumētū suū formēt isti, aut reformēt, nūquā hoc efficient, vt opera legis, siue quę fecimus nos, siue quę in nobis creat diuina gratia, causā in se vllā salutis cōtineāt. Quę enim hęc cōsequendi ratio est? quia habituales operū influentię, quę nos Deo gratos efficiant, non aliter quā á gratia cooperante prosiliunt: fides ergo, sine inhęrente iustitia minimè iustificat, nec alia re cōstat salus, quā bonis operibus. Verū quum duplex sit operū ratio, alia eorum, quę precedunt fidē, alia eorum,

Syllogismus quatuor redundat terminis.

Parologismus in secunda figura concludens affirmatiue.

Operum duplex ratio.

quæ ſubſequuntur, de vtra iſtarum parte intelligant ſcire velim. Si de præcedentibus : At ea peccata eſſe non negabunt . Quod enim ex fide non fit , ex vitio eſt . Sin de ſubſequentibus ſentiant , at iſta aut perfecta eſſe dicent, aut imperfecta. Si perfecta, eiuſque notæ fuerint, quæ non ſolum ſecundũ ſubſtantiam, ſed ſecundũ modum etiam agendi, imperatis in lege ſatisfaciant : quorſum igitur perſonat quotidiana illa vox eccleſiæ . Demitte nobis debita noſtra? Aut quid Auguſtino reſpondebunt, qui aperté refellit quod aſtruunt. Contrà, ſi imperfecta, languida, ac manca exiſtant , qua tandem ratione Deo iudici ea nos gratos efficient, quæ per ſe ieiuna, vitiis ac maculis aſpera ſunt , aliaque gratia egeant, cuius commendatione Deo placeant? Quod ſi ſumma illa ac ſempiterna puritas, in leuiticis ſacrificiis ferre non eſt dignatus, quod vllo modo mancum aut ſquallidum, aut minima labecula ſordidatum, quod deniq; non modis omnibus exquiſitè integrum ac illibatum videretur : ſi in leuitis ipſis & ſacrificis tanta exigebatur partium omnium integritas , vt fas nõ eſſet intra adytum ſanctuarii eum intromitti, qui vllo corporis membro oblaſus , aut parte

Rom.14.

Aug. de natura & gratia. Reparatio gratiæ Chriſti , etſi ſit inchoata, quantum ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantum ad carnem : quod erit in patria vbi homo non ſolum perſeuerare poterit , ſed etiam peccare non poterit.

Argumenta a ſimili comparatione.

Leuit.22.
Deut.15.

te deformis, aut nævo affectus fuisset: an tu conspectum sanctissimi numinis cũ ista semilacera & pannosa imperfectione sustinere te posse arbitraris? Quare quum non nisi numeris omnibus perfectũ ac illibatũ sit oporteat, quod apud tremendum illud perfectissimæ iustitiæ tribunal indemnes nos, omnique absolutos crimine iustificet, minimè id certè in opusculis nostris situm esse quisquam putet, sed in operibus solum filii Dei, non quæ gratia ipsius habitualis, vt aiunt in nobis operatur, sed quę pro nobis ipsemet & præstanda benignissimè suscepit, & suscepta cumulatissimè præstitit.

QVÆ BENEFICIA NOBIS ex Christo proueniunt, quidq; in his beneficijs maximè spectandum sit.

ATque illud demum est, in quo potissimum elucet ineffabilis erga nos gratiæ diuinæ amplitudo, quod omnipotens ille rerum moderator & opifex deus, pro singulari sua pietate quæ mundũ dilexit, filium suum nobis donatũ miserit sicq; miserit, vt ille pro nobis omnem impleret iustitiã, pro sese enim vt impleret nihil erat opus, quod si pro nobis impleuit, quid iam obstat, quo minùs nostrum sit, quod pro nobis sit factum? aut quorsum pro nobis ille faceret, quod sciret necessariò á nobis ipsis ad salutem esse faciendum? Quod si iuxta

Christus omnẽ legem impleuit non pro sese, sed pro nobis. Si pro nobis, Ergo, et nos per illum implemus.

Tho. I. 2. q. 109. pag. 259.

Thomę sententiam, quęcunque per amicos possumus, & nos ipsi aliquo modo posse dicimur: quanto igitur rectius, quæ pro nobis amicus non possit modò, sed etiam præstitit, nos ipsi eadem & posse, & præstitisse existimandi sumus? Hæcq; illa permaximè gratia est, quam nobis vbique adeò ebuccinant euangelicæ literæ, ad quam omnis nostra & salus & consolatio sit reuocanda, quam Paulus Apostolus à Christo acceptam, tot laboribus apud gentes disseminauit, tanto spiritus feruore edocuit, tot illustrauit signis & miraculis, tot denique scripturis & certissimis testimoniis confirmauit. Quo magis odio digni sunt οἱ ἀντίπαλοι, ἀντίπαυλοι Romanenses isti, non in aliud, vt videtur, occupati, nisi vt abolito Christi Euangelio, vt hæresis doctrinæ Apostolicæ fundamentis, iam olim à primis maioribus rectissimè positis, aliud nunc Euangelium inspergant animis Christianorum. Nam quid aliud vniuersa illorum molitur institutio, qui de gratia, de fide, de iustitia disputantes, ita ex principijs suis philosophicis rem gerunt, vt qui summulas eorum, distinctiones, corollaria & dogmata aduertat, non Christianos ex Euangelio, ex Christo, ex Paulo docere, sed veteres illos ex antiqua Academia Philosophos, aut ex lege Mosaica Thalmudicos in medium reuiuiscere iterum sentiat, nisi quod hoc solum inter ipsos, veteresque intersit Philosophos, quòd hi nomen quidem gratiæ & fidei vtcunque verbis palliant, re verò ipsa, quid vox

Aliud Euangelium ingerunt nobis pseudocatholici Romanenses.

Thomistica philosophia.

gra-

gratiæ, quid fidei vis velit in Euangelio, haud aliter in iis cæcutire videntur, atque si Paulū aut parum legerent, aut minime certe intelligerent. Homines ipsos non insector, quos magis comiserandos duco errores hominum, quoniam non mediocrem labem religioni aspergunt, Christo iniuriam, vim Paulo inferunt, simplicitatem obruunt Christianæ fidei, totam denique Euangelicæ institutionis synceritatem argutiis adulterāt, atque in humanam quodam modo philosophiam redigunt minime profectò perferre conuenit.

Quod quo conspectiùs animis & oculis eluceat intuentium, primum quid diuina veritas, deinde quid humana placita nos doceant, auscultare paulisper ne pigeat.

Cum autem duæ res potissimum existant, in quibus vniuersa tum salutis, tum religionis nostræ summa continetur, Gratia, & Fides, quarum altera Dei est erga homines, altera hominibus erga Deum conuenit: in vtraque mentes vt quàm rectissimè instituantur Christianorum permagni refert. Ac Gratia in iis quidem bonis cernitur, quæ donata nobis à Deo promissaque sunt. Fides in illis versatur officiis, quæ maximè á nobis debentur Deo, summèque exiguntur. Vt ergo gratiæ rectè rationem teneamus, quę quantaque sint munera illa, quę in nos partim cōgesserit, partim promisit diuina benignitas, videndum est. Qua de re quid statuant pontificiæ Theologiæ

Summa vniuersæ salutis et religionis nostræ duabus in rebus maximè cernitur, fide et remotione per gratiam. *Gratia.* *Fides.*

giæ ſcriptorculi, ſupereſt vt excutiamus. Quod vero de hac re doceant in hunc ferè habet modũ. Nẽpè cum finem humanę vitę ſtatuunt in beatitudine, tum de hac ipſa, quam ponit beatus Thomas beatitudine, ſchola philoſophatur Theologorum, haud alia ferè ratione, quàm philoſophi olim de ſuo ſummo bono, ad quod ſumma ope, ſtrenuis laboribus, & virtutum maximarum meritis, cuiq; pro virili ſit enitendum. Idq; quum Pelagiani ſuperiores poſſe nos per vires naturæ præſtare affirmabant, non deerant mox alii, qui adiutricem Dei gratiam libero naturæ arbitrio opponentes, impium hoc dogma & fortiter & feliciter ex ſcripturis reiectum exploſerunt. Subiit deinde poſt hoc alterum theologorum genus, qui ſequuti Auguſtinum, contra Pelagianos ita contendebant, ne poſſe quidem nos velle bonum per liberũ arbitrium, ſine gratia aut vitam æternam ſine gratia vllo modo promereri. Ac rectè quidem illud. Cęterum quòd iidem adiuncta rurſus gratia, non negant poſſe nos ex operibus vitam promereri, idque ex condigno: In eo quantulum inter ipſos & pelagianos interſit, haud multum video: præterquam quòd in modo tantum operandi diſcrepant nonnihil. Illi enim ſine gratia, hi non niſi per gratiam operantur: A ſcopo tamen rectæ iuſtificationis æq; vtriq; aberrant. Quàm enim verum illud non eſt, in poteſtate noſtra cõſtitutũ eſſe, ſine dei gratia, rectè quicquam moliri, tam falſum eſt rurſus, gratiam

Beatitudo apud Scholaſticos doctores in quo conſiſtat.

Theologi de ſũmo bono philoſophãtes.

Pelagiani gratiæ aduerſarii.

Auguſtinus gratiæ ꝓpugnator aduerſus pelagianos.

Papiſtæ ſemipelagiani.

Papiſtæ in quo conueniunt cum Pelagianis.

gratiam hanc operandi, non in aliud esse diuinitus nobis comparatam, nisi vt opera progignat meritoria quibus iustificemur. Quanquam neque id quidem inficior, quin spiritus diuina gratia, & ferax & fœcunda maximarum sit virtutum, quæ nunquam possit esse ociosa: At non ideo efficaci satis ratione consequitur, meritis istarum virtutum palmam deberi æternæ salutis, quemadmodum magno strepitu garrit in scholis vulgus sophistarum. Sic enim princeps huius factionis Thomas, cæteriq; eius disciplinæ συμμέτεκοι de gratia differentes, in suis sumulis perinde gratiam hanc definiunt, ac si nihil sit ea aliud, quàm habitualis quædã infusio cœlestis doni in essentia animę, quod sit principium operis meritorii. Sic enim definit Thomas. Nec multũ ab eo recedens Guillermus, Gratiam hanc formam appellat à deo nobis gratis datã sine meritis, quæ gratũ faciat habentẽ, & opus eius bonum reddat, & & meritorium. Ex his igitur vulgaris conflata definitio, ita nobis gratiam designat, vt sit bonæ voluntatis donum gratis datum, gratum faciens habentem, & opus eius bonum reddens.

Thomas Aquin. et thomistæ quo pacto gratiam definiunt.

Tho. 12. q. 109. art. 6. Vt voluntas præparetur ad bene operandum, & ad Deo fruendum, requiritur habituale gratiæ donum, quod sit principium operis meritorij.

Guillerm. in Sentent. lib. 2. qu. 26. art. 1. Vulgata definitio apud Scholasticos.

Albert. in Sentent. lib. 2. dist. 26. art. 2. Gratia est habitus in essentia animæ, qui secundũ virtutes infusas perficit ad actũ & habentem facit esse bonum.

Vulgaris & trita scholis Gratiæ definitio.

Quo modo autem bonum reddat, rationem apponit Albertus: Quatenus nimirum per virtutes, vt ait, infusas, hominis voluntatem perficit ad actum. &c.

Scholastici inter se dissentiũt in ratione Gratiæ.

Ex his modò satis constare arbitror, quæ hactenus inter istos in schola pontificia increbuit, de vi & natura gratię opinio. In qua nec ipsi inter se satis congruunt theologi. Alij enim habituale hoc donum influentis gratiæ, in essentia animæ subiectiuè (vt ipsorum loquar dialecto) collocant, in quibus est Thomas & Bonauentura. Alii non ad essentiam, sed ad potentias animæ, tanquam ad proprium subiectum referre maluerunt. Quorum Scotus est, eiusque ordinis affines. Sunt rursus, qui Gratiam ipsam nihil aliud, quàm virtutem esse putant, id quod Osorius his libris fortiter tuetur: At multo fortius Thomas hanc hæresim retundit, idoneisque rationibus iugulat. Summa verò summularum omnium huc redit denique, vt fides sola excludatur à iustificatione, nec vllam isti iustificationem aliam agnoscant, nisi quæ in exercendis operibus sit posita: nec in aliud donatam nobis gratiam hanc ipsam arbitrantur, nisi in hunc finem ad implenda (vt aiunt) Dei mandata, secundum debitum modum, sine qua eorum impletio meritoria alioqui esse non poterit.

Thomas Bonauentura.

Scotus.

Osor. li. 5. p. 126 b Gratiam virtutẽ esse negas? Quid igitur gratia est, si virtus non est?

Thomas contra Osorium.

Fides exclusa a iustificatione, per Thomistas.

Thom. 12. q. 109. art. 5.

TRI-

TRIDENTINORUM IN DEfinienda Gratia error excutitur.

EXpoſui ſententias theologorum aliquot variè inter ſe diffluentes, in vno hoc tamen mirè concordes, quòd cómuni velut ſyncretiſmo omnes in hoc conſpirant, vt ſalutiferam gratiam illam, quæ ſola nos iuſtificat, peccatoribus eripiant. Adiungamus porrò his, quo recenſui, recentiorum, ſi placet, temporum, ſophiſtas, tum maximè Tridentinos proceres, eiuſque concilij ſectarios, quorum ſcripta, dogmata, Senatuſconſulta quum leguntur, quid tandem indicant? verbo dicam, & verè, οὐδὲν ὑγιὲς· nihil errore non plenum, nihil à genuina verbi veritate non alienum. Quidnam verò iſtud erroris ſit, ne fruſtra eos incuſare videamur, paucis ſed veris explicemus. Nempè cũ gemina ſit paternę erga nos, gratiæ in ſcripturis teſtificatio: altera, qua filiũ: altera qua Spiritũ ſuũ: illũ ad mortẽ, hunc ad vitã hic excolendã gratuito dono nobis impẽderit, ingẽs vtrinq; donũ, uemini id quidem non fatendum eſt. Filium donauit, quo nihil erat ei charius: Spiritum impartit, quo nihil habet cœlum excelſius. Quorſum verò vtrumq; dilargitur, quo modo donat vſibus noſtris, quo fine, quo fructu quid ſpectãs, qua cauſa adductus, qua neceſſitate, qua pietate permotus beniguiſſimus rerũ pater ac cõditor, perlibenter id primũ

Duo eximia dona diuinitus nobis a deo collata, filius, ac ſpiritus dei.

vel

vel á Tho. Aquinate, vel potius à Tridētinis iſtis ſymmyſtis perquirerem. Nempè ſi gratia diuini ſpiritus adiutum, vt aiunt, liberum arbitrium, tantum merendo per infuſas virtutes potuiſſet, quātum ad ſalutem obtinēdam ſat foret, quid igitur cauſæ erat, quur Chriſto dei filio tota hæc imponeretur prouincia? Quorſum ſanguine eius opus erat? quur non vitæ illius parcitum eſt á clementiſſimo patre? Sin aliter ita ſit, vt ſine Chriſti morte cætera omnia gratiæ adminicula, haud quicquam opis præſtare poſſent, ad expediendum redemptionis noſtræ negotium, relinquitur proindè ab iſtis ſciſcitandum, quid de Chriſto affirment, ſolumnè eum ſeruatorem agnoſcant, an minus? Atq; equidē ſcio id minimè negaturos, quin Chriſtum ſolum eſſe ſeruatorem confiteantur. At reſtat interim id mihi vt reſpondeāt: Quo tandem modo ſolus hic ſeruator ſuos ſeruet, ſolanè ſua innocentia, & morte, an adhibitis aliis præterea præſidiis? Quæ ſi requirenda neceſſariò cenſeant, cuiuſmodi tādem illa ſint præſidia, ſciendum eſt. Reſpondet Aquinas cum ſuis gregalibus, ea eſſe chariſmata à ſpiritu ſanēto comparata, & habituales infuſiones charitatis, ſimileſq; exercēde iuſtitiæ facultates, quæ niſi accedāt adiumēta, nō eā eſſe mortē Chriſti, quæ ſola per ſe ſatis ad promerēdā ſalutē valeat.

Filius Dei quur nobis datus.

Spiritus ſanctus quur datus.

Thom. 12. qu. 114. art. 4. Motus humanæ mentis ad fruitionem diuini boni, eſt propriùs actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinātur in hunc finem, ſecundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate, et ideo meritum æternæ vitæ primo pertinet ad charitatem &c.

Age

Age & quid ſi accedãt igitur iſta? Tũ demum plenã perfectãque iuſtitiam inde conſurgere, partim ex Chriſti ſanguine, partim ex renouationę nouarum qualitatum, quę iuſtificatos nos Deo reconciliet. Ita enim Andradius cum ſuis Tridẽtinis iuſtificationẽ, quã Paulus ſimpliciter fidei tribuit, in duas partes diſcindit, quarũ alterã peccatorũ remiſſione, alterã legis obedientia cõſtare affirmat. O Sophiſticæ theologiæ peſtem, & præſtigias nõ ferẽdas? atqui hac diſtinctione fiet, vt Chriſtus nõ ſolus, nec totus iã ſeruator exiſtat, ſed ſpiritus qualitatum largitor. Quippè ſi vnica formalis cauſa noſtræ iuſtificationis, quemadmodum diſputant, non niſi in ſola ¶ renouatione interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum conſtituatur: quid iam reliquum erit, quod Chriſto ſeruatori, eiuſq; ſanguini tribuatur, niſi vt tingat is ſolũ merita noſtra quæ demũ ſic tincta, nos in cœlũ recta perferant. Quod ſi ita ſit, vt nõ ſola mors Chriſti, omnis plęnæ redemptionis noſtræ partes perficiat, quorſũ ille, aut quo modo cõſũmata paſſione, cõſũmatũ eſſe

Cenſura Colonienſ. fol. 148. 149. Chriſtus morte ſua hoc meruit, vt credentes imbuantur charitate et aliis virtutibus, quibus iam acceptis qualitatibus propter meritum Chriſti homo ipſe in hærente iuſtitia meretur maiorem iuſtitiam, reconciliationem et tandem vitam æternem, &c.

Item fol. 170. Fides tantum eſt cauſa preparatoria et via ad iuſtificationem, vt alia re poſtea iuſti ſimus coram Deo, non fide apprehendente Chriſtum, &c.

Andrad. lib. 6. Ortho. exp. p. 462

Iuſtificatio duabus partibus detribuitur.

¶ Iacob. payua. Orthod. Exp. 6. p. 470. Tum confertur ſpiritus, quum aduentante iuſtitia, iuſti efficimur. Tum porro iuſti efficimur, quãdo peccatis omnibus extincti, charitate renouamur diffuſa in cordibus noſtris per ſpiritum. Quæ demũ charitas quia animum diuinæ legis amore informat iuſtitia dicitur.

Fructus dominicæ passionis quàm late pateat.

esse dicebat? aut quo modo per sanguinem crucis eius iam pacificata sunt omnia in cœlo, & in terra, testante Paulo? Quid quòd idē Paulus quā multis in locis, cūctisq; epistolis, τὴν ἀπολύτρωσιν nulla alia in re, nisi in sanguine & cruce solū filii dei collocat, in quo habemus (inquit ille) redemptionē per sanguinē ipsius: Atenim quo modo per sanguinem pacificata vniuersa dicemus, si charitas, cæteræq; renouationis dotes, et merita ea sint, quæ Deo nos gratos efficiant, maximā- que partem ad se trahant nostræ reconciliationis? Quæso, quid hoc aliud est, quàm Christum non officio solum, sed de solio etiam suæ gloriæ cyclopico furore deturbare?

Ephes. 1.

Christus solus ex officio personæ suæ seruator, spiritus sanctus ex suo officio adiutor et consolator seruatorum.

¶ DE MERCEDE ET MERITIS bonorum operum.

QVid ergo? An nulla, inquient, iustorum sunt merita? Nulla meritorum merces in cœlis relinquitur, quam copiosā adeò in scripturis promittit Christus? Quid, nihilnè nobis ad vitā totus ille apparatus inhærentis iustitię cōducet? nihil profuerint tot labores, & suppellex sanctissimorū operū, quibus per spiritū sāctū cōuestiti ad plenitudinē iustitiæ indies proficimus magis ac magis? Respōdebit his Augustinus, ac primum de meritis. Si quæras, inquit, nullané sint iustorum merita? Sunt planè, quia iusti sunt. Sed vt iusti fierent, merita non fuerunt. Iusti enim

Responsio.

Aug. epist. 105.

facti

facti sunt, quum iustificati sunt. &c. Non ex meritis igitur iusti sunt facti, si Augustino credimus, sed ex iustis nascuntur merita. Ex quo intelligas non ex factorum dignitate aut gratia æstimari personam, sed ex iustificata persona dignitatem pensari meritorum. Quamobrem quum iusti ex meritis non fiunt, teste Augustino, sed merita ex iustificatis vim accipiant ac dignitatem, facilè hinc constat, quid de meritorum mercede iudicandum sit. Etenim si consimili modo quæratur, an nulla sit sanctorum merces in cœlis, quod respondet Augustinus de meritis iustorum, idem & ego de mercede sanctorum fateor, non deesse sanctis mercedem eamque copiosam in cœlis. Nempè qui sancti sūt, merces ipsis ascribetur, nō propter ipsa opera, quòd facta sint, sed quia sancti sūt, qui operātur. Nō enim operibus, sed operantibus, nō cœlū, sed in cœlis merces tribuitur sanctis. Vnde autē sint sancti, si quis pergat quærere. Redeo ad Augustinū. Inde sanctos esse, vnde & iusti efficiuntur. Nō ex operibus, sed ex fide operātiū. Exempli gratia si quis Ethnicus aut pharisæus à Christi fide alienus hoc idem faceret, quod Christianus, licèt ampliora etiā præstaret, nō placerēt tamē opera. Et quin huius displicerent facta? placerent Christiani, nisi propter fidem? Illudque est, quod prophetica iam olim veritas prænunciauit futurum, vt iustus ex fide viuat, non ait vt fidelis viuat ex iustitia. Ex quo vides vitam hanc, qua per fidem

Iustitia non ex meritis, sed merita ex iustificatis vim accipiunt.

Ex persona credentis factorum dignitas æstimatur, non ex facti persona.

Merces sanctorum quo modo in scripturis statuitur.

Non cœlum merces est sanctis, sed in cœlis.

filij

Rom.6. filij Dei viuimus, non operum meritis reddi, sed fide cõstare & gratia. Gratia enim & donũ Dei vita æterna. Si gratia, vbi merces? Si donum, vbi iam meritum?

Obiectio de præmiis propositis.

At quid interim dicendum passim obuijs in Scriptura testimonijs, quæ pijs operibus ingentia sæpe præmia proponunt? Principio, quod obedientię nomine á nobis debetur officium, nullam commeretur gratiam. Quis vnquam stipendiario famulo mandans officium, pro eo, quod obedientiæ nomine debuit, laudem aut gratiam impartit, aut vllam propterea hæreditatis suæ portionem assignat? Quid Dominus ipse seruis ciusmodi respondet in Euangelio? Dicite quia serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. &c. Age & quur igitur mercedis nomine appellãtur ea, quæ Deus nostris rependit benefactis? Dicam. Proponit Deus præmia. Sané quidem. Sed idem ptoponit pericula & certamina. Videt optimus Agonothetes, quæ qãnteq; tẽtationum subeundę sunt procellæ, quot exantlandi labores, quot quantæque incumbunt asperitates: videt per varios casus, per quot discrimina rerum, via illa arcta ad regnum capessenda sit ijs, qui verè in Christo sunt infiti. Itaq; quominus succumbant animis, pergantq; alacriores in susceptа militia, ostenduntur prędmia tanquam τὰ βραβεῖα quædam καὶ νικητήρια ad exuscitandos animos. Quibus benignissimus pater cruces suorum, & perpessiones spe præmiorum

Responsio.

Quod officii nomine debetur, nullam meretur gratiam. *Luc.17.*

Præmia in scripturis quorsum pro ponuntur.

orum propoſita leniat ac conſoletur. Hinc que illa mercedis & remunerationũ crebra in ſcripturis mentio. Non quòd digna muneribus exiſtant, quę ſancti in hoc ſeculo ſuſtineant. Non ſunt enim condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis: ſed quòd ita viſum eſt diuinę clementię, merita, quę nulla noſtra ſunt, pro meritis ducere, velutq; pro maximis coronare, quę nullã omninò merentur gratiam. Quis enim, teſte Euangelio, gratiã habet ſeruo pro opera, quam debuit hero ſuo, poſtquam imperata fecerit? ac non pœnã potius exacturus eſſet, niſi feciſſet? Qui ſi laudem vllã aut prẽmium preter meritum inueniat, habet, quur gratias Domino ſuo agat, non cur merita ſua iactet. Rectè igitur & cordatè admonens Aug. Si vis, inquit, alienus eſſe á gratia, iacta merita tua. Neque nihil profectò vidit Bernardus, tametſi non vidit omnia, quum ſufficere ad meritum dicebat, ſcire quód non ſufficiant merita.

Rom. 8.

Auguſt ex præfatione in Pſal. 31.

Bernard. ſuper Cant. Serm. 68.

Breuiter vt rem verbo expediamus, Quicquid id eſt, quod merces in myſticis dicitur literis, nihil aliud quám gratia eſt, mercedis loco ac nomine propoſita. Quòd ſi vita hæc præſens, qua in carne perfruimur, ſi vitę commoda, cæteraque ornamenta, quamuis fluxa & temporaria, non in meritis noſtris, ſed in donis Dei rectiſſimè numerantur, quanto rectius cœleſtis & ſempiterna illa vitæ palma, qua nos coronat clementiſſimus pater, non ex dignitate operum noſtrorum

nostrorum emanare videbitur, sed ex pietate ipsius singulari & gratia. Quę licet mercedis nomen interdum accipiat, nos tamen, si rem rectè reputemus, nihil aliud, quàm gratiam Dei solam ac singularem, in toto hoc opificio nostræ redemptionis deprehendemus. Primum, quòd te imbuit fide & cognitione sui filij: quòd salutari deinde tingit fidei lauacro, quòd tinctum in partem sortis sanctorum euocat, transferens in Regnũ filij sui, quem vltro tibi donat, simulq; cũ eodem in filium te suum cooptat, in hæredem conscribit: regnum promittit hæreditarium, spiritu te sacro suo excolit, immutat, reficit, consolatur, virtutibus ornat, fide iustificat, ad scelera quàm multa conniuet, benefacta quàm minuta pro maximmis ducit, pro eximijs repensat, in harenam producit, luctantem inspectat, vires addit, patientia communit, colapsum restituit, in tentationibus τῷ ἐκβάσιν largitur, mortuum deniq; resuscitat, ad sedes euehit gloriæ nunquã desiturę. In his quid quæso contemplaris, nisi immensam planèque infinitam gratiæ molem? In summa, quicquid id est, quòd sumus, aut futuri sumus, quòd mouemur, quòd viuimus victurique simus, quid nisi gratia est Dei miserentis? non hominis volentis aut currentis? Intus ac in cute te tuaque omnia excute, euolue, vocationem tuam primum expende, quis te in hanc gratiam vocat, Specta modò eos, quos ad se seuocat diuina gratia, non humana eruditione fastuosos.

Gratia sub mercedis nomine sæpe in scripturis significatur.

Diuinæ debetur Gratiæ quicquid id sit, quòd sumus aut futuri sumus.

non

non summa pollentes nobilitate, non maiorum imaginibus præpotentes. Sed crassa indoctaq; huius mundi potissimum delegit Deus, quę iuxta vulgarem æstimationem abiecta minimique pretij videbantur. Atque vt verbo dicam, quæ nihil erant, in summam euehit altitudinem. Quid ita? nisi vt spontaniæ suæ gratiæ omnem gloriam, nullum humanis conatibus ac meritis gloriandi locum relinquat? Cuius rei si quis certiora requirat exempla, Petri vocationem cum reliquo piscatorij ordinis Apostolatu in mentem reuocet, tum maximè Paulinæ conuersionis stupendam historiam admiretur: In quo si primordia ipsa spectemus, vt refert Augustinus, & merita eius quærimus, damnationis ea fuisse, non liberationis inueniet.

Mira et arcana diuinæ gratiæ operatio, Exemplis ostenditur.

Augustinus.

¶ DEI VOCATIO ET GRATIA *libera & gratuita, prater omnia merita nostrorum operum.*

AD nos ipsos propius desiliamus. Iamque de te ipso, quisquis es Christiane frater, exemplum cape. Ipse tecum & qui nunc sis, & qui olim fueras, recognosce. In fide stas, quis dedit? in fide persistis, quis sustentat? pulsaris tentationibus, non succumbis, quis adiutat? In tanta pereuntium multitudine periclitaris assiduè, quis subleuat? peccas quotidie, quis condonat? pericula, terrores, ærumnæ, tædia &

vndiq; obsident, quis opem porrigit? Denique quoquò te vertis, quid cernis aliud, quàm plena fauoris & gratiæ argumenta omnia, quæ omnẽ hominibus adimant, & operum fiduciam, & meritorum gloriam? Et vbi nunc igitur ter execranda illa Tridentinorum execratio, qua diro damnationis exitio, singuli & vniuersi deuouentur, quicũq; sepositis meritorum præsidiis, gratiam dei, qua iustificamur, tantũ Dei fauore cõstare astruunt: aut qui ausus sit dicere hominem iustificari sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, non simul influente in cordibus piorum charitate, rectèq; operandi gratia adiuncta. &c. Quod si verum sit, quid de Paulo, quid de prophetis, de Christo denique ipso quid statuendum, qui contrà statuunt? Aut istos spiritu diuino destitutos, aut Tridentinas certè sanctiones diuinæ gratiæ inimicas fateamur oportet. Summa voce clamat propheta, clamat & Apostolus, non esse currentis aut volentis sed miserentis Dei. Et contra Tridentini Amphictiones reclamabunt solo dei fauore hominis constare salutem? Qua re tandem igitur? Adhibendus est, inquiunt, cursus, adhibendum voluntatis liberæ arbitrium. Quis negat? Cursitamus omnes quidem à Deo in stadio positi, pro sua quisq; portione. Est enim cursus, non lusus, praxis, non ἀπραγία; militia non pigritia vita Christiana. Esto quidem. Atenim in hoc ipso interim curriculo, quàm infeliciter sæpe curri-

Trident. Concil. Sess. 6. Can. 11.

currimus quoties impingimus ? quot modis labimur, quàm cæco ſubinde & tranſuerſo deferimur itinere ? adeòq; in præceps nonnunquã ruimus, vel cum ouiculis apud prophetam aberrantes omnes, vnuſquiſq; in viam ſuam, vel cum Euangelica Oue extra caulas interdum euagamur ? Sed redimus mox, inquis, in viam. Recte: at quis quæſo te reuocat ? Tua voluntas, an miſerentis gratia ? Quod redis, video, ac laudo, at laus hæc cui debetur, viribus tui arbitrii, an gratuitæ miſericordiæ ? Age, & quid hic curſus meretur tuus me doceas velim. Tu quantum proficis currendo, id ſolum ſpectas, at rurſus quantum deficis in curſu, non attendis. Atque poſt hæc omnia iactas adhuc tua merita, perinde quaſi tuis laboribus regni ſempiterni palmarium debeatur? Quæ tamen non eò ſpectant à me adducta, vt pios progrediendi conatus vel ignauia corrumpam, vel deſperatione deiiciam.

Liberum arbitrium.

Eſai.53.

Neq; enim temerè vox monet Apoſtoli: Currite vt comprehendatis. Et rurſus: nemo coronatur, niſi qui legitimé certauerit. Certemus igitur vt coronemur, curramus vt comprehendamus. Sed non ideo cõprehendimus, quia currimus: ſed ideo currimus, quia currentibus non ſtertentibus promittitur: ita vt curſus non cauſa ſit promiſſionis, ſed promiſſio ad curſum incitat, additque alacritatem currentibus. Ideoque Apoſtolus, quo maiores inſerat animos

1.Cor.9.
2.Tim.2.

Non quia currimus ideo promittitur: ſed quia promittitur, ideo currimus.

1. *Cor.* 15. mos ad certandum, addit pollicens: Non erit irritus labor vester in Domino. Et de se loquēs, certamen, inquit, bonum certaui, & reposita est mihi corona iustitiæ. &c. Quid ergo, an non vides laboribus rectè nauatis suam deberi mercedem? Esto sane: At nos non de laboribus hic hominū, sed de meritis laborum agimus, non quibus nos præmiis dignatur diuina pietas, sed ipsi quid accipere promeremur, id quærimus. Est enim haud tenue discrimen inter donum, & meritū. Quod si meritum id dicitur, cui ex pari debetur præmii compensatio, certum est nullam esse æqualitatē inter ea, quæ nos in terris hic gerimus, & quæ in cœlis promissa expectamus. Promittitur regni sempiterni hæreditas, non quæ stipendii nomine operibus nostris debetur, sed quæ gratuito Dei dono fidei proponitur. Vnde Paulus quum dixisset: stipendium peccati mors, non ita subiicit, præmi um piè viuentium vita æterna: sed Gratia, inquit, seu donum dei vita æterna per Iesum Christum.

Discrimen inter donum et meritum.

Et quur non æquè dicit: stipendium iustitiæ vita æterna? nisi vt constaret discrimen inter donum & præmium, inter gratiam & mercedem. Nam si ex gratia, iam non ex operibus: si ex operibus, iam non ex gratia. Nunc verò vt gratiæ diuinæ opes immensas ostenderet erga nos per Christum Iesum: Gratia seruari nos apertè per fidem clamitat. Idque non ex nobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Quod & alibi

Rom. 6.

Ephes. 2.

alibi explanatius inculcans: Non ex operibus, inquit, iustitiæ, quæ fecimus nos: Quo modo igitur? Sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Age, & quæ tandem hæc misericordia est, nisi fauor & indulgentia Dei, quæ remittens de iustitiæ rigore, indignis parcit, pœnitentibus ignoscit, perditos in gratiam recipit, quæ deniq; gloriatur aduersus iudicium? Quod quum ita sit, quid dicendum igitur Tridentinis pseudopatribus, qui publico senatus sui consulto, eos diris deuouent, quicunque gratiam Dei, qua iustificamur, tantum fauorem esse Dei dicere sint ausi. *Tit. 3.* Trident Concil. Sess. 6. Canon. 11

¶ ABSVRDUM TRIDENTINORUM paradoxon, quo negant nos ex solo dei fauore iustificari.

AGe, & qua igitur re alia iustificari nos dicēt, si solo Dei fauore id non consequimur? Lege? at ea iram operatur: Operibus legis? at ea disertè excludit Apostolus. Non ex operibus, inquit, ne quis glorietur. Sed commodum succurrit hic glosa ordinaria, subtili commento nodū nō discutiens, sed in scirpo quærēs, quippe quæ partim operibus nos iustificari affirmat, partim negat. Siquidem opera inquit, nostra quatenus nostra sunt vim nullam iustificandi obtinent, quatenus verò non à nobis sunt, sed in nobis à Deo facta sunt per gratiam, iustificationem Negant Tridentini nos solo fauore iustificari. Glosa ordinaria in cap. 6. ad Rom. Scholastica glosa ridiculum commentum.

tionem promerentur. Eaque causa noluit Apostolus dicere, stipendium iustitiæ vita æterna: sed maluit dicere, Gratia Dei, vita æterna. Quid ita? Quia, inquit, merita illa quibus vita æterna redditur, non à nobis sunt, sed à gratia proficiscuntur, vnde vim merendi accipiunt. O scitum, imò schyticum eludendæ gratiæ nugamentum? Quid si quæso, influens Christi spiritus in cordibus suorum, sancta charitatis officia, & præclaras ad pietatem permotiones accendat? Quid, an non idem spiritus cætera item Charismata ecclesię suę communicat, aliis donationes prophetiæ, his varia linguarum genera, illis curandi & sanandi, aliis consolandi vires admirabiles, ad ædificationem sanctorum submini strãs? quid an propterea in iis acceptis à Christo muneribus summam iustificationis constituemus?

Aliter Christus ornat ecclesiam suam: aliter iustificat.

Scio & plurimas & insignes esse virtutum dotes, quibus Christi spiritus assiduè ornat Ecclesiam suam. Sed aliud est ornare, aliud iustificare Ecclesiam. Aliud est sanctificationis donum, alia iustificandi causa. Quorum vtrumque etsi præstat Christus sua gratia, at aliter tamen sanctificat ille, aliter iustificat, Sanctificat enim suo spiritu: seruat verò & iustificat non nisi morte & sanguine. At dices, si in gratia salus non constituitur, cur Paulo igitur gratia Dei vita æterna dicitur? Certum id quidem, ac fatendum est, quod docet

cet Paulus, vniuersam vitæ nostræ summam gratiæ tribuendam, cui cætera item omnia accepta referamus oportet. Verum hæc gratia quo pacto seruet ac iustificet, videndum est. Nam istud est, in quo cardo vertitur vniuersæ quæstionis: in quo maximè hallucinatur vulgus τῶν ἀντικειμένων

¶ CONTRA TRIDENTINOS,

Gratiam Dei qua iustificamur, tantum Dei fauore gratuito & remissione constare, non operum meritis aut infusione charitatis, ex scripturis ostenditur.

THomas Aquinas, quiq; hunc sequuntur, ex glosa, quam vocant ordinariam, id minimè negant, quod affirmat Apostolus, seruari nos diuina gratia. At qua ratione si rogas, respondẽt, id fieri ratione bonorum operum. Ita enim habent verba glosæ. Gratia, inquit, vita æterna vocatur, quia iis meritis redditur, quæ gratia contulit. In eandem sententiam commentatur Orbelius, Bonauentura, Halensis & alii, quia absq; gratia, inquiunt, nemo mandata diuina obseruare poterit. Additque Thomas alibi, quòd ad implendum mandata legis secundum debitũ modũ (hoc est cum charitate ea qua oporteat) per quem eorũ impletio sit meritoria, necessariò requiritur gratia. Quod quàm falsũ sit ac futile, ipsorũ glossema, quoniã superius à nobis explicatũ

Tho. Aquin. lib. 2. sent. dist. 26. q. 6

Glosa. Rom. 6.

Orbelius lib. 2. Sent. dist. 2.

Bonauentura.

Alex. Halensis.

est, nihil nunc nouis opus fuerit argumẽtis. Longè nos certè aliter Christianæ instituũt literæ. Vt enim id fateamur, quod èquum est: nunquam ociosam esse diuinam gratiam, quę semper ad optima quęque mentes impellit renatorum: nunquam tamen tanti valent hæc opera, vt ad vitam æternã prouehant, quę gratis à Deo promittitur, non operantibus, sed credentibus, aut si operantibus, non ideò, quia operantur salus promittitur: sed quia promittitur salus propterea operantur qui verè fideles existunt. Primum itaque præcedit rectissimo ordine iustificatio, vt causa bonorum fructuum, non ab istis illa efficitur: sed solum gratuito conferentis fauore constat, non ratione merentium: sed alia quadam ratione. Ea nimirum, qua pater benignissimus nobis nihil promerentibus, vltrò donauit filium vnigenitum, qui legem pro nobis impleuit, proque iniustitia nostra iustitiæ Dei satisfecit. In eo siquidem omnis salutis nostræ cardo versatur, visque diuinæ gratię, ac laus concluſa quam maxime effulget, non vt ipsi interim ocioſi nihil peragamus, sed vt omnia agentes, nihil nobis ipsis tribuamus, omnia transcribentes diuinę misericordiæ.

Operãibus salus promittitur non propter ipsa opera.

Rom. 11.

Vis diuinæ gratiæ qua in te potissimum effulget.

Quæ quo illustrius certiusque confirmentur, cum certissimis arcanæ scripturę mysterijs atque exemplis ista conferamus. Ac primum à summo libri capite exorsi, Adamum miserum illum miseræ naturæ nostræ & principem & euersorem spectemus.

Exempla diuinæ gratiæ ex scripturis producuntur.

ſpectemus. Qui quum & priuatim & publicè ſe Adamus. Gen. 3.
noſque omnes nefario ſcelere perdidiſſet, accepit tandem beatiſſimum illud ſeminis promiſſi nuncium. Quid diuina vnquam benignitas cuiquã potuit vel ſanctiſſimo viro ſanctius promittere, aut donare immenſius? Et quid tandem cõmeruerat primus ille & ſummus peccator, vt acciperet? Iuſſus eſt Abrahamus, relicto natali ſolo, Abraham, Ge. 12.
exire quo vocabatur, Addita eſt ampliſſima donandæ hæreditatis promiſſio, patuit ille vocanti. Non fefellit promiſſor. Auctus, dotatus eſt ille ſupra modum. At quo demum ſuo merito, ſi quęram, quid hic mihi reſpondeant operum admiratores. Natus eſt illi poſtea Iſaacus, ea ætate pa- Iſaacus. Gen. 27.
tris atque matris, quæ ſpem omnem exierat gignendæ prolis. Quid ita? niſi vt oſtenderet Deus in diuinis beneficijs, nihil eſſe relictum humanæ ſuperbię, quo gloriari poſſet? Periclitantibus fa- Ioſeph. Gen. 65.
me fratribus ſuccurrit Ioſephus, quàm humaniter, qui in necem ipſius inhumaniſſimè cõſpirabant. Nec frumenti ſolum copia, ſed honoribus etiam eos euexit quàm ſplendidè. Age, & quid illi meritorum afferebãt, quo tam honorificè exciperentur? Idem de Iſraelitis quæri poſſet, qui Iſraelitæ e captiuitate pharaonis liberati. Exod. 12.
cæſo illibato Agno è duriſſima ſeruitute emãcipati ſunt, ob quas tandem virtutes ſuas? An propter ſeruatam legem? At lex nondum erat cõdita, certè non conſcripta. An quia Moſen prophetam beneficijs ſuis deuinxerant, quẽ prodere potius iniquiſſimis modis & queremonijs molie- Lex a Deo promulgata poſt populi liberationẽ.
bantur?

bantur? Post tot emensos viarum ac itinerũ labores, peruenitur tandẽ ad promissã hæreditatis terrã. In qua vrbs primum Hierechũta obsidetur, muri cõcidunt, non viribus sed clamoribus. Post cœsis deinde ac debellatis tot vno die Regulis, in illorum sedibus collocatur populus. Ingens profecto victoriæ miraculum. At vnde hæc accidit victoria? Quid dicemus? An quia numero vincebant Israelitæ. Non opinor? An quia viribus superiores? Ne id quidem. Quid, an virtutibus igitur præstabant ceteris? Imò quæ gens vnquam præfractior? At pietatis cultu Deum sibi demeruisse dices. Imo quoties Deum suis sceleribus quàm grauiter èxasperarunt? Quàm nefariè suis obmurmurantes ductoribus iram in se Dei concitarunt? Quoties perfida rebellione, impiis molitionibus, intractabili pertinacia, murmure, concupiscentia, improbitate, non iritata solum, sed victa etiam penè diuina clementia populum refractarium, cum vniuersa posteritate internecione delere voluisset, ni Moses hominũ mitissimus sublatis manibus, humilima prece, incẽsã numinis vindictã in misericordiã reflexisset? Sed præstat dominũ ipsũ suis verbis aduersus populum hunc, quid dicat, aduertere. Ne dicas, inquit, in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus, in conspectu tuo: propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter

Terra promissionis, victoria populi Israelitici. Deut. 9.

teri iustitias tuas,& rectitudinẽ cordis tui ingredieris,vt possideas terras earum, sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt : & vt compleret verbum suum Dominus,quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac,& Iacob. Scito ergo quod non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc,quum durissimæ ceruicis sit populus,&c.

Audistis rei gestæ nudam & simplicem historiam. Veram tamen, nec tam veram, quàm multo etiam magis mysticam. Quòd si enim,testante Apostolo,omnia contingebant illis sub figura, quid aliud existimemus, quã vt aliquid sub historia hac lateat occultioris mysterii. Neq; enim dubitãdũ,quin promissa hæc Israelitis terra Chanaã,supernæ hæreditatis sedes illas cœlestes atq; imortales repræsentat. Quod si verum sit,conferamus igitur cum figura vmbratili veritatẽ,cũ typo antitypon. Quemadmodũ illi nullis suis adiuti meritis, imò præter omnia sua merita,nec propria ipsorum causa aliqua,sed singulari Dei promittentis fauore,ac patrũ causa quibus iureiurando promittebatur, possessione donati sunt lactifluæ regionis: haud aliter & nobis de cœlesti immortalitatis patria existimãdum est,nullis nostris virtutibus aut operibus eã deberi, sed gratuita Dei promissione nobis obuenire propter filium, cui in manus omnia sunt tradita in cœlo & in terra.

1.*Cor*.7.

Terra promissionis typus regni nobis promissi.

Solo dei fauore omnis constat nostra iustificatio

Quid

Thomas Aquinas, cum Glosa ordinaria.

Quid hic respondebit Angelicus ille dogmatistes, cum sua Glosa? nisi aut hæc illis in figura non contigisse, nihilque ad nos pertinere: aut vt res nostræ illis respondeant, fateatur necesse sit. Vt pergamus in sacris scripturæ mysterijs, quid de his nũc referam, qui morsibus icti serpentum, non aliter, quàm confixo in palum Serpente reualuerunt? Rursus, quid de illis apud Ionam prophetam, qui horrendum in modum periclitatem nauigio, simulatque Ionam fluctibus expositum dedissent, sedata protinus tempestate incolumes euaserunt? Quid argumenta hæc omnia docẽt aliud, nisi vt abiecta cæterarum rerum omnium fiducia nobisque ipsis diffisi, vniuersum salutis consequendæ præsidium, nulla in re, aut virtute alia positum statuamus, præterquam in morte duntaxat illius, qui per sanguinẽ pacificauit omnia & in cœlo, & in terra. Quoties in Psalmis, in prophetis, in Euangeliis, scriptura concludens omnia sub peccatum, homini adimit non solum merita, sed eò etiam sæpe sanctissimum quenq; ex agnitione suæ iniustitiæ adigit, vt salutem ipse suam non in iis, quæ donantur, sed quæ condonantur, sibi à Deo constitutam intelligat. Nam quod ad nomen meriti aut mercedis attinet, sicubi reperiatur, (reperitur enim nonunquam) nemo hinc sibi blandiatur, ac si Deus cuiquam debeat: sed sciat potius, qua ratione id facere dicatur, non quod facta ipsa, quæ per se imperfecta sunt, vitam mereantur, imo quæ venia magis

E conspectu serpentis hebræi sanitatem recuperant.

Ionas Christi typus: morte sua vitas illorum seruans.

Gala. 3.

Nomen meriti aut mercedis, quo sensu accipiendum in scripturis.

gis egeant: sed quia diuina benignitas hæc cuiusquemodi opuscula pro meritis imputat iis, qui operantur: quid ita? Nempè, quia opera sunt fidelium: Qui aliter si fideles non essent, nullo prorsus loco aut numero ipsorum merita apud Deum consisterent. Veluti si pater dicat filio, tantum ama literas, & à me nihil non impetrabis, erisque charissimus mihi filius: hoc sermone non ita obligat se pater filio, ac si nulla alia causa, nisi ob præstitam obedientiam hunc sibi in filium sit recepturus, imò quia filius est, ideo mandat pater, quod velit: præstatq; filius quod debet. Solet ita Deus regeneratis proponere mercedem nonnunquam & præmia, quibus incitemur ad recte agendum: nec dubium, quin præstitum officium insequentur quæ promittuntur præmia. Sed interim quibusnam facta sit hæc promissio, quamque ob causam sit facta, videndum est. Qua de re quid sentiat primum Osorius, accipiamus, *Promisit*, inquit, *deus omnibus qui cum iustitia vixerint, opes immensas, voluptates eximias, regnum immortale, decus maximum gloriam sempiternam. &c.* Cum multa sunt vitiosę argumentationis τὰ σφάλματα, tum illud non infimum est, quod à non sufficienti diuisione cõmittitur. Quo in genere peccat hic Osorius. Cũ enim duo sũt promissionum genera plurimum inter se diuersa, alterum ad legem spectans, certis adnexum conditionibus, alterum Euangelii, proprium, sine omni legis conditione gratuitum: ita

Pia opera fidelium pro meritis imputata, non secundum iustitiam, sed secundum gratiam.

Ofor. de iust. li. 6 pag. 150.

Legales promissiones.

Promissiones Euangelicæ.

ita in legali illo genere tota versatur Osorii oratio, vt alterum ne verbo quidem attingat. Promisit Deus, inquit, omnibus cum iustitia viuentibus, &c. Verum id quidem, si ad ea, quæ legis sunt, mentem referimus. Habet enim lex vt minas, ita & promissiones suas, inculpatè viuentibus propositas: quibus hoc facere
Rom. 2. iubemur, & viuere. De quo & Paulus: pax, inquit, & vita omni operanti bonum, &c. Promittit itaque lex: promittit & Euangelium, sed dispari ratione. Hoc enim fine discrepant. Promissa, siquidem legis vitæ dignitatem pensitant. Gratia verò Euangelica non tam vitæ modum, quàm personæ fidem æstimat: eiusque dignitatem non operum meritis, sed merita ipsa operum, fide credentis & dignitate solum obiecti metitur.

Quamobrem, quod ad præmia attinet in euangelio proposita, nõ satis est, res ipsas solũ intueri, quę proponũtur, sed ad fidẽ potius & personã credentiũ referenda est cogitatio, cuiusmodi sunt ij, vtrum in Christo insiti per fidem, an extra Christum, quibus promittitur? Si extra Christum serui sint & infideles, nulla ad istos pertinet vel promissio, vel præmii expectatio. Sin in Christo sint filii & regenerati per fidem, iam fidei debetur, non operibus: Gratiæ est, non meriti, quicquid illud sit, quod pater suis filiis vel amoris causa promittit, vel mercedis loco imputat. Atque hæc quidem imputatio, in qua omnis salu-

tis

tis noſtrę fiducia continetur, cum à ſola Dei gratia & fauore proficiſcitur, tum illud aduertendum, duplex eſſe imputationis genus: apud Deum alterum, quo Chriſti iuſtitia nobis aſcribitur, quumque eius cauſa puſilla noſtra officiola pro magnis imputantur, ſumiſque afficiuntur muneribus: Alterum, quando ingentia delicta in renatis ſuis non vindicta, ſed venia proſequitur. De quo Apoſtolus Deus erat in Chriſto mundũ reconcilians ſibi, non imputans illis delicta ipſorũ. Cæterum imputationem hanc nullo modo ferũt papiſtarum filii. Quid ita? Nempe indignũ putat Andrad. cum Monhemio & coloniẽſibus, vt iuſtus aliena iuſtitia quiſquã dicatur, quæ ipſi nõ in hæreat. Pluſquã abſurdũ clamitat Tiletanus, ac ſeculis inauditũ, alicuius rei formã verã eſſe, quæ ipſi nõ ineſt, vt ſiquis Ciceronẽ forrẽ dicat, fortitudine, quę non ipſi, ſed Achillis animo inſideat. Quibus vt reſpondeam, locum haberet hæc cauillatio, ſi natura non gratia, ſi iure non redemptione res noſtra ageretur. Scio immenſũ eſſe æris noſtri debitum, cuius ſolutionem lex neceſſariò à nobis flagitat. Nec diffiteor nos ſoluendo non eſſe, nec vnquam futuros, ſi noſtræ ſpectẽtur facultates. At quid ſi prædiues interueniat rex quiſpiam, qui perſoluto ære quod debebatur, ciues obæratos ſibi aſſerat, omniq; obligatione liberatos ſuo addicat imperio, quid hic dicent ſæui iſti & importuni οἱ ἐργοδιώκται? An quia propriæ facultates nobis non ſuppetunt, non

Imputatio duplex

2. Cor. 5. Rom. 4. Pſal. 32.

Andrad. li. 6. Orthodo. Explic. pa. 477. 454.

Tiletanus in Apolog. contra Kemnit. pa. 226.

Iure cauetur, eũ feciſſe, qui per alium facit.

non licebit aliena frui benignitate? Quid, an nullam dicent iuſtam ſolutionem, niſi quæ propriis pecuniis dependitur? Quod amici cauſa ab amico ſit, an nõ perinde eſt, acſi ab ipſo ſit factũ? Si Chriſti pretio exolutum eſt, quod à nobis debebatur, an vlla lex tam crudelis eſt, quæ nos poſtulet repetundarum? Et quid amplius hic requirent aduerſarii? an vt pro iniuſto condemnetur, quiſquis iuſtitia propria deſtituitur: Ac in iuditiis verum hoc quidem eſſe fateor, ſicubi nulla intercedat redemptio, quæ pro alterius capite ſatisfaciat. Nunc verò quum in eo ſtatu res ſint noſtræ, vt nihil habeat legis condemnatio, quod à nobis exigat, ſatis id arbitror pro nobis eſſe, quod fecit is, qui pro nobis ſatiſfecit. At reclamant iſti, fieri natura non poſſe, nec minus ab omni ratione phyſica abhorrere, vt res quæcunque eſſentiam ſumat ab ea forma, quæ propria non ſit, ſed aliena. Reſpondeo, verum id eſſe, formaliter quidẽ, quoad eſſentiam rei, at nõ iudicialiter. Etſi enim aliena iuſtitia, quæ nobis non inhæret, iuſtos nos eſſentialiter reddere non poteſt, qui naturæ iniuſti ſumus: at nihil obſtat, quominus iniuſtitię noſtræ aliena poſſit iuſtitia ſuccurrere, ſecundum iudicialem imputationẽ. Quemadmodum nihil vetat quin vnius diuitiæ, alterius inopiæ imponi queat communione quadam aut imputatione bonorum, ita vt qui in ſeſe inops ſit, in altero tamẽ poſſit haberi diues. Nec diſſimili ratione noſtra habet cum Chriſto mutuæ imputationis cõmunio.

munio. Vt enim peccata nostra Christo imputata illi obfuerunt ad damnum supplicii, ita consimili dispensationis mysterio, justitia Christi nobis imputata atque adiudicata, etsi essentialiter nobis non inhęreat, at vsu fructu tamen, & dispensatione iuditii nobis prodest ad vitæ præmium, haud aliter, quám si nostra existeret iustitia. Nam alioqui quorsum pro nobis hæc omnia gessisse & sustinuisse Christus dicitur, si nostro vsui non seruiant ea, quæ gessit ac sustinuit? Sin seruiant, quur non proinde pro nostris iure imputari possunt, quæ nostro sunt nomine & causa suscepta? Quod si tantopere eos offendit imputationis vox, quam parum conuenire Christianæ pietati putant, quur Paulus igitur toties hoc vocabulo τῷ ἐλλογεῖσθαι non vti modo, sed & gaudere in suis literis videtur? Sed de hac re dehinc, annuēte Christo, copiosius suo loco trāsigemus.

Imputationis nō infrequens mentio apud Paulum.

Q.

DE FIDE ET PROmissione.

AVditis igitur de gratia, & meritis, de imputatione gratuita, & peccatorum remissione, in qua vertitur omnis iustificationis nostræ & salutis cardo. Nunc verò quum remissio hęc, quam dico, sola fide suscipienda sit, superest vt de fide nonnihil hoc loco exequamur vel ea maximè causa, siue vt calumniis occurramus maleuolorum, siue vt erroribus succurramus, si fieri queat, eorum, quos tam infestos habet aduersarios hęc iustificandi ratio, quam fide solum sine operibus constare astruimus.

In quo doctrinæ genere, si soli nos, vel primi omnium consisteremus, minus mirarer hominum istorum tantos tumultus. Nunc quum Christus ipse, quum Paulus, quum Prophetæ & Apostoli non ita testes solum, sed autores & Duces profitentur huiusce sententiæ, qua non nisi fide in filium iustificari docemur: quum ex primaria antiquitate eruditissimi quiq; scriptores, & interpretes, vnanimi consensu, hoc idē exprimūt, ex quorū institutis, & nos ipsi idē hausimus, quid accidit papisticis istis ingeniis, quur tā nulla hic de causa oblatrēt, tā immaniter? Age, & quid tan-

tandem id sit, quod eos adeò hic mordeat, excutiamus. Disputat Lutherus, absq; operibus fidem imputari ad iustitiã. Idem docuit ante Lutherum Paulus Apostolus. Quid hic mihi dicet Osorius? Quid Romanus ipse pontifex? Quid Tridentinus Senator? Nempè coniungenda esse bona opera. Quid, omnia nè, an non? Si omnia dicẽt, vbi eos reperient, qui exactam hanc virtutũ cyclopediam in hac vita, solo excepto Dei filio, absoluerint? Sin de plæriscq;, aut de quibusdã saltem operibus intelligant, at istud non sufficerit. Neq; enim, nisi singulæ pariter virtutes mutuo velut nexu colligatę accõmodẽtur ad iustificationem, seiunctæ haud quicquã profuerint. Quis vnquã ex præscripto legis proximum ita adamauit, vt seipsum? At detur huiusmodi fortè aliquis. Age, & quid si hic idem fœneat concupiscẽtia carnis, aut oculorũ, etsi interna mens minus consentiat? Quid si turgeat animus philautia, aut mundi diffluat ambitione? Quid si auaritia corripitur, aut cesset alicubi in officio? quid iuuabit obseruata charitas? Breuiter, quid si cæteris omnibus cumulatus virtutibus, in vnum modo mandatum impingas, an non te reum violatæ legis peragit scripturæ sententia. Liceat denique ipsius etiam Thomæ verba vsurpare: quid si mens intus vacet criminis consensione: at is est, inquit, humanæ naturæ status, vt licet per gratiam sanetur quãtum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio, quantum ad carnem,

Fides absque operibus imputata ad iustitiam.

Opera cur secludantur a iustificatione.

Tho. Aqui. 12. quæst. 109.

per quam seruit legi peccati, Rom. 7. Remanet & ignorantiæ obscuritas in intellectu, de quo Rom. 8. quid oremus sicut oportet nescimus, &c. Et Sapien. cap. 9. Cogitationes mortalium timidæ sunt, & incertæ prouidentiæ nostræ. &c. Hactenus Thom. Ex quo relinquitur, aut in sola fide iustificationem, tanquam in proxima causa consistere: aut virtutum nostrarum accessionem quæ neq; perfectæ sunt, nec integræ, haud quicquam ad iustitiam coram Deo conferre, verum ad accusationem potius. Execrabilis enim omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ præscripta sunt in libro legis, vt faciat ea. &c.

Rom. 7.
Rom. 8.
Sapient. 9.
Deut. 27.
Galat. 3.

QVÆ FIDEI PROPRIA natura sit & definitio, qua eorum Deo iustificamur, ex variis & veris scripturæ fundamentis exquiritur.

EX his, quæ tam multa de gratia, eiusque donis hactenus disseruimus, abunde munitam arbitror aduersus sophistarum insultus, sententiam hanc esse, quæ fidei tantum, per gratuitam dei misericordiam, vim omnem iustificandi assignat. Verum quænam hæc fides sit, quam intelligimus, quoniam de eo non satis constare inter Theologos video, dicendum mihi aliquid hoc loco existimaui. Nempe, vt perlustratis aliorum sententiis, ritecq; iis explicatis, quæ de multiplici huius vocabuli homonymia distinguenda videantur,

antur, ad veram tandem fidem illam, quæ verè ac simpliciter nos iustificet, velut vestigiis verbi diuini deducamur.

Fidei multiplex significatio.

Cum autem fidei vox varié vsurpari solet, multaque sunt, quæ a nobis creduntur: (quæcunque enim vera certaque comperimus, iisdem mox fidem adiungimus) at non ideo tamē quæuis animi impressa persuasio, quantumvis vera, nec quæuis rerum veritas conceptarum, ilico iustificat apud Deum. In tanta hac igitur diuersitate rerum credendarum, quæ tandem sit illa fides, qua constat omnis nostra apud Deum salus & iustitia, quæ propria ac simplex eius definitio, vnde vim obtineat iustificandi, ad quos pertineat, quibus denique notitionibus ab ea fide discrepat, quam statuunt aduersarii, videndū est. Quæ fidei conditio, si rectè definitèque à Theologis nostris perspecta esset, aut equidem fallor, aut mentem istam omninò mutarent glorioſi isti operum admiratores, aut moderatius certè se in hac disputandi parte temperarēt. Nūc verò ita res, nescio quo modo, habet, vt quū nulla doctrinæ ratio vel dignitate admirabilior, aut vtilitate excellentior, vel effulserit vnquam humanæ salutis felicior, vel quæ insuper ex manifestis scripturæ Euangelicæ testimoniis pateat hominum omnium oculis luculentior, nulla tamen vnquam vel plures vel acerbiores hostes sustineat. Quod vnde accidat, satis mirari nequeo, nisi id quod dixi in causa sit, quia fidem hanc cui-

Ex fide non recte definita et intellecta, máxime fluit error et tumultus inter theologos.

gratuita proponitur iustificatio, quænam ea sit, haud rectè, ex Euangelio perspexisse videantur. Id quum multis minimeque obscuris argumentis liquere possit iis, qui scripta istorum, summulas, articulos, concilia & Diatribas euoluat: tum primus in hoc genere prodit Osorius, Hosius deinde, coniunctimus illi contribulis, qui fidem Lutheri oppugnans, non tam illam compellit, quàm propriam traducit inscitiam. Quid enim hoc inscitiæ est? Quod intemperantiæ genus? Vt stringens calamum in aduersarium, quem nequeas veris rationibus euertere, carpas non intellecta, confictisque calumniis configas innocentem? Vbi enim, te obsecro, Lutherus fidem hanc, quam ipse ei affingis, vel docuit vnquam, vel somniauit? *Nempè, vt eo solum, quo quisq; statuit se fore Deo acceptum, statim iustitiæ compos existat*, sunt enim hæc tua dicta, nec tua solum. Eadem tecum chorda oberrat nihilo minus, & Hosius, quem dixi, cum reliquis pariter consimilium omnium fere theologorum centuriis.

Osorius, Hosius.

Lutherus falsò traducitur. Osor. li. 2. pa. 32.

Scio Lutherum multa grauiter & præclarè de fide, de gratuita fidei iustitia disseruisse. Sed fidem hanc, quæ nos iustificet, multo is aliter intelligit, atque tua producit calumnia. Quis tam amens vnquam fuit, vt fidem his circumscriptam limitibus, non aliam esse cẽseat, quã vt de sua quisque salute quàm optimè sentiat, animoque egregiã induat persuasionẽ. Quan-

quam

quam neque illud interim diffiteor, semper coniunctam esse cum fide bene sperandi fiduciam, tamen si proprias rerum naturas causasque rectè metiri volumus, non parum interesse inter spem & fidem comperiemus. Neque enim vt quisque ad præclarè sperandum fortissimus est, hoc nomine statim iustitiæ compos euadit. Alioqui quotusquisque Turcarum est, aut Iudæorum, qui de salute sua, & propitio numinis fauore, non præclaram tota cogitatione persuasionem arripiat? Liceat & his Romanum simul pontificē adiungere qui magnifica quadam spe, sed inanissima sibi blandiens, vnicum sese Petri successorem esse non dubitat. Sic nec dubitant pontificii, simul atque admissa in aures factifici tacita exomologesi insusurrarint, ilico ex opere operato pulchrè se expiatos discedere, quumque innocuos. Christi seruos fidei causa in necem pertrahant, obsequium se præstare Deo haud quicquam diffidunt, quum longé res secus habeat. Non igitur quid quisque speret, sed quā rectè speret, nec quàm magna sit spes, sed quàm vera videndum est. Idem & in fide faciendum: vt recta sit autem, non ea humana opinione metienda est, sed recta scripturæ regula incedat oportet. Nec quis quid promittit solum, sed quibus, qua causa promittitur, spectandum est. Mira immensaq; sunt, quæ gratuito dono diuina promittit benignitas, promittitur enim salus & vita æterna. At non ideo promittuntur

Cum fide semper coniuncta bene sperandi fiducia.

Fiducia et spes fidem iustificantem comitatur non ipsa iustificat. Fides et spes non quam magna: sed quam vera videndum.

Discrimen inter fiduciam sperantem & fidem iustificantem.

hæc bona, quia á nobis sperantur, sed ideò speramus, quia promittuntur, vt spes iam non tanquam causa promissionem præcedat, eamq; efficiat, sed vt effectus subsequatur, ipsaque á promissione pendeat, non ab ea pendeat promissio. Ex quo vides spem non esse, etiam quū sit rectissima, quæ nos iustificet, reddatq; diuinæ capaces promissionis: sed aliud quiddā. Quid illud obsecro, nisi fides, cui propriè sit promissio? Credentibus enim proprie, non sperantibus solum, hoc est, non ob id quod speratur, sed ob id in quod creditur, pactio nobiscum initur æternæ vitæ.

Fiducia seu spes proprie promissionem respicit, fides personam redemptoris.

FIDES NON QVÆuis iustificat.

Non quæuis fides iustificat.

VErum quod de spe modò dixeram, idem & de fide rursus admonendum est: vt vera rectaque sit non solum quám magna existat. Neque enim quælibet fides valet ad iustificandum, quum plura sint diuersaque credendi genera. Est primum fides, qua Deum esse & nouimus & formidamus, hæcque fides nec ipsos fugit Dæmones. Est alia, qua Deo etiam credimus, eiusque promissis certò fidimus. Adiungunt his scholastici tertium credendi genus, quo credere in Deum ipsum dicimur. Hancque fidem variè deducunt, in formatam & informem: in Habitualem & actualem. Accedit huc insuper fides, quæ sæ-

Lombard. 3. Sentent. distinct. 23.

Credere Deum. Credere Deo. Credere in deum.

pe

pe pro ſpe accipitur & definitur, veluti in Epiſtola ad Hebræos: vbi fides ſubſtantia dicitur eorum quę non adſpectantur, ſed ſperantur, argumentum rerum nondum apparentium, ſed futurarum. Sunt præterea qui vocabuli huius vſum in plures formas partiuntur. Andreas vega nouem in vniuerſum fidei ſignificationes enumerat. Verum quum in his, quas hactenus recenſui, nulla ſit perſonæ illius mentio, è qua ſola vis omnis iuſtificandi proficiſcitur, haud proinde video, qui fieri poſſit, vt eiſdem rectè conueniat iuſtificatio. Quare minus hoc mihi mirandum accidit in Oſorio, Hoſio, eiuſque ſcholæ aliis, ſi minus de iuſtificatione fidei rectè ſentiant, quippe qui fidē, quam propriè nobis proponunt Euangelicæ literæ, & cui nos ex Euangelica autoritate iuſtificandi energiam accomodamus, nondum ſatis perſpexiſſe, aut certè non commodè definiuiſſe videantur. Quòd ſi verò fides hæc, quam profitemur, nihil aliud in ſe poſitum complecteretur, præterquam quòd ipſi ſuis in libris præſe ferunt, idem equidem ſtatuerem quod ipſi prædicant, Nempè haud multum in ea momenti ineſſe ad comparandam iuſtitiam. Id quo certius conſtare poſſit, auſcultent modò pii lectores velim, quid ipſi de fide doceant, quemadmodum eam definiant. Sic autem definiunt, vt quę vera ſit fides in Euangelio nobis propoſita ad iuſtitiam, aut excidignorent, aut conniuentes diſſimulent. Atque vt à Tridētinis primum exordiamur, ita eam definiunt

Hebr. 11.

Andreas Vega Hiſp. de iuſt. q. 1.

Fidei ſignificationes 9 apud Vegam.

Fides vt a Papiſtis definitur, ſi non iuſtificet minime mirum eſt.

Definitio fidei apud Osor. lib. 2. Num. 46. b.

finiũt, vt sit firmus assẽsus de iis quæ diuinitus reuelata & patefacta sũt. Nec multo aliter hos sequutus Osorius huiusmodi finitione vniuersã fidei naturam colligit, vt *sit firma & constans mẽtis assensio autoritate dictemis excitata*. Quæ verò hæc fides sit, quam in hunc modum describit Osorius, ipse videat. Certé minimè hãc esse quisquam putet, quã Paulus de iustitia disputans intelligit, aut cui nos ex Paulo iustitiam propriè ascribendam affirmamus. Tametsi neq; interim abnuimus, quin vera sit fides hęc ab Osorio & aliis posita, qua, propter autoritatem docentis ecclesiæ, credimus quæcunque ad religionẽ pertinent, quæ licèt non videntur (vt refert Lombardus) creduntur tamen, siue præterita siue futura expectantur. Veluti qui fidem adiungit iis, quæ symboli articulis continentur, quę scripturis consignantur: qui verbo Dei aptata esse secula, qui deum esse, cunctaq; eum ex nihilo procreasse: *qui credit denique ac profitetur illum esse præpotentem ac optimum* (vt verbis ipsis insistam Osorii) *virtute atq; benignitate immensa & infinita prædicum, per omnes mundi partes intentũ, atq; commeantẽ, omnia intuentẽ & animadvertẽtẽ, & singulis rebus, prout cuiusq; rei dignitas & conditio postulat, consulentem*, & si quid aliud sit, quod ad fidei professionem spectans propheticis docetur literis, nihil is quidem credendo fallitur. Veriſſima enim sunt, licèt longissimè à sensibus semota, quæ interno fidei lumine prospi-

Sentent. lib. 3. dist. 23.

Fides apud Osor. et pontificios, quæ sit.

Osor. lib. 2. pa. 7.

ſpiciuntur. At minimè hæc tamen fides exiſtit, quamtumuis vera, quæ miſeré impuros nos & perditos peccatores iuſtificat apud Deum. Quis enim Iudæus Apella, aut hoſtilis Turca non hæc omnia fide complectitur, quæ Oſorius longa verborum ſerie de Deo, eiuſque potentia, iuſtitia, immenſitate prædicat? Quippe qui vnà nobiſcum Deum vnum confitentur, promiſſis eius ingenti ſpe confidunt, nomen inuocant, mandata æquè nobiſcum obſeruant, titulo inſuper veræ eccleſiæ ſibi blandiuntur, quin neque mortuos ad vitam reuocandos ignorant, vitam æternam ſibi pollicentur: multa denique quæ oculis non cernunt, fide retinent, ſpe proſequuntur. Breuiter neque minus & ipſi Deo credunt, & Deum confitentur, & in Deum credunt. Quod ſi fides Chriſtiana iuxta Magiſtralem Lombardi poſitionem, nulla alia in re conſtituenda ſit, quàm in ſolida apprehenſione rerum ſperandarum, certaque earum quæ non apparent expectatione, quid obſtat, quo minus & Iudæi & Saraceni fideles hoc nomine cenſeantur.

Fides non quælibet res veras apprehendens iuſtificat.

Quid ergo, inquies, an non Paulus ad Hebræos ſcribens fidem eadem finitione diſertè complectitur, vt ſit ſubſtantia rerum ſperandarum. &c. Equidem neque Paulum autorem huius Epiſtolæ repudio, nec definitionem improbo, neque id diſcutio, ac ne quæro quidē, quod quęritur apud Lōbardū: vtrum deſcriptio hæc

Cuiuſmodi fides hæc ſit quæ definitur, Hebr. 11.

hæc fidei, an ſpei propius conueniat? hoc tandum reſpondeo. Vt veram hanc fateamur fidem eſſe, quæ hic definiatur. At ea certè fides non eſt quæ impium propriè iuſtificat apud Dominum. Quid ita? Quia deeſt nimirum definitioni, genus, proprium, & differentia, quæ fidem à ſpe diſtinguat. Abeſt deinde verum propriumque fidei obiectum, quod nullo modo omittendum erat, perſona nimirum illius, in quo vno omnes Dei promiſſiones, cauſaque iuſtificationis vniuerſa continetur. Qui niſi accedat, fruſtra á nobis cætera tum creduntur, tum ſperantur, nec quicquam ad ſalutem conferre tota illa ſperandarum rerum ſubſtantia. Quid igitur an nō promiſit nobis, inquies, miſericordiam ſuam clemētiſſimus pater? annon pactus eſt fœdere irrefragabili, propitium ſe fore peccatis noſtris? an non fides nobis accōmodanda eſt iis, quę à Deo promittuntur? Promiſit ille quidem, fateor, ſed quo modo? non niſi in Chriſto filio. Quibus? non niſi in filium credentibus. Scio ac fateor certiſſima eſſe Dei promiſſa, quibus pollicetur ille, vt refert Oſorius, *immenſas opes, voluptates eximias, regnum immortale, decus maximum, gloriam ſempiternam.* At non ita tamen bona hæc à Deo vel promittuntur, vel donantur, vt nihil interim à nobis exigat ad hæc conſequenda bona, quæ promittit. Non igitur hic ſtatus eſt quæſtionis, vtrum Deo promittenti ſit credendum, quod nobis cōmune eſt cum Iudæis ipſis, & Turcis. Neq; id quęro, quid-

Fides promiſſionem ſpectat, at non ſolam hanc tamen, ſed aliud obiectum potius. vnde iuſtificationem accipit.

Oſo. li. 6. nu. 150. lib. 5. num. 21.

quidnam promisit Dominus: promissa est enim salus, promissa est peccatorum condonatio. Verum quod propriè hic quæritur, illud est. Salus hæc & delictorum venia, qua ratione, qua causa promittitur, nullanè interposita conditione? an aliqua? At nullam subesse conditionem huic promissioni, nullus opinor dixerit. Restat proinde aliquam esse necessariò fateamur. Quæ cuiusmodi sit ex scripturis, modo discutiamus.

At interea excipiet forsan aliquis, si ad certas conditiones restringatur Dei promissio, quomodo igitur gratuitam Dei misericordiam cum Paulo cõstituemus, qua gratis per gratiam iustificat impium? Imò verò quàm maximè gratuitam Dei misericordiam & censeo & statuo. In Christo, inquam, gratuitam. Alioquin sine Christo nulla nec misericordiæ spes, nec salutis promissio, nec peccatorum constat remissio. Atque id non negabunt Papistarum filij, in Christo omnes diuinæ promissionis, nostræque salutis opes esse sitas. Ac rectè quidem istud. Nunc enim Mediatorem intelligo, per quem cœlestia sua bona dispensat nobis Deus: is siquidem Christus est. Cæterum quo modo per Mediatorem hunc dispensat ille, nondum satis percipio. Etsi enim solum hunc agnosco Mediatorem, cuius vnius merito omnis nostra incolumitas sit referenda, at quia tamen salus hæc per Christi meritum, neq; in omnes recidit, nec nisi sub certa quadam conditione ad nos diriuatur, quæ tandem

Quæstio, quomodo promissio gratuita, si sub conditione restringatur.

Responsio.

Mediator.

Promissio sub conditione.

tandem illa sit conditio nobis à Deo præscripta ad salutem obtinendam, aut quo modo meritoria hæc causa Mediatoris operatur in nobis, id ab istis perlibenter doceri velim. Atque hic illico respondet Lombardus, cæteriquè omnes Lombardicæ disciplinæ affines, id eò modo fieri, nempe per charitatem Christi merito infusam, qua demum accepta, per voluntariam eius susceptionem, protinus iusti non nominamur solum, sed etiam sumus. O Theologos? Quasi verò Christus non in aliud donatus nobis á patre huc aduenerit, nisi vt diuinam charitatis infusionem, quam vocât, nobis compararet. Et quur non precibus, cum hic adesset, à patre benignissimo eandem hanc infusionem obtinere potuit? Quid, an tam durus pater adeòque inexorabilis, vt nullis delinitus precibus, beneficium gratiæ cuiquam concederet, sine morte & sanguine filii dilectissimi? At quid obstitit? an quia non vellet, qui natura sit charitas ipsa: aut quia non posset, qui sit maiestate omnipotens? Sed age, delibutus nunc dono Charitatis, quid eo tandem consequeris? Salutem, inquis, & iustitiam. Qua ratione istuc? Quia quum charitas impletio sit totius legis, eò fit, vt diffusa charitas in cordibus nostris per spiritum sanctum, & inflammans ad legis obedientiam, facilè ea omnia exequatur, quæ vitæ sunt officia, ita vt iusti iam non reputemur, sed re ipsa etiam nominemur & simus. Rectè quidem, id ergo est, ni fallor, quod istos velle video: Omnè salu-

Lombardus.

Christus in quem finem datus nobis a patre, iuxtà papistas

Trident. Concil. sess. 6. c. 7.

salutis nostræ fiduciam in lege exequenda esse positam: sub eaque conditione summam diuinæ promissionis contineri, si quæ legis sunt, perficiamus. Quod quia sine charitatis supernaturali vt aiunt, infusione præstari non possit, ideo charitas diuinæ legis amore animum informãs, iustitia ab illis dicitur. Andrad. Orthod. explic. lib. 6. pag. 471.

Habes, ingenue lector, descriptam breui cõpendio, sophisticæ huius theologię formulam. De qua quo rectius iudices, specta nũc mihi mirabilem hunc causarum ordinem.

DE TRIPLICI CAVSA IVstificationis 1. conditionali, 2. formali, 3. meritoria.

1 PRimum omnis iustitiæ & promissæ nostræ salutis finem in legis obseruatione constituunt, ea conditione, vt si lex præstetur, viuamus. Sin minus, nulla alia superfit vita comparandæ ratio. Ordo causarum apud papistas in ratione iustificãdi

2 Quoniam autem perfecta hæc legis persolutio, secundum debitum, vt aiunt, agendi modum, non sit in viribus naturæ posita, neque in lege ipsa, sine speciali, vt vocant, gratiæ supplemẽto, ideo charitatem diffusam in cordibus nostris, in qua formalem iustificationis causam definiũt, necessariò requirunt. Causa proxima et vltima iustificationis perfectio est legis.

3 Iam verò quibus modis ac mediis infusio hæc gratiæ & charitatis conciliãda sit, duas maximè

Causa comparandæ gratiæ est meritum Christi, et voluntaria arbitrii susceptio.

Meritum de congruo.

Refutatio præpostericæ distinctionis, quod ad ordinem causarum attinet.

Conditio iustificationis ex perfectione legis, tanquam e proxima & vltima causa non pendet.

rime causas assignāt. Quarū altera in morte christi, tanquā in causa meritoria constituitur. Alteram in voluntaria arbitrii nostri susceptione collocāt. Quę quia repudiare posset gratiam hanc, quam. suscipit pro sua libertate, ideo meritum huic ascribunt nesendi saltem de congruo. Atq; hic interim fides apud istos nullo habetur loco nec numero. Nec mirū, quū quid fides sit Euangelica, ex Euangelio non intelligant, nec quæ eius vis sit & efficacia, vlla satis experientia didicisse videantur.

Cæterū ad sophisticas istorū nugas vt respondeā, primū, quod ad proximā & vltimā causā attinet iustificationis, quā ipsi in legis perfectione positā statuūt, quā id falsi sit, & Euangelio inimicū, quis tā nulla imbutus Euangelij cognitione nō persentiat? Etsi enim legis vox rigidissima necessitate nos astringat ad perfectā exequēdę omnis iustitię cōditionē, at lōge aliud mitis illa vox sonat Euangelicæ promissionis. Quæ nullā exigit conditionem aliam ad salutem potiundā, præter fidem duntaxat, qua credimus in filium Dei. Sed quid istis dicas, qui quid inter legem, & Euangelium intersit, nihilo plus penè vident quàm nocturæ ad meridianum solem caligantes?

De causa formali iustif.

QVin nec minus & illud falsum, quod de formali causa ineptissimè somniant. Id quod facilè

facilé in hunc modum refellitur. Primum, vt hoc donemus charitatem in præcipuis dei donis, ponendã esse, quæ toties laudata ab Apostolo laudari satis possit à nemine, nunquã tamẽ, tanta eius excellentia cuiquã donata est, in hoc seculo, vt vniuersam legis iustitiam cõpleat. Vnde quũ charitas viæ, quam vocãt, sit imperfecta (ex parte enim, iuxta magistralem sententiam, diligimus) nec iustitia ea dici, nec forma esse fidei poterit. Accedit huc altera ratio, quòd quum donatur etiam amplissimè, nunquã tamen in hunc finem donatur charitas, vt nos iustificet apud deũ, non vt fidem informet, sed vt à fide ipsa potius informetur, fideiq; subseruiat, fructus enim fidei sunt, nó causa fidei, charitatis opera: sequũtur nó præcedũt fidem. Neq; enim, quia amore prosequuta est christum Magdalena, ideo in Christum credidit, sed quia in Christũ credidit, ideo dilexit multum. Quòd si verò formalis causa philosophis ea dicatur, quæ vitam animãq; suppeditat materiæ, sicq; vita hæc sit theologis, qua deo viuimus, quid igitur scripturæ propheticæ respõdebũt, qua iustus dicitur nõ ex charitate, sed ex fide viuere? Quid item verbis christi, quibus docet ille vitam æternam in eo sitam esse, vt patrem verum Deum cognoscamus, & quem misit ipse Iesum Christũ? Rursusq; , vbi apertissima oratione, vitam fidei solum, non charitati tribuit. Qui credit, inquit, in filium, habet vitam æternã.

Charitas quidem ex parte est, vt sæpe docent sancti.

Sentent. lib. 3. dist. 31.

Charitas fidem non præcedit, sed sequitur, nec formatea fidem, sed a fide informatur

¶ De causa iustificat. meritoria.

Meritoria causa iustificationis quatenus in Christo sic statuenda.

INterea verò, quoniam de his fusius iam antè pertractatum est, subit deinceps, quod proximum est, in hac causarum serie, vt meritoriam nunc causam iustificationis, pari compendio excutiamus, quam isti ex Tridentina autoritate solam ac vniuersam in Christo comprehendunt. Age, & quid ergo hic respondebunt Scribæ isti & disputatores seculi huius? Quid, an iustorum opera nihil merebuntur apud Deum? nihil ad comparandam iustitiam prouehunt? Et vbi igitur meritum illud de congruo & condigno? vbi opera supererogationis indebita? vbi gratia illa, quam conferunt nobis sacramenta, vt perhibent ex opere operato? Et quo iam argumento Andreas Vega suum hoc axioma tuebitur? Fides, ait, & alia bona opera, quibus disponimur ad gratiam gratum facientem, qua formaliter iustificamur, & sumus accepti Deo, meritoria sunt ex congruo eiusmodi gratiæ, & nostræ iustificationis. &c. Vnde palam fit, aut Christum non esse solam causam meritoriam eiusmodi gratiæ, aut nihil valere cætera quæcunque meritorum nostrorũ adminicula. Quanquam neque id interim inficior, quin Christi mors verè sit meritoria. At quid ea meruerit, etiam atque etiam spectent aduersarij: vt spirituale, inquiunt, auxilium diuinæ gratiæ & charitatis ad præstandam legem

Merita ex congruo et cõdigno, merita supererogationis indebita ex opere operato.

Andre. Vega hispan. de iust. pag. 816.

in

in nos diffunderetur. Quid ergo? an nulla alia causa mortuus est Christus, nisi vt donum charitatis ad præstandam legem mortalibus impetraret? An non ideò potius mortuus est, vt chirographum, quod in lege contra nos scriptum erat, cruci suæ affixum dissiparet, vt inimicitiam dirimeret, mortem deleret in sempiternum, Diabolum regno exueret, vt pastus & alimonia esset nostræ fami, vt principatus ac potestates triũphali suo imperio subiiceret? vt potestatem omnẽ occupet in cœlo, & in terra. Quòd si tanta sit vis charitatis ad legem perficiendã, vt prædicãt, quid, an charitas hæc aliter illabi non potuit, nisi moriendum esset Dei filio? Imò ante mortem Christi, an non supernaturalibus iisdem donis insigniti sunt patriarchæ, prophetæ, ac complures sanctorum alii? Deinde post mortem christi, an tanta cuiquam etiamnum præsto est gratiæ facultas, qua omnem obeat iustitiæ plenitudinem? Atqui quum meritum Christi perfectum sit, perfecta sint & illa, quæ nobis idem promeruit perfectissimo suo pretio necesse est. At contra mea quidem fert ratio, vt existimẽ Christum iustificationis nostræ meritoriã quidẽ causã existere, & renouationis non tam meritoriã esse causã, quã efficientem potius, quum ipse sit, qui baptizat spiritu sancto, & igne. Denique vt id donemus ex Christi merito, influere hanc nobis charitatem, attamen eandem hanc gratiæ infusionem, nequaquam causam

Ephes. 2.

Coloßen. 2.

Charitas per spiritum sanctum infusa sanctis patriarchis et prophet. ante mortẽ Christi.

Christus solus meritoria causa iustificationis.

esse promerendæ iustificationis, imo nec vllam partem causæ dixerim, sed quæ in effectis potius numeranda, atque inter fructus iustificationis, qui inde consequuntur, censenda videatur. Neq; enim sequitur ratio, si opera gratiæ ac charitatis, Christi merito ad nos perueniant, propterea eadem merentur iustificationem corã Deo. Quippe quæ nulla prorsus operum conditione nititur, sed sola promissione, eaq; etiã gratuita: sicq; gratuita, vt nullã implicet cõditionẽ, vna dũtaxat excepta. Ea verò quænam vnica & propria existat conditio, quoniã hoc loco quærimus, facilè nos docebit Euangelica institutio, si modo Euangelicæ auscultationi, quã Tridentinis placitis aures præbere maluimus.

Promissio Dei ad salutem, vna solum nititur conditione.

¶ Qua propriè conditione nititur iustificationis promissio.

Fides duabus consistit partibus, notitia interna et externa confessione.

CONditio verò, qua propriè iustificamur, ea est vt in christũ credamus, illiq; cõstãte confessione adhæreamus. In qua fide diligẽs interim adhibẽda cautio est, vt in propriũ legitimũq; obiectũ fides hęc dirigatur. Quod à Scholasticis hactenus doctorculis nõ satis acriter animaduersũ esse miror. Quorũ alii obiectum fidei statuũt in prima veritate: Alii pro obiecto habẽt, quęcunq; in sacris dei literis consignãtur. Quibusdam pro obiecto fidei habẽtur, quęcũq; ab Ecclesię catholicę autoritate nobis credẽda obiiciuntur. Nec malè quidẽ isti. Siquidẽ hęc omnia & verè & necessa-

Proprium obiectum fidei apud Pontificios.

cessariò cuique credenda esse haud inficior. Qui enim sex dierum spatio vniuersam mundi huius architecturam diuino opificio constructam credit, recta is quidem fide ducitur, quemadmodum certissimæ sunt fidei, quæcunque scripturarum monumentis promuntur veritates, quæ tamen fides singularum veritatum non ilicò, opinor, hominem iustificat. Neque enim proprium est nostræ quæstionis, quid verè à nobis credatur, sed quæ fides ea sit, quæ impium iustificat apud Deum à peccatis, & quod proprium sit fidei huius obiectum, ex Euangelio vt perquiramus. Perridiculum interim illud nimisque barbarum, quód in decretalibus pōtifex obiectū fidei ad claues, & successionē Romanæ cathedræ redigit, idq; sub necessitate salutis. Sed facessat Planus hic cū suis fucis.

Bonifacius in decretalibus.

DE FIDE ET FIDUCIA, ET *quod proprium sit fidei obiectum.*

AD alios accedat oratio qui saniore iudicio de fide differentes, proprium ac genuinum obiectum fidei, qua iustificamur non tam è longinquo à prima ipsa veritate petunt vt Thomas, neque ad singulas scripturæ veritates reducunt, vt Colonienses: neque in Ecclesiæ decretis definiunt, vt duacenus doctor, eiusque loci ac ordinis Iesuitæ, neque in Romanæ cathedræ irrefragabili autoritate, vt Bonifa-

Obiectum fidei iuxta saniores Orthodoxos.

cius, verum multò propiùs ad veritatem accedentes Euangelicam, ita nobis fidem definiunt, vt obiectum eius in sola Dei misericordia statuant. Sic enim fides á nostris hodie plærisque definitur, vt sit firma constansque fiducia in misericordiam Dei, gratis propter Christum promissam. Quæ si vera sit finitio, apparet hac quidem ratione, fidei obiectum non aliter, neq; alia in re positum esse, quàm in gratuita dei apprehẽsa misericordia. Quod neq; ipse verũ esse hactenus inficior, quatenus fides hoc loco pro fiducia accipiatur, quemadmodum sæpe hac significatione vlurpari solet, quæ misericordiam respicit, pariq; mentibus certitudinẽ. Cæterum vtrum fiducia hęc propriè iustificet apud Deum, quæri hic potest non inutiliter.

Definitio fidei iuxta reformatiores theologos.

Fides pro fiducia misericordiæ sæpius accepta.

Sola fiducia misericordiæ vtrum proprie nos iustificet apud Deum

QVESTIO VTRVM FIDVCIA misericordia sola per se iustificet.

EQuidem quod ad me attinet, nó is sũ, nec vnquã fui, qui cuiusquã sẽtẽtiæ prẽiudicatũ velĩ, fruatur per me suo hic quisq; sẽsu: nihil impedio. Mihi tamẽ si liberũ, in libera permittatur ecclesia profiteri, quod sẽtio. Sic fert mea quidẽ ratio, vt existimem fiduciã hanc misericordiæ, & certitudinẽ salutis promissæ, rem esse cõiunctissimam cum fide oportere, & quam quisque sibi necessariò accommodare debeat, at tum cum maximè accommodatur, non eam tamen esse, quæ sola per se propriè absolutèque nos á pecca-

Certitudo salutis cum fide necessario cõiungitur.

peccatis ſubleuet, iuſtificetque apud Deum, ſed aliud quiddam in Euangelio propoſitum eſſe, quod natura certitudinem hanc quoquo modo præcedere oporteat, nosque apud Deum iuſtificet. Præcedit enim ne ceſſariò fides in perſonam filii, quę nos Deo primum conciliat. Sequitur deinde fidem hanc fiducia certiſſimę miſericordię, de qua nemo eorum, qui in Chriſtum credunt, dubitare poterit.

Obiectio.

At dixeris, quid, an non fidei vocationem, prę occubat miſericordia, in Chriſto promiſſa? an non eadem gratis miſericordia iuſtificat credentes? Denique quum certiſſima ſint promiſſa Dei, an non iiſdem tutò ac conſtanter fidendum eſt?

Reſponſio ad Obiect.

His vt reſpondeam, præuolat diuina quidem miſericordia, dubium id nemini eſt, quę cauſa omnium bonarum rerum atq; origo exiſtit. Verum non id eſt, quod hoc loco quæritur, vtrum miſericordia ex parte Dei parens ſit iuſtificationis noſtræ, ſed quidnam illud ſit noſtra ex parte, quod apud Deum valeat ad reconciliationem, fiducianè miſericordiæ, an fides in perſonam filii dei. Scio immenſam eſſe Dei miſericordiam atque infinitam, qua omnis continetur ſanctorum electio. Nec ignoro certiſſima eſſe, quæ in articulis ſymboli credenda proponuntur, quibus vt nihil eſt certius, ita nec quicquam eſt, quod de eorum certitudine quę promittuntur, aut de fide promittẽtis quiſquam addubitare debeat. Quid

Miſericordia prima cauſa iuſtificationis noſtræ, ex parte Dei.

Ex parte noſtra duo conſiderantur, fiducia miſericordiæ promiſſæ, fides in perſonam ipſam mediatoris.

Exploditur papistarum opinio de incertitudine nostræ in Christo salutis.

enim promissis Dei certius? Quid promittentis fide stabilius? Quid misericordia gratis in Christo proposita magis gratuitũ? Quo magis explodenda est è cœtu Christianorum insuauis hęc, nec minùs calumniosa Hosii, Andradii, similiumque oblatratio, qui velut contra stimulũ λακτίζοντες omnia in dubium incertumque cum Academicis reuocant, nec vllo modo ferendam putant susceptam de promissa salute fiduciam: quam Tridentini anathemate condemnant, Hosius vt inanem atque inutilem detestatur, perinde arguens, ac si certitudo hæc diuinæ gratiæ nihil aliud, quàm inertis cuiusdam socordiæ, vitæque laxioris occasionem conscientiis aperiat. Itaque quemadmodum, inquit, patres ac domini cordatiores nonnunquam faciunt, vt gratiam suam erga filios & seruos dissimulent, quo sic magis illos in metu ac officio contineant: idem & Deum facere erga seruas suos, vt inter spem metumque fluctuantes, facilius eo pacto à securitate ipsos & negligentia dimoueat. &c.

Hosius lib. 3. confut. pa. 140.

De certitudine Christiano fiducia contra Hosium.

Contra Hosianam incertitudinem responsio.

EGregia vero dei hominumque comparatio, quæ omnes dei promissiones, doctrinam Euangelii vniuersam, adeoque totius religionis fundamenta dissipat atque elidit. Quorsum enim per verbum suum promitteret Deus, si certos

tos nos esse nollet eorum, quæ promittuutur? Promittebatur Abrahamo filius, credidit ille nihil diffidens promittenti, laudique ei ducitur. Quid ergo? tunè infractam Abrahami laudas fiduciam: nostram vituperas? Itidem misero Adamo semen promittebatur venturum. Quorsum tandem? vt hæreret ille in trepida diffidentiæ fluctuatione? an vt animum potius promissi solatii expectatione fulciret? Tot sunt passim in vtroque fœdere pactiones promissionum, quas si nolebat certas esse nobis diuina veritas, quur verbo igitur conscriptas, quur tabulis consignatas esse voluit? Breuiter quur in Symbolo fidei credere iubemur peccatorum remissionem, carnis resurrectionem, vitam æternam, nisi vt certissima hæc nobis statueremus; quæ fidei articulis inseruntur? falsum proinde est, quod affirmat Hosius, neminem teneri vt firmiter credat, certoque statuat vel de se, vel de hoc aut illo, sibi propter Christum peccata esse remissa, se esse in gratia, se certò possessurum regnum cœlorum, &c. Rursumque neq; illud minus fabulosum, in quo nostris hominibus obtrudit hoc dogma, quasi ita astruimus vnumquemque iustitiæ esse compotẽ, eo solum, quòd statuit se fore deo acceptum. Quod minime verum est, nec caret impudenti calumnia. Non enim ii sumus, qui certam misericordiæ fiduciam quoquomodo repellendam à fide iustificante existimamus,

Hosius lib. 1. Confut. pag. 15.

Hosius ibid. Osor. de iust. li. 2. pa. 32.

(quod

(quod nefariè faciunt ex Romana cohorte theologi) Neque Rursus causam ipsam iustificationis in fiduciam hanc, seu applicationem nudam misericordiæ (vt ipsi falso calumniantur) propriè transferimus. Quid ita vero? Quia nimirum deest adhuc aliud quiddam, quod applicationem hanc promissionis præcedat oportet, quodque ad veram iustificandi causam necessariò desideratur.

¶ CAVSA IVSTIFICATIONIS *à sola fiducia seu applicatione misericordiæ non pendet.*

Causa iustificationis, quoad deum misericordia est, quoad nos, fides in mediatorem.

QVid ergo, inquies? an non gratuita dei promissio causa verissima existit, qua omnis nititur summa iustificationis? Ex parte Dei fidicas, verum est. Ex parte nostra si quæras, vlterius est progrediendum, aliudque cum promissione necessariò adnectendum videtur. Age, vtrem clarius ob oculos producamus. Promittit Deus salutem suis, idque gratis, & propter Christum. Certissimum id quidē est, extraq; omnem controuersiam. Perge, & tu fidis diuinæ promissioni. Rectissimè id quidem facis, laudoque fiduciæ constantiā. At interrogo interim. Salus quū gratis propter christū promittitur. An ideó propter Christū omnes promiscuè seruabit absoluta promissio, sine vlla conditionis restrictione. Non opinor. Age, igitur, quū promissio hæc non nisi

ad

ad certos duntaxat, ſub certa quadam conditione, pertineat, quinam igitur ii ſunt, in quos propriè hæc cadat promiſſio, ſcire velim. Credẽtes, inquis. Rectè id quidem. Sed quomodo, aut in quem credentes. An non in Chriſtum ipſum? An non is ſolus eſt, cuius ſolius cauſa ſalus promittitur credentibus? An non fides hæc ſola in perſonam Chriſti compotes nos reddit promiſſionis? Fides hæc an non ſola apud Deum iuſtificat? Denique an non ſola hæc conditio eſt, quã vbique inculcat in Euangelio vox Chriſti, Apoſtolorum, & prophetarum, quam vnicé exigit à nobis paterna præſcriptio, vt audiamus filium eius dilectum, vt Chriſtum recipiamus, vt credamus in nomen eius, vt fide ad eum confugiamus, totoſque nos in eum recipiamus, vt credamus in eum, quem miſit ille, quem conſignauit pater, vt eum intimis animis digeramus, vt in illo inſeramur, creſcamuſque in illo, vt Ieſum eumque ſolum crucifixum cognoſcamus, vt eum ſolum cõtemplemur, ſicut ſerpentem contemplati ſunt olim Iſraelitæ, vt Chriſtum induamus.

Fides ſola in perſonam filij Dei.

Hinc toties illæ in Euangelio repetitæ de perſona Chriſti conciones: Qui credit in me habet vitam æternam: Quotquot receperunt eum: qui credunt in nomen eius: qui credit in filium Dei: vt omnis qui videt filium, & credit in eum: qui credit in me, non morietur in æternum: Creditis in Deum? & in me credite. Credimus & cognouimus, quod tu es Chriſtus filius Dei viui.

Ioan.6. *Ioan.11.* *Ioan.3.* *Ioan.6.* *Ioan.11* *Ioan.14.* *Ioan.6.* *Rom.4.*

Qui

Rom.3. Qui credit in eum, qui iustificat impium: Iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi: Si confitearis ore tuo Dominum Iesum. &c. vt credatis, quia Iesus est filius Dei, & credentes habeatis vitam æternam: Si crediderit toto corde tuo. &c. Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua: Iustitia quæ est ex fide Christi: Accessum habemus per fidem eius: promissio ex fide Iesu Christi: per fidem quæ est in me? Per nomen eius, omnes qui credunt in eum: Si non credideritis quod ego sum: Nisi manducaueritis carnem meam: nisi in me manseritis: si manseritis in me ibid. Omnes filii dei estis per fidem in Iesu christo.

Joan.20.
Act.8.
Act.16.
Phil.3.
Ephes.3.
Gal.3.
Act.26.
Act.10.
Joan.8.
Joan.6.
Joan.15.
Galat.3.

FIDEI VERA ET GENVINA definitio quæ sit.

Obiectum fidei quæ iustificat.

Obiectum fidei quæ certificat.

Definitio fidei qua iustificamur.

EX quibus tot tam conspicuis scripturæ locis, nemini non certissimum esse potest, quodnam proprie obiectum sit fidei illius, quæ nos iustificat, non aliud videlicet, quam persona filii Dei: quemadmodum rursus, fiduciæ obiectum est dei promissio. Quæ quum ita sint, haud difficile fuerit ex his scripturæ notionibus colligere, quæ vera & genuina sit illa, quam quærimus, fidei iustificantis definitio: quæ ad rectam Euangelii normam in hunc modum definienda videtur. Vt sit insita mentibus nostris recta filii Dei cognitio, qua Christum promissum agnoscimus, exhi-

exhibitum ſuſcipimus, mortuum pro nobis ac reſuſcitatum ore profitemur, ſpiritu colimus, mente tota cum omnibus ſuis beneficiis amplectimur.

Hæcque fides vt ſingulare dei donum exiſtit, ita ſola ex omnibus dei donis creditur, quæ credentes iuſtificat coram Deo. Cui etſi coniunctiſsimè accedat certitudo & fiducia diuinæ gratiæ, quæ & ipſa fidei nomine nonnũquam commendatur, at hæc tamẽ fiducia cauſã propriè iuſtificandi non infert, ſed allatam accipit, nec efficit iuſtificationem, ſed ab ea potius efficitur, certoſque reddit eos, qui fide Chriſti iuſtificantur, non ipſa iuſtificat. Neque enim quia miſericordiam dei pia fiducia amplecteris, ideo condonat tibi deus, & in filium recipit, ſed quia recta fide Chriſtum eius amplecteris, eũq; cõfiteris, ac diligis, is te diligit: nec quia certi de ſalute ſumus fidimuſq; promiſsis, ideo in Chriſtum credimus, ſed quia credimus in Chriſtum, ideo in certam venimus ſpem eorũ, quæ in Chriſto promittũtur, promittitur enim credenti in filium vita æterna. Hincque emergit diſtinctio minimè obſcura inter fidem & fiduciam. Differunt enim ſubiectis, & obiectis. Fides Chriſti quæ parit iuſtitiam, ſedem in ſuperiore animæ arce occupat, in qua verſatur intellectus. Fiducia ad eas animæ potentias refertur, in quibus ſpes ſimileſque affectiones collocantur. Quod ad obiecta attinet, fiducia miſericordiam reſpicit aut promiſsionem

Fiducia miſericordiæ fidem Chriſti ordine conſequitur.

Fides iuſtificans, et fiducia in quo differunt.

Subiectum fidei

Subiectũ fiduciæ,

nem in Christo: fides in Christum ipsum intenditur, qui misericordiam credentibus conciliat.

Cæterum de iis nimis fortasse multa, quæ per se satis expositа non egerent hoc tempore, vlla explicatione, nisi huc me adigerent siniſtræ calumniæ Hosii, Osorii, & similium, quorum bis iniqua mihi ratio videtur. Primum in eo, quòd doctrinam hanc Christianæ fiduciæ, quam in Christo stabilimus, nullo modo ferendam in Ecclesia putant. Quam illi confidentiam ac præsumptionem vocant, qua nihil esse affirmant piorum saluti noxium magis ac pernicioſum. Addit Hosius suum psephisma, vt nulla sibi videatur maior esse apud Deum (vtar ipsius verbis) abominatio, quàm sit hæreticorum hæc tanta præsumptio. Nec desunt hic interim è „ scripturis contorta autoramenta: Quid inquit, „ annon admonet Euãgelica præceptio, vt seruos „ nos omnibus modis inutiles confiteamur, etiam „ quũ fecerimus õnia: Ex quo mox colligit Hosius. „ Quisquis certè secum statuat, se esse in gratia, „ perinde eum facere, ac si contra præceptum do„ mini seruum se vtilem esse pronunciet. ὡ σοφώ„ τατην κράνιον? Quasi verò fiducia & plerophoria hæc, quam astruimus, dignitate aliqua nostra nitatur, non tota ex certitudine diuinæ pendeat promissionis. Accedo ad alteram ipsorum calumniam, nihilo minus absurdam, qua iniquissimè hoc nobis imponunt, quasi vniuersam causã iustifi-

Duplex pontificiorum calumnia.

Hosius in consut. lib. 1. pag. 14.

iustificationis non alio referamus, quám ad solam opinionem certitudinis, ita vt ad consequẽdam peccatorum remissionẽ, nihil aliud necessarium esse doceamus, nisi vt suo quisque animo fide speciali persuadeat, peccata sibi esse remissa. Quod tam falsum est, quám nihil est in Hosianis ferè libris verum. Etsi enim certissimum id fateamur, nihil esse certius nostra per Christum iustificatione, tamen si causa quæratur, quæ nos propriè iustificet á peccatis, respondemus fidẽ esse illam, non qua credimus nos esse iustificatos (vt garrit Hosius) sed qua credimus in Christum filium Dei, qui solus est propitiatio pro peccatis nostris.

Trident. Concil. Sess. 6. Hosius, Osorius. Responsio ad Calumniam.

DE VOCE IVSTIFICATIONIS quid significet in scripturis : vtrum ea constat sola peccatorũ remissione, an secus. Quibus denique modis ac mediis iustificatio cõparatur.

HAbetis igitur (viri Romani) nostram de fide iustificante sententiam, veramque fidei rationem vobis expositam, quæ vis, quod obiectum ipsius existat : Porrò quatenus fides hęc à spe & fiducia distinguitur, intelligitis : in quo denique versatur vera & proxima iustificandi causa, quã si internam quæritis, sola fides est, qua in Christum credimus : si externam materiam, solus Christus est, quem fide amplectimur. Verũ quoniam

niam id nullo modo permittitis, vt sola iustificemur fide, vt vestris in eo vel calumniis occurramus, vel succurramus errori, duo hic mihi aperienda, vobisque aduertenda restare video. Primum, quid voce iustificationis scriptura propriè intelligat. Deinde qui qualesque sunt, qui fide iustificantur. Quod ad iustificationem attinet, negant Tridentini, eam remissione solum peccatorum constare, nisi accedat volũtaria susceptio gratiæ, aliaque nonnulla præcedant, quibus ceu præparamentis disponantur homines, ad capessendam iustificationem.

Iustificari in scripturis quid sit

Trident. Conc. cap. 7. sess. 6.

Hæc aut dispositio præparatoria, quæ sit, quibus surgit gradibus, quo ordine ab his digeritur, si nondum audisti pie lector, operæpretium est, aduertere. Disponuntur siquidem homines ad iustitiam, dum adiuti primum præueniente diuinæ vocationis gratia, sine operum meritis vllis præcedentibus, fidem ex auditu cõcipiunt. Quęnam autem hæc fides sit superius demonstratum est. Est enim iuxta pontificios, firmus assensus de iis, quæ diuinitus reuelata & patefacta sunt: Neque tamẽ per hunc nudum assensum, seu fidem, continuò hominem iustificari contendunt. *Sed alias per diuinam gratiam dispositiones accedere oportet, quibus præparantur homines ad iustificationem, fidem, timorem, spem, dilectionem, pœnitentiã, odium & detestationem peccati, amorem iustitiæ, orationem, & similia, ita, vt exordium quidem iustificationis sit gratuita dei vocatio, vnde fides ex audi-*

Quibus modis ac mediis præparantur homines ad iustificationem.

Trident. Conc. Sess. 6. cap. 6.

auditu concipitur: qua credunt homines vera esse, qua diuinitus reuelata sunt, siue quæ ad gratuitam Dei misericordiam erga peccatores, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: siue qua ad timorem diuinæ iustitiæ attinet. Ex qua demum fide, per considerationem diuini iudicij nascitur timor, quo vtiliter concutiuntur homines, vt peccata deserant, atque detestentur. Deinde ex eadem fide, per considerationem gratuitæ misericordiæ per Christum paratæ peccatoribus pœnitentibus, progignitur fiducia, qua confidant Deum sibi propitium propter Christum fore. Porro ex consideratione hac tanta bonitatis, deum tanquam omnis iustitiæ fontem inuocare, diligere, peccatũ abiicere, vitæ nouitatem meditari, ac mandata seruare incipiunt. Atque ita demum perfecta constat nobis ad iustificationem dispositio, siue præparatio, qua præparare iubemur corda nostra domino. Hanc deinde præparationem iustificatio consequitur, quæ non sit sola peccatorum remissio: sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres, secundum spem, æternæ vitæ. &c.

Tiletanus in Apolo. pa. 250. 251.

Liberum arb. cooperans.

Age, & qua tandem ex parte scripturæ Apostolicæ aut Propheticæ hæc hauserunt? Nulla, at neque vlla opus est. Satis pro Scriptura Tridentinum valet oracullum. Canisius ex doctoribus strenuam molitur huius decreti defen-

sionem. Verum haud quicquam proficit: vt enim fateamur cum Augustino & doctoribus, quod negari non potest, ad solam dei gratiam cuncta nobis accepta referri, tum quæ ad scelerum condonationem, tum quæ ad nouam obedientiam attinent: at quid hoc tandem ad præsens institutum? Agitur enim in præsentia, non quid præstat in nostra renouatione efficax gratiæ diuinæ vis, (sine qua prorsus iacere omnes nostras viriculas merito cõtra Pelagianos contendit Augustinus) sed quid id sit, quod impium omnino iustificet apud deum? quid sit, in quo consistat nostra hæc, quã dico iustificatio, in remissione sola peccatorum, an in virtutum possessione? Denique quid illud sit, quod voce iustificationis propriè in scripturis significetur.

August. contra Iulianum. lib. 6. cap 11.

Quanquam ne hic quidem satis inter se consentiunt aduersarii: in hoc tamẽ vno mirè congruũt, vt D. Paulo aduersentur strenuè. Tridẽtini primum, vt dixi, sententiam ita partiuntur, vt duas iustificationis partes constituant, alterã in remissione, quam fidei tribuunt: alterã in noua obedientia & operibus incremẽti, vt aiũt, meritoriis, quibus fidei iustitia perficitur, autore Tileta-no. Sunt rursus alii, qui quid voce iustificationis significetur, adeó non explicant, vt omnia ad operũ iustitiã referentes, indignam putent iustificationis mentionẽ, quę librorũ monumẽtis audiatur. Quorũ vnus, ac præcipuus Osorius hic noster inter multos existit. Thomas Aquinas de

Iustificatio qua in re consistit iuxta Tridentinos Tiletanus in Apol. pag. 237.

iustifi-

iustificatione, sicut de aliis multis multa agitans, eam descripsisse in hunc modum videtur, secundum rationem videlicet motus, qui fit in homine de contrario in contrarium: ita vt sit transmutatio quædam de statu iniustitiæ, ad statum iustitiæ. Atque hæc cur impii iustificatio vocatur, rationem his verbis exponit. Nempè, quia omnis motus denominatur magis á termino ad quem, quã á termino à quo, ideò transmutatio illa, qua trãsmutatur aliquis à statu iniustitiæ per remissionẽ peccati, ad statum iustitiæ, sortitur nomen à termino ad quem, & vocatur iustificatio impii. Hæc ille. Nec malè quidem istud, modo commodè intelligatur. Vt enim id donemus, quod necessariò fatendum est, nullam esse iustificationem impii sine transmutatione, nec trasmutationem illam sine remissione fieri, porrò nec vllum existere motum, sine duplici termino: at duplex tamen hic adhibenda est animaduersio: primum vbinam collocat ille terminum suum ad quem? hoc est, vbi statum hunc iustitiæ velit statuere? Si in hac vita, falsum est: Si in altera, verissimum. Hic enim progredimur ope diuinę gratię, de virtute in virtutem. Ad terminum verò plenæ iustitiæ non nisi in futura vita perueniemus. Deinde quod ad vocabulum iustitię attinet, rogandus est mihi Thomas, de qua iustitia senti at, si de iustitia humana, siue inhærente qua iustificari nos putat apud Deum: Respondeo, nunquam nos statum illum iustitiæ in hoc seculo assecuturos. Sin illam

Thom. 12. q. 113. artic. 1.

Iustificatio impii quid sit apud Thomam.

Motus physicus in iustificatione

Terminus ad quem.

Sententia Thomæ expendenda.

intelligat, quam prædicat Paulus, quæ Dei sit, nō nostra, nihil aberrat Thomæ assertio à verbis Apostoli, Sic enim ille vt dei, inquit, iustitia efficeremur, per illum. Primum quænam hæc Dei iustitia dicitur, nisi quæ nostra non sit, quam deus in nobis sua imputatione approbat? Deinde cur addit (per illum) nisi vt intelligamus iustificationem hanc non perfunctione aliqua virtutum nostrarum constare, sed Christi solum causa, nobis imputari, vt ipse solus sit iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.

Iustificatio vtrum in sola remissione consistat, an in mutatis qualitatibus.

2. *Cor.* 5.

¶ CONTRA DEFINITIONEM *iustificationis à Thoma positam, arguitur.*

AT quoniam hic incidit nobis de iustificationis definitione cum Thoma disceptatio, ex cuius vberibus suxisse videre recentioris scholæ theologos, quicquid venenosi est in hac controuersia: non alienum fuerit acriore perquisitigatione fraudes huius finitionis veluti vestigiis persequi, iustaque autoritate pernincere, vt in ipso fundamento sophisticas has sutelas, quoad licet iugulemus. Id autē qua vel ratione felicius, vel autoritate accommodatius agam, quàm si D. Hieronymum, D. Thomæ opponam, nihilo opinor, illo inferiorem, ceu durum cuneum, altero duriore cuneo elidens. Quòd igitur Thomas peripateticam hanc iustificationem motu physico dimetiens,

metiens, eam his finibus terminat, vt sit transmutatio à termino iniustitiæ, per remissionem peccati, ad terminum siue statum iustitiæ : sequuti mox Tridentinæ synedriæ theologi, eãdem hãc finitionem arripiunt, sicque exprimunt, vt sit translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum dei, per secundum Adam Iesum Christũ seruatorem nostrum. Quanquam posterior hæc definitio verbis cautior aliquanto videtur, sensu ipso non ita multum abludit. Vna tamen vtrique suffecerit responsio.

Ac primum à Thoma deinde à Tridentinis id peto, quid motoria hac sua translatione velint, de termino ad terminum, de statu in statum, vt doceant. Si hic sit sensus, nos qui mortui prius delictis essemus, condonatis postea sceleribus per Christum, ac redintegrata cum Deo gratia, ex morte & nexu damnationis solutos, fauore donatos, ad vitam receptos, atque in libera conditione nunc positos esse : in eo plane nobiscum faciunt. Sin aliter ita putant, nullam fieri iustificationem, nisi quæ constet mutatione qualitatũ, ut qui prius peccator fuerit, maleficus, fraudator, periurus, adulter, luxu ac crapula dissolutus, mutata nunc vita alius cœpit fieri, ieiunat bis in sabbato, de suo libenter succurrit egentium inopię, omnibus iuuandis expositus, vsque ad decimam bonorum omnium profundendam, sic denique vitam instituens, mutatusque in

nouum hominem, vt iustus sanctusq; appareat, non ea iustitia, quæ vel remissione egeat, vel benignitate iudicis imputetur : sed quæ ex veris virtutibus ex gratia inhærentibus merito approbetur coram Deo, quid quæso vetat hac ratione, quo minus Pharisæus Publicani comparatione iustificatus euadat? Refertæ sunt gentium ethnicarum historiæ multorum exemplis, qui quum ingenio vel educatione corruptissimè essent affecti, redierũt postea ad egregiã correctionem vitæ, morumque habitudinẽ. Et quid obstabit: quin & istos iuxta Thomæ philosophiam inter iustificatos adnumeremus, siqui dẽ iustificatio nihil sit aliud, quã motus quidam de contrario in contrarium, hoc est de statu iniustitiæ ad statum iustitiæ transmutatio?

Sed additur in definitione, per remissionem peccati, age & quid hoc iuuat illorum causam? Nã si non alia sit iustificatio, quàm quæ constet remissione peccatorum, cur negant igitur Tridentini iustificationem sola remissione consistere? Ad hæc, quum in peccatorum remissione semper lateat occulti peccati suspicio, quod veniæ patrocinio indigeat, vbi iam igitur consistet status ille ac terminus iustitiæ inhærentis, quæ aliter se tueri apud iudicem sine misericordia illius & remissione non possit.

Cæterum quid ego pluribus in hac re contendam, quum ex aduerso clarissima stat Hieron. sententia, qui ex professo de his iustitiæ gradibus disse-

differens, vniuersam hanc stationem ac terminũ à Thoma positum fũditus diruit, dissipatq;. Etenim vbi Thomas de motu iustificationis disputans à termino progreditur ad terminum, in quo motus desinat, finemque ac stationem accipiat transmutatio, contra Hieronymus per singulos discurrens gradus, nunquam nos in statione consistere, sed semper in cursu esse in hac vita, semperque imperfectum hic esse docet, quod homines putabamus esse perfectum. Idque Pauli exemplo confirmat: qui præteritorum oblitus, semper ad vlteriora se extendebat, per quæ docet præterita negligenda, & futura cupienda, vt quod hodie perfectum putauit, dum ad meliora semper adnititur, cras imperfectum fuisse conuincat, hæc Hieronym. Quòd si igitur Paulus in perpetuo motu versans, nullum tantæ iustitiæ statum, in quo consisteret, reperire potuit: consequens hinc efficitur, aut nullam esse in hac vita christiani hominis iustificationem, aut non rectis sane terminis a Thoma, & Thomistis Tridentinis esse definitam, vnde iusta in hanc formam struitur connexio.

Hieronym. cont. Pelag. dial. 1.

Phil. cap. 3.

Argumentum.

Ma. Vbi perpetuus est cursus, nulla illic statio est, nec terminus motus.

Mi. Perpetuus est cursus in hac vita ad iustitiam acquirendam.

Con. *Ergo:* Nullus est acquirendæ iustitiæ status in hac vita, ac finis motus, quem ponit Thomas.

Ex his abunde testatum arbitror, quæ sit impii in scripturis iustificatio, & qua potissimum in re consistat, non in transmutatione inhærentium qualitatum, per voluntariam gratiæ susceptionẽ, vt volunt Tridentini, sed in iudiciaria solum absolutione iudicis, qua, qui reus est, immunis dimittitur, donaturq; ei impunitas. Vnde non incõmmodè videatur iustificatio ita à quibusdã definita: vt sit actio dei, qua peccatorem damnatũ à lege, gratuita misericordia, propter Christum absoluit, à peccatis iustificat, iustificatum glorificat. Quanquam neque id interim negatur, permagni quidem referre, quo quisque ordine vitam suã instituat corrigatque in melius. At aliud est tamen de iustitia, aliud de iustificatione dicere. Rursusque aliud est in cõmuni vsu vitæ, aliud in iuditiis versari. Illic laudem habet vitæ in melius commutatio. In iuditiis verò, non quid facturus sis spectari solet, sed quid feceris, nõ quas nouas qualitates melior gratia attulerit, sed quo remedio anteacta flagitia sunt eluenda. Age precor, & quid tum in acerrimo illo summi numinis iuditio dicendum aut expectandum, vbi totius vitę scena ac latrina, é latebris in lucem subit producenda: vbi vitæ impuritas, fraudes, iniuriæ, libidinum turpitudo, auaritia, conscientiæ, concupiscentię fœditas, dictorum, factorum, consiliorum

1. Ioan. 1 2.
Rom. 6.
Rom. 8.

orum, cogitationum nequitia, animi tumentis ambitio, odii, amoris, inuidentiæ, cæterorumque affectuum rationi rebellans pertinacia, mundi cultus, terrena studia, contemptus, ignoratio dei: neglectio officii: Denique vbi tota rerum anteactarum sentina semel ac simul explicanda sit, quid hic dicet, quid afferet miser peccator? quo confugiet? Ad arcanas suas, credo confessiones, ad piaculares pœnitentias ad satisfactiones. Non erit satis. Hęc te peccatorem ac pœnitentem declarare possunt, at iustum nequaquam. Quid ergo, inquies, an non pœnitentibus promisit deus admissorum veniam? Esto, at vbi tunc Tridentina iustificatio quæ negatur sola constare remissione, quum tu in iuditium nihil adferas, nisi confessiones, pœnitentias & lachrymas deprecatorias? Quid enim vlla opus satisfactione aut pœnitentia, vbi nihil admiseris? Sin aliter, vbi tum iustitia tua, quam iactitas? Nempe, inquis, quia accepta semel remissione peccatorum per pœnitentiam, simul cum ipsa remissione, influit sanctificatio, & renouatio interioris hominis, cæteraque dona gratiæ per spiritum sanctum, vnde homo ex iniusto fit iustus, ex inimico amicus. &c. Quid & tu hac confisus iustitia tua, congredi cũ tanti iuditii magnitudine audebis? tuasque virtutes esse putas, quæ vincere in hoc tribunali valebunt, cum iudicantur? Non in iustitia, inquis, mearum virtutum, sed in iis operibus, quæ efficax dei gratia in me operatur: quæ iustitiam non mea

Ex Alphonso & Tridentinis.

Pharisaica iustitia Romani catholicismi.

mea est,sed Dei : non proprii arbitrii,sed agentis in me gratiæ.Age,& quid igitur á pharisæo illo in parabola euangelica,tua hæc distabit iustitia ? Cuius si vitam inspectes, honestam satis vides & inculpatam.Si gratiam respicias, nihilo minùs & hanc ipsemet agnoscere,eique cunctas suas tribuere virtutes videtur. Alioqui quur tam supplex ille,tamq; accuratè gratias ageret Deo, quòd non esset cæteris consimilis mortalibus, nisi ex dono ipsius atq; beneficio acceptũ quicquid haberet bonorum operum,existimasset ? Id enim satis ipsius indicat precatio,in qua nõ tã in benefactis suis gloriari videtur, quã in accepta dei gratia,cui hæc omnia trãscribit, quæ fecerat. Quãobrẽ si verũ sit,quod isti definiũt Romanocatholici,verã iustificationẽ, non alia in re positã esse nisi in operibus iustitię,gratia dei factis,quid obstat igitur,quo minus catholicus hic pharisæus,iuxta catholicam istorum sententiam, iustificatus domũ dimitteretur . Quod quum secus habeat,restat proindé alia nobis perquirenda iustificationis ratio,quàm in operibus iustitiæ,quæ nobis per dei gratiam insita inhæreat.

Opera non legis, sed gratiæ.

Sed pugnãt hic mordicus pro catholica sua iustitia tanquam pro castris,Romanæ legiones. Primum ex physica ratione demonstrant naturæ repugnare,vt ex aliena iustitia quisquã nomẽ aut essentiam accipiat : Tum multo minùs consentaneũ esse,vt deus qui summa sit iustitiæ perfectio,& sempiterna veritas,aut velit, aut possit homines

Nemo iustus nisi ex inhærente iustitia,iuxta Romanam theologiam.

homines impuros, scelere & flagitiis contaminatos, iustos pronunciare, qui verè iusti non sint. His vt respondeam, duo imprimis occurrunt consideranda: alterum quod ad causam iustificationis, alterum quod ad vocabuli explicationem attinet. Quorum in vtroque egregiè hallucinantur aduersarii. Primum in eo, quod de iustificationis causa agitantes, eam non alia in re statuere videtur proximè ac immediatè: quã in sua cuiusq; iustitia, nõ quę aliundé accepta imputetur, sed quã suã quisq; propriã possidet, hoc nimirũ nixi fundamẽto, quòd quũ vnaqueq; res nomẽ, essẽtiãq; accipiat à forma, nõ nisi inhærẽte, hinc colligũt minime iustos quidẽ cẽsendos esse, nisi eos dũtaxat, quos vita propria, nõ aliena iustos efficiat. Quod si de formali tãtũ iustitia intelligant, nõ iudiciali, nihil habet absurdi, nec incõmodè illis concedi poterit. Sed quid tum porrò? quid hoc adeó ad rem? Neq; enim de eo hic agitur, quid ipsi formaliter in nobis simus aut non simus: sed quid iudicialiter de nobis statuat iudicis sẽtentia. Non de iustitia habituali, sed de iustificatione Euangelica contendimus. Aliud est enim de iustitia, aliud de iustificatione disceptare.

Duplex error Papistarum.

Iustitia formalis.

Iustitia iudicialis

Sed hæc duo inter se nimis imperitè confundunt logici isti theologi, ita iustificationem definientes, quasi nihil sit aliud iustificare, quàm iustum efficere: aut si qua sit differentia, ea in hunc habet modum, vt fides in Christo nostra nullo modo causa sit iustitiæ perfectæ, sed iniuti-

Iustificare apud papistas nihil aliud, quam iustum efficere.

initium tantum perficiendæ: neque ideo iustos coram deo nos consistere, quòd remissa sint nobis peccata, deoque reconciliemur propter christum. Quanquam neque id quidem negant, in hac ipsa remissione, aut reconciliatione, qua impius primum iustificatur coram deo per fidem & meritum Christi, partem aliquam contineri humanę iustificationis, quæ necessariò etiam requiratur: Cæterum non esse id satis, quód remittuntur peccata, quódque cum Deo reconciliamur, (quæ pars prior sit iustificationis) nisi & altera accedat pars, quæ priorem illam absoluat. Quæ cuiusmodi sit, ex ipsorum verbis hic videas. Cum primum, inquiunt, homo incipit detestari peccatum, tanquam deo offensiuum, iamq; ex impio fit iustus & reconciliatus, vno eodemque simul tempore, atque eodem instanti, deus infundit suam gratiam, nullam temporis moram expectando; quæ vbi accesserit gratia, ibi demũ accepta interiore renouatione per spiritum sanctum, accipimus iustitiam, verèq; iusti efficimur coram Deo. Atque hæc demum altera illa pars existit iustificationis, quam dixi, sine qua nulla verè perficitur iustitia: eò quòd certissimum est, deum neminem iustificare, aut iustũ pronunciare, nisi quem dono spiritus sui, per interiorem renouationem iustum facit, iustitia induit, exornat, & imbuit. &c.

Iustificationis duæ partes, quarum prior in remissione sita est: altera in operibus fidei.

Alphonsus in Thesauro, Christ. relig. pag. 456.

Altera pars Tridentinæ iustificationis.

Responsio.

His quid multa respondeam? Si de potestate diuinæ benignitatis sentiant: assentior, nihil esse, quod

quod non possit summi numinis illius immensitas. Cæterum non est istud quæstionis nostræ, quid valeat, sed quid velit cœlestis gratia. Neque consequens ratio est, quia possit omnipotens Dei gratia nos iustos efficere, ideo iustos nos efficit. Aut igitur doce, quenquam ea pollere iustitia, quæ misericordia dei non semper egeat, aut confitere id, quod res est, cum Augustino & aliis, in sola peccatorum remissione, per misericordiã Dei omnem acquiescere iustificationis nostræ fiduciam.

Aug. de perfect. iust. Neg. enim peccatum est, quicquid non imputatur in peccatum. Ibid. Quisquis dicit post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem iustè vixisse in hac carne, aut vivere: vel nullum habere peccatum, contradicit Apostolo Ioan. dicenti: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. Non enim ait, habuimus, sed habemus.

CONTRA TRIDENTINOS, *qui negant sola nos Dei misericordia, aut remissione iustificari.*

AT aliter Tridentino Senatui visum est statuere. Sic enim volunt illi iustificationem non sola dei ignoscentia, sed virtutum commẽdatione parari, verum audiant rursus isti, quid ex aduerso ipsis respondeat Augustinus: qui contra Tridentina placita, ad solam dei misericordiam, atque imputationem cuncta reuocat, in hæc scribens verba: Omnia, inquit, mandata dei facta deputantur, quando quod non fit, ignoscitur. Per-

Perbreuis sententia, si verborum numero æstimetur. Si vim ipsã rectè reputemus, quis nõ videat aduersarias omnes substructiones, quibus illi suã inhærẽtiã tanto conatu stabiliũt, fũditus hac Augustini responsione, cõcidere? Quod quo cõpertius eluceſcat, primò assertionẽ ipsã concilii, qua omnis ipsorum niti videtur defensio, in iustã argumẽti formã, ex arte, & vsu disserẽtium (quod ab ipsis potius factum oportuit) colligamus: Deinde quid ex doctorum interpretum autoritate sit respondendum, videamus.

Argument. Trident. concilii.

Argument. pro inhærente iustitia.

Ma. Quicunque seruant omnia mãdata dei, inhærentem & propriã habent iustitiam.

Mi. Quicunq; seruant omnia mandata dei, pro iustis habentur apud deum.

Con. *Ergo:* habentes propriam & inhærẽtem iustitiam, coram Deo iustificantur.

Respons.

Huius Argumenti sumus facile euanescet, adhibita Augustini distinctione. Respõdemus itaque ad Minorẽ, ex autoritate doctoris. Duplex enim mãdata obseruãdi ratio est. Altera quãdo fit, quic quid á Deo iubetur. Hacq; ratione solus dei filius iustus exiſtit. De quo solo dicitur: In capite libri scriptum est de me, vt facerẽ volũtatẽ tuã deus. &c. Altera, quando quod non fit, ignoscitur. Atq; hac quidẽ secũda ratione, iusti nos sumus, hoc est, pro iustis deputamur, non meritorum ratione aliqua: sed eorum, quæ perperam gesta sũt sola

Duplex obseruandi mandata ratio.

Psal. 39.

sola condonatione. Vnde inuerso in aduersarios argumẽto ἀμφίσυλλογίζεσθαι in hũc licebit modũ. Argumenti retorsio.

Ma. Obseruatio omnium mãdatorũ dei hominibus veram iustitiam conciliat.

Mi. Obseruatio omnium mandatorum fit per remissionem & deputationẽ, quãdo quod non fit, ignoscitur.

Con. Ergo: Per remissionẽ & imputationẽ solida nobis conciliatur iustificatio.

Minor legitimo Augustini testimonio nititur, li. Retract. ca. 19. Sed excipiũt hic iterũ Tridẽt. heroes: verũ id quidẽ esse, hoc sẽsu, quatenus de prima iustificatione, nõ secũda intelligatur. Eiusmodi etenim vsitato schemate τῷ σοφίσματι λόγῳ eludere solẽt clarissimas scripturæ cóciones, de gratuita nostra per christũ iustificatione: vt quũ Pau. de fide gratis sine operibus iustificãte disserit, id illi sic interpretãtur, de prima iustificatione dictũ, quæ sola remissione cõstet, & recõciliatione per fidẽ. Sed prẽter hanc alterã esse iustificationem, quæ per interiorẽ renouationẽ, ex inhærẽte gignitur iustitia, cui multo potiores, veræ iustificationis partes adscribunt. Cæterum hic iterum succurrit Augustinus, apertissima voce hoc nugamenti refellens. Qui de hac ipsa secunda istorum iniusta iustificatione scribens: Ipsa, inquit, iustitia nostra, quamuis vera sit, propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tãta est, in hac vita, vt potius remissione peccatorum

Augus. lib. retractat. cap. 19.

con-

conſtet,quàm perfectione virtutum. Quid quod idem alibi Auguſtinus vitam renatorum quamtumlibet laudabilem execrationi adiudicat,ſi remota miſericordia ſit iudicanda. Quid ergo ? ſine miſericordia dei,omnem vitæ humanæ iuſtitiam execratur Auguſtinus : & non execrandi ſunt Tridentini,qui eos execrari non dubitant, ſi qui cum Auguſtino affirment in ſola Dei miſericordia propter Chriſtum remittentis nobis peccata vniuerſum incumbere iuſtificationis noſtræ ſolatium ?

Oecumenius in cap.3.ad Roma.

Apponamus huc, ne parum muniti teſtibus videamur, Oecumenii calculum , qui in verba Pauli,cap. ad Rom.3.commentans: quare omnes,inquit, poſtquam in Chriſtum crediderunt, gratis iuſtificantur ὁ πιςεύαν μόνον συνεισαγομένης .i.ſolam adducentes fidem, ſimulque ſubinnuens,quidnam id ſit,in quo omnis ſalutis noſtræ ſtatuitur fiducia , remiſſionem ſolam peccatorum ſubinfert,iis verbis,abluti a peccatis noſtris per Ieſum Chriſtum.&c. Ac rurſus hoc ipſũ confirmãs, rogansque quo modo peragitur hæc iuſtificatio,ipſemet reſpondet , per remiſſionem

Oecumenus ibid.

peccatorum, inquiens,quam habemus in Chriſto Ieſu . Et mox idem apertius adhuc demonſtrans in quo potiſſimum conſiſtat iuſtitia,ſeu iuſtificans Dei gratia,in hoc, inquit, vt qui homines mortuũ ſint,peccatis iuſtificentur in peccatorum remiſſione . En tibi iuſtitiæ demonſtratio, quòd non ſolum ipſe Deus iuſtus ſit , verum etiam

am iustificet, per fidem Iesu, populum suum. Ex quo duo sunt, quæ maxime constare videas. Primum omnem iustificandi vim in fide sola, hoc maximé autore, positam esse: vbi ait, τὸ πιστεύειν μόνον συμεισάγοντες. Deinde quod contra Tridentinos vniuersam hanc acceptam nobis à deo iustificationem, in remissione peccatorum consistere doceat. Quid enim hac oratione explicatius? Omnis iustificatio, quæ nobis á Deo exoritur, aut in dimissione iniquitatum, aut in iisdem obtegendis, vel non imputandis constituitur. &c. Oecumen. ibid.

Atque hæc hactenus ex Oecumenio, Cui si assentiendum sit, quæ fides igitur tribuenda Catholicis istis Tridentinis, qui negant se sola peccatorum dimissione iustificari? Quod quàm ab omni ratione abhorreat, non est quòd multis cõtra eos contendam argumentis, quum nulla re magis, quàm propriis ipsorum factis, mendacii sint coarguendi. Quis enim in vitas intuetur istorum pontificum, Cardinalium, Episcoporũ, monachorum, qui non facilè deprehendat ex iis, quę quotidie in oculos incurrunt, nihil esse, quo vel egeant magis, vel quod expetãt impensius, quã propitiam dei clementiam in remittẽdis iis quæ perpetrarunt? Apparet hoc quum multis nominibus, tum luculentissimè id testantur & publica & assidua eorum vota, suffragia & precationes. In templis, in liturgiis, in missarum solenniis, in sacrificiis, in Antiphonis, quid aliud clamitant,

quid à deo exambiunt, niſi vt delictis parcatur ipſorum, parẽtum & benefactorũ. Alioqui quid volũt verba illa quotidie in miſſarũ procœmiis repetita: *Indulgentiam abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorũ tribuat nobis omnipotẽs & miſericors dominus, &c.* Quid volũt tot in cœlo aduocati, patroni, ſuffragatores ad obtinẽdam á deo miſericordiã? Deniq; quorſũ attinẽt voces illæ, quibus deo quotidie confitentur, beatæ Mariæ, & ónibus ſanctis. Rurſus quũ diuos & diuas tũ potiſſimũ beatã Mariã dies noctesq; ſine modo & fine, clamoribus huiuſmodi fatigãt. *Tuo pio interuentu culpas noſtras ablue. O ſanctiſſima virgo, mater gratia, indignus ſum gratia, & omnibus miſerationibus minor. Peccatis obſtãtibus meis, à te, ſanctiſſima, exaudiri non mereor. Noli, O immaculata, à me tam miſera peccatore faciem tuã abſcondere. Noli, ſtella maris, aberrare me à via, ſed ſplendoris tui directione erue me à peccatorum caligine. Noli, Regina miſericordiæ, in me miſero peccatore, antiquæ tua miſericordiæ nomen amittere. Saluã ſaluatrix. Redime me Redemptrix. Peccata mea me grauant. Mundus inuoluit. Peccata habeo: merita neſcio. O benigniſſima, peccata mea dele, à mundo me abſtrahe, &c.*

Ex miſſali Romano.

Quæſo, viri boni, quid volũt mõſtra hęc religionis? Si vera ſunt, quæ preces oſtendũt, quo modo non doctrina veſtra falſa? Quo ferrumine, aut glutino hæc inter ſe cohærebũt, tam diſſoluta, vt qui ſe peccatores aſſidua peccatorũ deploratione

ne fateãtur, iidẽ simul formaliter iusti perfectiq; homines, per interiorẽ renouationẽ corã deo sibi videãtur? miserationibus diuæ virginis minores se dicãt: atq; interim minor sit misericordia dei, quã vt sola iustificet? vt merita nesciãt, nec aliud tamẽ ad perficiẽdã iustificationẽ, quã merita ingerãt? Quænã hæc quæso τῶν θεολόγων ἐμπαθολογία? aut quis nã eis credendũ putet, qui in tẽplis refellũt, quod in scholis disputãt? Ita enĩ precãtur, quasi vacui omnis sint iustitiæ: in cõciliis ita rẽ gerunt, ac si nihil ipsis inhæreat iniustitiæ, nec quicquã desit ad iustitiæ perfectionẽ. Hęc quũ ita habeãt, quid restat iis igitur dicendũ hominibus, nisi vt cũ Hier. id dicamus: aut defẽdãt isti, quod negãt, aut relinquãt, quod defẽdere nequeũt. Misericordia domini, quòd nõ sumus consũpti, clamat propheta. Et isti sperant se non misericordia sola incolumes, sed operum δικαιοπραξίαι iustos fore apud dominum? Esaias tantus propheta, siue Euãgelista potius, conscientia peccatorum labia sua fatebatur immunda. Idẽq; alibi: Omnes, sicut oues, inquit, errauimus. Ingemiscit in oratione Daniel peccauimus, iniquè egimus, iniustè gessimus, & recessimus á mãdatis tuis, &c Ac ne quis causetur, à Prophetis ista, nõ suo nomine, qui sãcti essẽt, sed vulgi persona significari, mox ipse de se cõfessus propheta subiicit: Cũ adhuc orarẽ, inquit, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei, &c. Abraham & Sara, quamuis fidei nomine collaudati, tamen in

Esai.5.53.

Dan.9.

Abraham, Sara, Genes. cap.17.

risu arguuntur,& ipsa cogitatio, quasi pars infidelitatis reprehenditur,nec latebat tacita eorum cogitatio scientiam Dei, etiamsi ex eo quòd riserc, diffidentiæ non condemnantur. Moses, quo nullus Deo familiarior, post acceptam tantam vim gratiæ, ad aquas tamen contradictionis offendit, nec meruit cum fratre Aarone terram intrare repromissionis. Petrus Apostolus, in quo tanta enituerũt gratiæ acceptæ charismata, mergitur tamẽ,& audire meruit: Modicę fidei, quare dubitasti? Si modica in illo fides, in quo magna sit, nescio: nisi forte in successoribus istis Petri, & patribus Tridentinis. Paulus ipse, quamuis in tertium subuectus cœlum, tamen ad philippenses scribens, nondum assequutum se, quod ambiebat, palam profitetur, sed oblitus eorum, quæ à tergo relicta essent, toto nisu ad ea, quæ restabãt à fronte, ferebatur. Et quod Paulus summa contentione cõsequi nequibat, an quisquam in hoc seculo se posse confidat?

Moses Aaron. Psal.143.

Petrus. Mat.15.

Paulus. Phil.3.

Sed quid plura persequar? Erubescat, inquit, ille, luna,& confundetur sol, quando visitauerit dominus super militiam cœli in excelsis, & alio loco: Astra quoque non sunt munda in conspectu eius,& aduersus angelos suos peruersũ quid reperit. Luna erubescit, sol confunditur, cœlum operitur cilicio: & Tridentini inhærente sua iustitia freti, quasi omni carentes uitio, occurrere tanti iudicis maiestati non formidabunt?

Esai.24.

FINIS.

ADVERSARIORUM FRIVOLA OBIECTIO FUSIUS EXCUTITUR & REFUTATUR.

SEd quid istis dicendũ ἀμυποτακτιςαὶ φρενοπλῆξις, qui quum in ea versantur causa, quã tueri nequeunt, tot obruti scripturæ testimoniis & exemplis: ea tamen est pertinacia, vt victi cedere veritati non velint. Quid ergo adferam? Ex vno omnes intellige. Iudocus Tiletanus concilii Tridentini interpres, aduersus Chemnitium velitans, hoc emblemate σοφισμὸς λύγος causam sat defensam putat: quòd quum sacræ dei literę partes omnes humanæ iustificationis ad solam remissionis gratiam referunt, id ille sic interpretatur, ex autoritate concilii: Vt in prima quidem iustificatione, siue quoad initium iustificationis, verum esse fateatur. Impius enim, cum primum fide iustificatur, nulla, aiunt, opera præcedunt, aut operum merita, sed gratuito dei fauore, propter fidem ac meritum filii mediatoris, in gratiam recipitur, venia donatur, hæres efficitur. Rectè: quid ergo, an non satis istud, obsecro, vobis videtur, viri boni, ad stabilem & perennem hominis felicitatem? Minime gentium, nisi insuper talis accedat vita in adultis, quæ legem iustitiæ, (quã nemini non facilẽ esse & possibilem affirmant) digna obseruatione præstet. Id quia humani arbitrii imbecillitas nulla ratione adsequi possit:

Iudoc. Tiletanus in defensione Trid. concil. aduersus Kemnitium part. 1.

opus proinde erit præsidiaria dei gratia, quæ vno eodemque momento, vt habet Alphonsus, simul infusa vsque adeò hominem totum renouat spiritu mentis suæ, tantaque eum charitate perfundit, vt nihil sit in lege mandatorum tam difficile, quod non prompta obedientia consequatur. Vnde efficitur, vt iustus, non nomine tantum, aut adscriptitia imputatione dicatur: sed ipsa etiam re, atque vt loquuntur, realiter iustus existat, vitamque mereatur æternam.

Alphons. in Thesauro.

Habetis breui cõpendio, integram catholicæ theologiæ de iustitiæ perfectione, sententiam. Quæ quã absurda sit, & in conciuna, etsi nemo sit, qui non videat: tamen quo illustrius emineat, non inconsultum videbitur, in breuẽ argumenti formulã redigere, quæ de operũ iustitia disputãt aduersarii. Sic autẽ, opinor, eorum concluditur connexio. Argument. Trid.

Ma. Quicunq; vniuersa dei mãdata factis exprimunt, verè iusti existunt, non imputatione aliena, sed vera virtute, vitamque merentur æternam.

Mi. Renati in Christo, per gratiam renouationis, fide & merito Christi impetratam, omnia dei mandata factis exprimunt.

Con. Ergo: Renati in Christo, per gratiam iusti non solum reputãtur, sed vere etiã efficiuntur, vitamque merentur æternam.

In

In hoc vno ſyllogiſmo, ceu breui tabula, ſiquis propius aduertat, vniuerſa perſtringitur papiſticæ doctrinæ labes, & hallucinatio, cui nec difficilis occurrit reſponſio. Ac primum quod in Maiore aſſumunt, haud inuitus id illis conceſſero, Cum enim præſcripta diuinæ legis ſõtes vniuerſæ iuſtitiæ ſuo complexu cõtineant: tũ ſiquis extiterit, cuius vita ad ſtrictiſſimos legis huius gnomones excuſſa, nulla parte diſſiliat, merito illi non titulum modo iuſtitiæ, ſed præmia etiam, quæ viro iuſto debentur, contribuẽda duxerim.

Pergamus ad reliquas argumenti partes. Subſequitur deinde Minor. At renati in chriſto, quos fides ſemel iuſtificauit, percepta ilico diuina gratia, tanta cumulantur charitate, quæ nihil prætereat eorum, quæ ad ſummam legis obedientiam deſiderantur. Age, & renati iſti vbi tandem ſunt, aut quinã ſũt, ſcire pervelim. Nã hos ipſos nõ eſſe qui hæc diſſerunt, plus nimio cõpertũ eſt. Notior eorũ vita eſt, quã vt opus ſit prõlixis argumentis. De iuſtitia, de gratia, de charitate tam multa ac præclara iactitant, quorum præclaras virtutes, vitæque rationem ſi cum profeſſione componas, quid diſſonantius? quid á iuſtitia alienius? vbi in moribus vnquam pax, gratia minus viguit, magisq; efferbuit iniquitas? Quibus vnquã temporibus adeo refrixit charitas, ſi non omnium, certe plurimorum? De vulgi moribus non dico. In eos querela hæc potiſſimum recidit, qui hierarchicã cathedrã, ſedeſq; occupãt eccleſiaſticas

Atque vtinam non tam vera hæc esset querela, quàm in plerisque cernimus. Atqui defendent isti se fortasis exemplo phariſæorum: qui quum sederent in cathedra Mosis, non facientes quæ docebant, at vera tamen docuisse feruntur. Ac mihi quidem saris placeret exempli collatio: si non deteriores istos, illis tum phariſeis iudicarē. Illorum siquidem etsi vita damnatur, at eiusmodi tamen erat doctrinæ ratio, quæ diuinis institutis minimè aduersabatur. Secus res habet in istis, quorum vita quum longe abest ab ea operum iustitia, quam docent: tum ea docent de iustitia hac, aliisque rebus permultis, quæ nullo scripturæ fundamento nituntur.

Quid ergō? inquies, an sponsam suam, sponsus nunc Christus destituit? Aut gratia adeo illius contracta est, quæ non velit, aut non possit suis succurrere? Quid de charitate? quæ quum teste Apostolo, legis sit plenitudo, nihil ea præstabit in cordibus eorum, in quibus diffunditur per spiritum sanctum ad implendam dei legē? Audio, ac respondeo, Christus ecclesiā suam non deserit nec deseret. At neque rursus ita adest ille perpetuo ecclesiæ suæ, vt nihil in ea relinquatur imperfectæ fragilitatis. Neq; verò spōsa ita toto suo perfruitur spōso, qui incidat interdū, vt cogatur & ipsa clamare cū spōsa in cantico amatorio: Quæsiui quē diligit anima mea, quæsiui illum, & non iuueni. Inuenerūt me custodes ciuitatis. &c.

Cant. cant. cap. 3.

Gratia.

Charitas.

Porrò quod ad charitatem, & habituale donum

num gratiæ attinet,de quo Thomas tantopere philosophatur,neque nos, vt supra auditum est, quicquam ei detrahimus. Sed habet gratia hęc suos gradus,habet charitas suas mensuras, & fines,quibus continetur.Neque enim in hoc datur charitas,vt quenquam operando iustificet, neque tanta vis diuinæ gratiæ cuiquam in hac carne affluit,quæ apices omnes Christianæ iustitiæ compleat.Quanquam neque interim dubiũ est, quin diuina pietas multis magnisque ornamentis ecclesiam suam illustrat, at nunquam tamen adeò eam in hoc seculo perficit, vt non semper misericordia dei, peccatorumque indigeat remissione.Seruat quidem ille sanctos suos, ditat, ac nobilitat,vt ne pereant vnquam,at non ita, vt peccent nunquam. Hanc vnam gratiæ plenitudinem,singulari voluntatis suæ prærogatiua filio suo indulsit pater,vt de eius plenitudine hauriant vniuersi.Non enim huic ad mensuram dat deus spiritum.Cæteris non item,sed vnicuique iuxta mensuram regulæ,qua partitus est nobis deus, ne in immensum gloriemur,neque nimium nosmet extẽdamus supra eam gratiam,quæ data est cuique,iuxta mensuram donationis Christi.Nemo igitur,quod ad se non attinet,id sibi arroget. Quod ad nos verò attinet,illud est.Ex parte, inquit ille,cognoscimus,ex parte prophetamus, & nunc per speculum videmus in ænigmate. Cum autem venerit,quod perfectum est, id quod ex parte fuerat,abolebitur.Contenti igitur mediocrita-

Charitas in hoc data, vt nos renouet,non vt iustificet.

2.*Cor*.10.

Ephes.4.

1.*Cor*.13.

Ecclesia dei nunquam in hoc seculo tam perfecta quin semper misericordia egeat.

critate nostra, quoniã perfectis esse nõ licet, perfectionẽ illius plenitudinis, quæ omni peccato careat, ei cui soli debetur, relinquamus: neque affectemus stulta seductionis persuasione, id videri, quod nec esse possumus, nec quisquam ante nos maiorum vnquã fuit. Repetamus tempora & mores hominum, vitas etiã inspiciamus patriarcharum, ducum, regum, Prophetarum, ac summorum heroum. Quos à gratia dei alienos nemo dixerit: & tamen eorũ omniũ haud vnus est, in quo Hieronymus non aliquid deprehendit, quod reprehendat, ad Cteſiphontem scribens, nec ipsos etiam Apostolos, & euangelistas præteriens. Denique vniuersum superioris testamenti populum, eorumque res gestas perlustremus. Quid, quum data his lex esset per Mosen, an omnes eos seiunctos à diuina gratia prorsus fuisse arbitramur? Etsi nondum Messias venerat, at fides messiæ, vocatio, & electio dei eis non defuit: in quibus permulta insuper enituerunt diuinæ gratiæ argumenta. Qui & ipsi egregiè omni virtutum genere exculti nihilo minus tum sibi videbantur, quàm nostri hodie catholici. Et tamen quid de iis diuina refert sententia? Moses, inquit, dedit vobis legem, & nemo vestrum omnium legem factis exprimit?

Ioan. 7.

At dicet aliquis, nondum affulserat his temporibus tanta cœlestis gratiæ vis & amplitudo, quantã Messias postea aduenies aduexerit. Audio,

dio, quid igitur, & ea nunc gratia adiuti homines isti putant se posse, quod illi non potuerunt, piè rectèque viuendo ea consequi, quæcunque ad iustitiam, obedientiamque perfectæ legis cõferuntur? Age, & quid si, quemadmodum phariſæis tunc à Christo obiectum est: Nõne Moses dedit vobis legem, &c? itidem & vobis obiiciat nunc aliquis, todidem verbis? Nonne Paulus seruus Iesu Christi, tuba Euangelica, doctor gentium, vas diuinæ electionis, scribens ad Timotheum atq; Titum, legem vobis præscripsit Episcopis, præsbyteris, & Diaconis, breui sermone demõstrans, quemadmodũ in Eccleſia Dei vos gerere, qualesque esse eos qui præsint in domo domini oporteat? Et tamen quotusquisque vestrum ita munus suum administrat, vt nihil de catologo virtutum harum omnium in eo desideretur? In quo tamen perfungendo munere, si vel mediocriter ea præstet, quæ sunt præcipua, episcopi boni non caret vocabulo. Nec aliter in implendis legis diuinæ mandatis, & iustitiæ perfunctione res habet. Omnia namq; habere, vt author est Hieron. & nullo indigere, virtutis eius

1. Tim. 3. Oportet Episcopũ irreprehẽsibilẽ esse, vnius vxoris virũ, vigilantẽ, sobriũ, modestũ, hospitalẽ, aptũ ad docẽdũ, nõ vinolẽtũ, non percussorem, nõ turpiter lucri cupidum, sed mansuetum, non querulum aut pugnacem, sine auaritia, domum suam bene regentem, filios habentem subditos cum omni pudicitia: non nouitium, non inflatum, bonum habentem testimonium ab extraneis.

eius est, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Quod si ergo in vna episcopi persona, vel pauca officia, nunquam aut perquã rarò inuenies, quid de iis dicendum, quę à domino ipso præscripta in euangelio, ex æquo ad omnes pertinent, veluti vbi de mutua præcipit charitate, de condonandis fratribus de tollenda sua cuique cruce, quod qui recusat, non agnoscit Christus discipulum: de fide in deum coniecta, quam nulla attingat hæsitatio: de mansuetudine & cordis humilitate, ad infantulorum vsque simplicitatem deiecta: de castimonia, quæ nec minimam oculorum concupiscentiam admittat: de beneficentia in omnes: de perfecta erga aduersarios etiam pacientia, de summa denique vitæ puritate, quæ nullum sciat pecuniæ studium, cui repositus omnis sit thesaurus in cœlis, quę nulla ambitione, aut inani titilletur gloria, sed ad vnius Christi gloriam se suaque omnia referat.

Hieron, ad Ctesiphont, dial. 1.

Quid plura persequar, quæ nec facile sit cuiquam dicendo consequi, tum multo difficilius viuendo quisquam exprimat. Tanta est diuinæ iustitiæ seueritas, quæ nec leuiter incitatam animi iracundiam, nec leuissimum in fratrem conuitiolum, ac ne ociosum quidem dicterium impunè ferat. Sit sermo noster, inquit, est, est, non non. Quod autem amplius est, ex malo est. In quem locum commentantem audiamus Hieronymum: Quis nostrum, inquit, potest huic vitio non

Hieron. ad Ctesiphont. dial. 2.

non ſubiacere, cum etiã pro ocioſo verbo reddituri ſumus rationem in die iuditii. Si ira & ſermonis iniuria, atque interdum iocus ocioſè effuſus iuditio, cõcilio, & gehẽnæ ignibus delegatur, quid merebitur turpium rerum appetitio, & auaritia, quæ radix eſt malorum omnium. &c. hæc ille.

Quid illud porrò, quòd tollenti tunicam, pallium etiam concedere: verberanti maxillam, alteram opponere, petenti dare, & volentem abs te accipere mutuum, non auerſari, diligere inimicos noſtros, benefacere iis, qui oderunt nos, & orare pro perſequentibus iubemur & calumniantibus. Hæc omnia qui præſtet, fortaſſe in catholicorum familia inuenietur, certè Hieronymus apud ſuos, quod ait, auem iuuenire tam raram non potuit. Quòd ſi ſacro præcepto, quotquot Chriſti ſumus, orare pro perſequentibus iubemur: quid tunc illis fiet, qui tanta perſequendi rabie efferuntur in innoxios Chriſti ſeruos, tot tantaſque cædes, tumultus, incendia, funera, tantas tragœdias, peſtes, vbique in plebe domini excitant? quorum furore & intemperie implacabili, tantum hactenus effuſum ſit Chriſtiani ſanguinis. Atque interim poſt hæc omnia, qui duces & faces ſunt tantæ immanitatis, de perfectione iuſtitiæ, de gratia, dè charitate, quæ plenitudo ſit legis, in conciliis verba facere non dubitant?

Præcepta iuſtitiæ euangelicæ.

Sed ad rem redeamus. Pergit vlterius cœleſtis

Mat.9. stis noster nomothetes, ita suos instituens ad perfectum huius mundi contemptum, vt manū, oculum, & pedem scandalizantem excindere nos iubeat. Esto, per tropologiam dictum sit, pro iis, quæ in hac vita charissima nobis sunt, & coniunctissima, facilè ne arbitramur (vt verbis dicam Hieronymi) ob quasdam offensiones tantam subitó auellere charitatem? Præcipit idem dominus alicubi: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ possides, & veni & sequere me. Hoc etsi vni dictum, mihi tamen videtur nihilo minus vniuersos ex æquo Christianos admonere, de coercenda affectuum cupiditate, quorum nemo debeat non eo esse animo, ut cuncta libenter pro derelictis habeat, quæ ad verum iustitiæ profectum quocūque modo præpediant.

Hieronymus.

Mat.19.

Videtis ex his Tridentini patres, quid exigat à vobis christianæ iustitiæ disciplina. Ad hanc igitur trutinam vos librate, vitamque ad has perfectionis regulas componite, qui pro inhærente iustitia, pro operibus incrementi meritoriis tumultuamini tā acriter, nec sola vultis remissione iustificari. Abiiciat ergo sūmus pōtifex has superbæ sublimitatis ampullas, bullas, titulos, honores, regalia & plusquā regalia ista sācti Petri, quæ cū spiritu euāgelicę renouationis nullo modo quadrāt. Cardinales, si viri sūt ecclesiastici, exuāt pōpā hāc magnificētiæ, quā præter modū suę vocationis occupāt: Sin seculares sint, moderatius

Pontifices.

Cardinales.

us saltem in seculo se gerant. Episcopi, archiflamines, Symmystæ, Abbates, Mitrati præsules, si Apostolorũ successores nõ pharisæorum haberi volunt, desinant sua adeò dilatare phylacteria, simulque diminutis terrenis istis copiis, & abdicato mũdi strepitu, quo nimium insolescũt, discant ad apostolicã τὴν αὐταρκείαν se cõtrahere, quo pariter cum Apostolis verè diteſcant in Christo. Non agnoscit Christus pro seruis, qui duobus inseruiunt dominis. Itaque monachi, & religiosorum ordines, si Christiani esse volunt, desinant esse Franciscani, dominicani, &c. Si Christum profitentur dominum, eius ergo nomine censeantur, cuius se addixerunt professioni, relictis idolis & regulis istis eteroclitis. Non patitur Christus in Euangelio discipulos de honoris celsitudine inter se musitantes. Et quid aliud aliquiammultis his annis, egit, quid captauit sancta mater hæc Romana ecclesia, quám vt susceptа cum cæteris ecclesiis contentione de primatu, ipsa imperio suo cæteras quasque subiiceret ecclesias. Aut quid etiamnum aliud hodiè agitur per omnes illi confœderatas vrbes, nationes, populos: aut quorsum denique tendit tanta hæc in toto orbe Christiano cædes, & persecutio, nisi vt Romanæ matris suæ dignitatem sartam tectãq; omnibus modis stabiliant. Hæc quàm conueniant charitati aut perfectioni euangelicæ disciplinæ, ipsi videant.

Episcopi. Præsules eccleſiæ

Monachorum ordines & regulæ.

Contentio de primatu in eccleſiis.

Age & quorsũ hæc tãdẽ tam multa. Vt ostendam

dam, cum omnia dixerint Tridentini, vniuersam proram, quod aiunt, & puppim, initium, simul & incrementum, salutis nostræ & iustificationis nō in meritis, & opusculis nostris promercalibus, non morum integritate, vitęque sanctimonia, sed in propitio numinis fauore consistere: non quo deus interiorem solum hominem renouat, sed quo totum hominem, exteriorem simul & interiorem hominem miserè irretitum mortis constrictione eximit, maledictione absoluit, satanæ imperio ac iure damnationis emancipat, condonatis peccatorum omnium nexibus ac quotidianis offensis, quibus æternum exitium dignissimè promerebamur.

Quæ quum ita sint, quid supereſt, nisi aut vitam igitur Tridentini ostendant tam laudabilem, quæ discussa ponderibus iustitiæ, nulla egeat venia peccatorum: aut, si id nequeant, posito pharisaicæ superbiæ supercilio, ne pudeat cum peccatoribus agnoscere, omnem iustificationis suæ beatitudinem non alia re niti, quàm sola propitii numinis clementia, quæ nobiscum pro suo iure non agat, nec imputet nobis malefacta, quum possit. Id quod ex Psalmo Prophetico beatissimus nos docet Apostolus, vbi veram hominis beatitudinem explicans: Beati inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum. Quid igitur, si ad beatitudinem satis erit condonari nobis iniquitates, ad iustificatio-

Psal. 31.

cationem non erit satis? At quid aliud iustificatio est nostra, quàm beatitudo? testante Oecumenio: μακαριςμὸς ἐςὶν ἡ κορυφὴ τῶν ἀγαθῶν Quod si sit, quid aliud isti ad absoluendam iustificationem postulabunt? Nempé supernaturalem, vt vocant, gratiæ infusionem, qua expurgati ab omni peccati labe, non tantum habeamur Deo grati, sed re etiam ipsa simus immaculati, ac diuinæ naturæ consortes. Qua de re argutantem audiamus Lorichium Ingolstadiēsem. Cuius argumenti vis in hanc summam recidit.

Beatitudo apex bonorum omnium.

Lorichius cap. 8. de remissione peccatorum.

Argument.

Ma. Spiritus Dei habitat in renatis.

Mi. Spiritus dei non habitat, vbi vllum est peccatum.

Con. *Ergo*: In renatis nullum hæret peccatum.

Respons.

Huius argumenti fucum haud quisquam expeditius D. ipso Paulo discutiet. Qui de sese conquerens, miseriamque deplorans, non potuit vt volebat, vim prorsus peccati è carne, cui inuitus obstringebatur, eradere: Nec ideo tamen quisquam eum diuini numinis gratia destitutum dixerit. Cæterum rationem nunc argumenti propius expendamus, quæ maximè valere videtur ex priuatiuè oppositis. Sunt enim primatiuè opposita, Peccatum & Gratia. Quæ in eodem simul subiecto confluere nequeunt. Vndè hæc consequitur argumenti ratio.

V. Argu-

Argument.

Ma. Nulla est coniunctio peccati, cum dei gratia.

Mi. Renati consistunt in diuina gratia.

Con. Ergo: In Renatis nullū manet peccatum.

Duplex peccati genus.

Duplex hic primū adhibenda est distinctio. Peccati videl. & peccatoris. Vt enim peccatū aliud est regnans, aliud non regnans: ita & peccantium non vna ratio est. Etsi enim vterque peccat, pius, & impius: at non vna eademque tamē ratione. Aliter peccat is, qui ruens contra conscientiam in omne scelus, sciens ac volens perseverat in peccato, sine pœnitentia, De quo rectè dicitur Ioan. 3. Omnis qui facit iniustitiā ex deo nō est. Aliter ille, qui victus infirmitate magis, quàm obsecundans genio carnis suæ, etsi in malum aliquando, quod noluit, prolabitur: ac mente nihilominus seruit legi Dei, nitetque ad honesta in mediis vitiis, reclamat ac refragatur. Cum hac itaque distinctione respondeo ad maiorē. Quā in iis veram esse non diffiteor, qui iuxta carnem viuentes in omni turpitudine, sine modo & pudore volutantur. De quibus diserte Paulus: Si iuxta carnē, inquit, vixeritis, moriemini. At neq; rursus eiusdē exemplo negandum est, quin rectè simul consistere queat in renatis spiritus dei sanctus, cum morbo infirmitatis. Sæpeq; hoc modo cōiungit Apostolus in renatis, veterē simul, & nouum hominē: legem mēbrorum, & legem mētis: Carnem luctantem contra spiritum, & spiritum aduer-

Peccatum regnās

1. Ioan. 3.

Peccatum non regnans.

Rom. 8.

aduersus carnem: veluti quum de sese loquens testatur: Itaque idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne verò legi peccati.

Atque vt hic morbus infirmitatis nunquã ocioſus in ſanctis, ſæpe eos in grauia tetraque flagitia abripit, eòq; adigit nonnunquã, vt deſerti á Deo ſenſũ omnẽ fidei ac conſolationis amiſiſſe ad tẽpus cũ impiis videantur: At clementiſſimus pater nunquã eos ita deſtituit pietate ſua, quos vera fide filio ſemel inſitos nouit, quin manũ ſupponat cũ cadunt, ne collidantur, rurſuſq; dextra velut porrecta lapſos erigens retrahit à peccatis. Etſi grauiter iraſcens meritò illorum ſceleribus commoueatur, tamen in ira miſericordię ſuæ recordatus non abiicit eos in æternum. Cõſtat hoc ſpectatiſſimis exemplis Dauidis, Petri, Manaſſis, Salomonis, Aaronis, Miriam, Euæ, Adami, & aliorum. Hocque diſcrimine pii ab impiis diſcernuntur, quòd licèt vtrique incidunt in lapſus nonnunquã atroces contra conſcientiam, hac tamen diſſimilitudine diſſident, quòd impii cæco impetu ſua cumulantes peccata, eiſque obſectati, non ad tempus tantũ, ſed totos ſe per omnẽ vitã tanquã mancipia nequitiæ addicunt, nec vllũ veræ ad deũ conuerſionis ſtudium præ ſe ferunt. Contra piis ac renatis accidit, qui etſi ſecuré aliquãdiu peccent, in quibus regnans etiam peccatum dominari ad præſens videtur, attamen ſingulari tandem Dei gratia agnitis ſuis lapſibus ad pœnitentiam redeunt.

Peccant quandoque etiam ſancti.

Finaliter peccantes.

Sancti etſi ruunt nonnunquam, in peccato non permanent.

Itaque ad maiorem respondeo cum hac, vt dictum est, restrictione: nisi accedat remissio per conuersionem, sine qua nullum habet locum in peccatoribus diuina gratia. Quæ quamuis ad tempus amissa videri possit in lapsibus sanctorum, at nihilominus qui renati sunt, non ilico é sinu gratiæ pelluntur, quatenus finaliter videlicet non abiiciuntur. Alioqui si quæuis peccandi infirmitas omnem prorsus Dei gratiam excuteret, quo modo Paulo laboranti Christi suffecerat gratia? aut qua ratione virtus eius in infirmitate perfici in scripturis dicitur? Deinde qui consistat illud, quod refert Apostolus, vbi exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia, si nulla sit diuinæ gratiæ, nisi cum perfectus solum hominibus, coniunctio?

2. Cor. 12.

Sed occinitur hic iterum illud mihi ex Ioanne: Omnis qui ex Deo natus est, peccare non potest, &c. Age & quid hinc concluditur? Ergo qui verè in Christo renatus est, prorsus immunis videtur ab omni peccati labe. Redit iterum eadem fallacia à dicto secundum quid, ad simpliciter; Si vox peccandi, simpliciter hoc loco idem, quod quocunque modo delinquere, significat, hoc sensu falsum est, quod perperam ex Ioanne assumunt. Sin autem vox ad eos solum restringitur, qui vltro se dedunt flagitiis, siue ex obstinata malicia ac studio peccandi licentiam arripiunt, retinentque propositum perseuerandi in flagitiis, fateor in iis verum esse quod ex Apostolo adferunt: Ex deo

1. Ioan. 3.

Fallacia a dicto secundum quid ad simpliciter.

deo non esse, qui hoc modo peccant, quod tamẽ in renatos, qui dei sunt, affirmari nulla ratione possit. Tenendum itaque discrimen est, non rerũ modò, quæ committuntur, sed eorum multo magis, qui committunt. Hæret enim in vtrisque idẽ vitiatæ naturæ morbus & insita peccandi propensitas, quam renati tamen reluctando supprimũt, resistentes quantũ licet vitiosis affectibus. Quanquam non ita integrè perfectèque, vt non prolabantur volentes etiam nonnunquam, in noxas grauiores. In quibus non perseuerant tamen, sed tandem redeunt ad deum per resipiscentiã. Detur id igitur, quod neque negari potest, neque excusari debet, pios quidem, & impios communi infirmitatis lege obnoxios esse peccatis, at differunt tamen insigniter, studio & perseuerantia. Hancque differentiam nec ignorauit, nec tacuit Salomon. Prouer. 24. Iustus etsi septies cadit, resurgit tamen. Impii autem in malum corruunt. *Prouer. 24.*

Quin neque id fortè denegabunt Tridentini theologi, piis & renatis tribuendam aliquam insitæ naturæ infirmitatem, qua peccare possint, si velint: at velle tamen peccare negant, quippe qui per voluntariam gratiæ susceptionem, ea imbuantur charitatis atque innocentiæ puritate, vt nulla iniustitiæ nota sordidati, puri atque illibati non solum habeantur ex imputatione aut remissione peccatorum: sed ex vera virtutum perfunctione iusti atque inculpati reipsa existant. *Trident. Concil. Sess. 6. Can. 4. cap. 7.*

ge,& vbi iustos istos reperient, qui immunes se ab omni peccati reprehẽsione profiteri audeãt? Atque vt de reliquis nihil dicam Apostolis, de Ioanne ipso,quem citant, interrogare id liceat, an hunc ipsum in catalogo iustorum ascribendum sentiant,in quibus nulla hæreat peccati labecula, an aliter? At ipsum de se confitentem Apostolum audiamus: Si dixerimus,quòd peccatum non habemus,ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quid? & quod tantus Christi discipulus tam eximiè dilectus, vita tam inculpatus vẽdicare sibi nec voluit,nec sine mẽdacio potuit,Tridentini seductores sibi arrogare sunt ausi,putantque id se effecturos, vt mundus tam aperta ipsorum mendacia, fucos, imposturas,seductiones,tam impudentem fallendi ac mentiendi vanitatem non facilè deprehendat ac meritó detestetur?

1.*Ioan.*1.

Apostoli nec ipsi immunes ob omni peccato.

Quæ expectas grauiora testimonia,pie lector? quod affirmant Tridentini,negat Apostolus. Si verũ isti astruant,veritas mentitur Canonica.Sin nefas istud fuerit suspicari, mendaces Tridentinos nũ dubitare possumus? Quid verbis opus? vno dicã.Scripturæ totius sensus simul & naturæ consensus,publica temporũ experientia, iuditia doctorum,veterũ testimonia patrũ, Exẽpla sanctorũ omnia,bonorũ omniũ voces,tacita maleficorũ cõscientia,assidua ecclesię deprecatio,querelæ ac lachrymæ, carnis aduersaria rebellio,cogitationũ peruersitas,errorũ seductio,animorum laboran-

laborantiũ gemitus, vitæ instabilis perturbatio, mors deniq; ipsa cũctis statuta hominibus, adde his assiduas(si placet)pœnificiorũ cõfessiones, cõfitẽtiũq; identidem repetitas absolutiones, hæc inquã,tot tãtaq; argumẽta quid volũt, quid clamitãt aliud,nisi iustitiã huiusce vitæ aut nullã,aut talẽ omninò existere,qualem describit Augustinus, quæ peccatorũ magis remissione cõstet,quã perfectione virtutum. Atq; ne quis perfectionẽ sibi vllam in hac carne polliceatur,quid idẽ subinferat Augustinus in Ioannem scribens, auscultare ne pigeat: Non regnet peccatum,inquit,in mortali corpore vestro.Non ait,non sit, sed non regnet. Quandiu enim viuis, necesse est peccatum esse in membris tuis. Saltem illi regnum auferatur,non fiat,quod iubet, &c. Rursusque ad Macedonium scribens:Quis est nostrum sine peccato? Et mox hoc ipsum ingeminans. Quis autem est in hac vita, sine aliquo peccato? Sed eum dicimus bonum,cuius prævalent bona, eumque optimum,qui peccat minimum. Idcirco ipse dominus,quos dicit bonos, propter participationẽ gratiæ diuinæ,eosdẽ etiam malos dicit,propter vitia infirmitatis humanæ, donec totum,quo cõstamus,ab omni vitiositate sanatum trãseat in eam vitã,vbi nihil omnino peccabitur, &c.Hæc ille. Age,& vbi igitur realis illa, quam vocant,virtutum infusio, vbi nouarum mutatio qualitatum & insidens iustitia, quæ nulla egeat peccatorum remissione? Nam quid illic opus

Augus. de ciuitate dei,li.19.c.27

Augus in Ioan. tract.41.

Aug.Epist.54.ad Macedonium.

remissione, vbi quod dimittatur, nihil resideat? Aut quid illic residere poterit criminosum, vbi intima, vt aiunt, corporis & animi ab omni labe peccati expurgatio, sanctos nos & diuinæ consortes naturæ efficiat? Breuiter vt rem in pauca conferam, ne longiùs diffluat oratio, ex his quæ pluribus disceptata sunt, satis modò constare arbitror. Primum, quæ veræ fidei ratio sit quæ effectrix sit iustitiæ, quod proprium eius obiectum, vnde vim iustificandi accipiat: quam quidem vniuersam non nisi ex obiecto proficisci, hoc est, ex persona solum illius, in quē creditur, ex scripturis vtcunque expediuimus. Iam vero quia personam ipsam fides sola amplectitur, eò fit vt fides sola ratione sui obiecti, non nostrarum virtutū perfunctione, peccatores & impios iustificet.

Andrad. lib. 6. Lorichius, cap 8.

Eorum quæ præcesserunt breuis summula.

QVI PER CHRISTVM PECcatores iustificantur.

AT subit interim aliud hic nobis necessariò quærendum: Nempè de peccatoribus ipsis, in quos cadat hæc iustificatio quinam hi sunt, vt disquiramus. In quo discrimen necessariò tenendum censeo. Quemadmodum enim non quæuis fides, aut credendi actio iustificationem conciliat, præter solam hanc, quæ Mediatorem respicit: ita neque eadem hęc fides omnium est, neque omnes promiscuè peccatores complectitur. Etsi ōnes sumus homines natura peccatores, pro-

prolabimurq; in multis vniuersi, minime tamen peccatores sũt omnes vniusmodi. Qui nullo peccatorũ sẽsu, nulla cõsciẽtia afficiuntur, nec turpitudine pudefiũt, sed præcipites & effrenati ruũt in omne dedecus, hi quamuis Christum eiusque fidem ore obtendunt, in pectore certè non gerũt, nec fructum hinc vllum percipiunt. De quo hominum genere, concionatur Christi vox in Euãgelio: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, sed qui facit volũtatẽ patris mei. &c. Ad eundem modum de his similibusque tota agit Iacobi Epistola, quos fide hac fictitia & hypocritica iustificari prorsus negat. Contrà verò qui seria ducti pœnitudine errata deplorant, totoque animo sibi displicentes sese recolligunt, atque ad Christum tota fide conuertuntur, hi demum peccatores soli sunt, quos sola fides sine operibus, iuxta Pauli clarissimam sententiam iustificat. Hacque ratione haud difficile fuerit vtrumque Apostolum, alterum alteri Paulum videlicet Iacobo conciliare. Vt enim Iacobus seruus Iesu Christi negare nullo modo possit, quin fides in humilem ac pœnitentem incidens protinus eum sine operibus, atque ante omnia bona opera gratis iustificat, ita nec Paulus Apostolus Iesu Christi è diuerso eam fidẽ vnquam probabit, quæ per charitatem nihil operatur, nec vnquam admittet deploratos istos, vitæque profligatæ scelerosos, vt vllum habeant cum Christo consortium.

Iacob. 3.

Fides sola iustificat peccatores, sed quos.

Iacobus seruus Iesu Christi & Paulus Apostolus Iesu Christi conciliati.

Quæ quum ita sint, quid habet hic Hosius, Osorius

sorius, Andradius cum reliqua pontificiorum fece, in quo assertionem hanc de fide iustificante improbent? Aut quem suæ eterodoxiæ autorem nobis idoneũ depromẽt? Quòd si verò iustificare à peccatis nihil sit aliud, quã à peccatis absoluere quemadmodum ex Apostolo demonstrauimus: An quisquam quæso, est, qui nos absoluat, nisi solus Christus? at quomodo absoluet ille ni suscipiatur? aut qua denique ratione, quonã instrumento, quibus manibus suscipiendus is est, nisi sola fide? Et quid id igitur habet absurdi, si sola nos fide iustificari profiteamur?

RESPONSIO AD EOS QVI *praedicationem fidei perniciosam esse dicunt corrumpendis moribus.*

ATenim pernicioſam esse doctrinam, inimicam piis studiis bonisq; moribus clamitãt, quippe quę homines, vt aiunt, natura imbecilles, & ad malũ pronos, ad licẽtius peccandũ inuitet. Idemq; confirmãs Canisius: vbicunq;, inquit, de sola fide iustificãte sic docetur, vulgo fit, vt absq; timore & pudore vllo peccetur: stultiq; homines ad summã vitæ licentiam idcirco sibi promittant impunitatem, quòd fide Christum teneãt & apprehendant. Porrò neq; mirãdum, inquit Vega. Quid enim vereatur, quid formidet, imò quid nõ despiciat & pro nihilo habeat, cui semel persuasũ fuerit, fidem sibi solam ad iustitiam sufficere,

Hosi. in confutat. pa. 140.

Canis. in præfatione in Andr. vegam.

Andr. Vega de iustificat. in epist. præfatoria.

re, nec inrercluſum eſſe vlli quantumuis magno ſceleri, aut temeritati regni cœlorũ ingreſſum? Addit huc ſuũ calculũ Oſor. *Si fides*, ait, *ſola ſufficit, ſique omnis actio, quam ſuſcipimus inutilis ſit, & maculata, conſequens eſt, vt omnes qui cõmentitiã hanc fidem complectuntur, operũ ſtudium penitus omittant.* &c. Idemque alibi: *Nunquam igitur hoc modo hortabere meretricem vt repellat libidinem, nunquã furem admonebis, vt refrenet cupiditatem: Nunquã deniq; facinoroſum hominem à ſcelere reuocabis, ſed vt hanc ſolam nudam & inanem fidẽ, omni charitatis ſtudio ſpoliatam amplexetur, has enim ſola ſe fore deo chariſſimum. Quo quid dici poteſt abſurdius?* Hoc vt tibi fatear, Oſori, abſurdius nihil dici poſſe, quàm vt meretrices, latrones, aut graſſatores furioſos, qui ruptis pudicitiæ repagulis præcipites ſe effundunt in omnem impuritatem, ſola fide gratos deo exiſtimemus: Age vt hoc, inquam, tibi concedamus, quid tum verò poſtea? Ergo fides, inquis, ſola non iuſtificat. O acumen mitra Romana dignum. Verum eſt, tales quidem minimè iuſtificari fide, quales nobis depingit tua hypotipoſis. At qualis, quæſo, hæc eſt connexio? Permulti ſunt, qui gratuita iuſtificationis prædicatione efferuntur, ad maiorem peccandi licentiam. Ergo, falſum eſt, quod de fide iuſtificante docetur? Quaſi verò ex hominum vſu aut abuſu, rerum pendeat veritas aut falſitas. Quid obſecro, tam rectum, vnquam fuit aut ſalutiferum, vndè im-

Oſor. de. inſt. l. 7.

Oſor. ibid. lib. 2.

Reſponſio ad obiecta.

Negatur conſequentia.

improbi perperam abutendo, vel sibi vel aliis perniciem non contrahant. Atqui hoc modo ne Sol quidem ipse splendeat, quòd non desunt qui salutari eius luce ad pessimè res gerendas abutantur. Nec crescant in hortis herbæ salubres quòd ex his pessimum exugat venenum impura aranea. Cesset & sanare medicus, quód nonnulli reperiantur, qui recuperata sanitate, ea interdum commuttant, vt multò præstiterat, morbo laborantes decubuisse. Quid quod, diebus sabbati, ac dominicis, quám multa per ocium peccari videmus á multis? Quid ergo, an quia Sabbati otium à labore nonnullos ad luxum & crapulam prouocat, ac licentiæ campum iis aperiat, qui rebus bonis rectè vti nō norint, dominicam propterea institutionem reiiciemus? Non arbitror. Cedant humana diuinis oportet, nec quid prauis quorūdam moribus fieri solet, sed quid deus fieri præcipit, sequendum est. Mandat Christus prædicari Euangelium omni creaturæ: vos an prohibebitis, etiamsi complures Euangelio abutantur? At quodnam hoc Christi Euangelium est quod prædicari iubet? Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Audis salutem credentibus simpliciter ascriptam, nec alia re cōstare nisi fide, & fidei sacramento. Tu negabis? Christo nè ergo credemus, an tibi? Ita visum est illi cœlum effusissimæ suæ gratiæ miseris peccatoribus patefacere. Et quod aperuit ille, tua nobis occludet inuidia? nec ipse ingrediens, nec alios ferens

Abusus rerum bonarum tollendus, res ipsæ maneant

Mar. 16.

vt

vt ingrediantur. Clamat idem apud prophetam: Gratis venundati est, gratis redimemini. At quid illud est gratis, nisi sine vllis omnino operũ meritis: tuis, inquam, omnino meritis, nullo tamẽ modo sine alienis? Quid igitur? si aliena opera naturam tuam ad mortem pessundedit, non aliena æquè opera te ad vitam reuocabit? Applaudit apud eundem prophetam, spiritus propheticus vestigiis eorum super montes, qui pacem euangelisant, qui bonum annunciãt: Tuque intercluso lætissimo hoc cursu Euangelicæ prædicationis, Doricum seu bœoticum nescio quod illud tuum melos, veteremque cantionem nobis ingeres, lugubris mœstitiæ ac dubitationis insipidæ? *Esai.* 52.

Quidni, inquies? *præstabilius ouino ita fuerit homines versari in medio. Quis enim de pœnitentiæ fructibus, quis de gratiæ profectu solicitus futurus est, si de sua quisque iustificatione, Deique gratia certus existat? Ideoque domini & patres gratiam suam erga filios & seruos dissimulant, quo sic de gratia sua incertos, in officio melius contineant. Nec aliter & Deum facere erga suas creaturas existimandum est. &c.* Hæc Hosius. Hosius confut. lib 3. pag. 140. Contra certitudinem Christianæ salutis.

Age, & vbi pax illa igitur, & gaudium in spiritu sancto, si dei gratiam nemini certam constare oporteat? vbi pedes illi in montibus discurrentium, lætaque pacis bona nunciantium, si fidei iustitiam euulgare non liceat? Minime, inquiunt,

vt

Obiectio. Sola fides.

vt ne prædicetur fides, sed ne sola prædicetur. Id solum est quod quærimus, ob eam videlicet quã diximus, causam, quòd audita hac doctrinæ formula, strages ac ruina omnis honestæ disciplinæ necessariò consequitur.

Respon.

Huic vt respondeam calumniæ, quanquam iam ante satis responsum sit, duo mihi spectanda video, quorum alterum ad prædicandi formulam, alterum quòd ad doctrinæ veritatem attinet. Ac de prædicatione primum, falsissimum est quod obiectitant. Etsi enim sola sit in iustificando fides, nunquam tamen ita solam hanc fidem vulgò prædicamus, quin vehementes ad omnia præclara studia stimulos monitaque acerrima, nec monita solum, sed minas etiam atroces, quin & pœnas & excommunicationes ecclesiasticas, sicubi res postulat, coercendis flagitiis adhibeamus.

In ecclesiasticis concionibus assiduæ adhibentur ad pia opera exhortationes.

Testes sunt in ecclesiis nostris assiduæ concliones, in quibus ad pia opera exhortamur pro viribus, in meretrices in adulteros, auaros, grassatores, maleficos ex carnone scripturæ detonamus, vt sciant nullum iis locum fore, qui huiusmodi sint, in regno dei & Christi, nisi in melius se corrigant. Quis in attollenda fidei iustitia Paulo ardentior? Quis eodem vita integrior, vel spiritu concitatior in flagitia eorum, qui secundum carnem ambulant, non secundum spiritum? legantur literæ nostrorum hominum, &

literarum

literarum monumẽta, in quibus nihilominus de pœnitentia, de bonis operibus, quãde fide disserunt, sẽper alterã doctrinæ partẽ cum altera coniungentes. Quod igitur ad docendi rationẽ attinet, nũquam apud nostros fidem reperies solam in templis ac libris nostrorum. Sin de causa agatur salutis & iustificationis apud Deum, nihil est sanæ doctrinæ congruentius, quàm quòd fide sola sine operibus iustificatur impius peccator apud dominum.

At arripit hinc vulgus, inquis, peccandi occasionem. Si de omnibus intelligas, falsum est. Si de maleficis, qui ruentes contra conscientiam, nullum adhibent conatum ad coercendas cupiditates: at istos fide sola iustificari, quis vnquam aut dixit aut docuit? Et tamen nihilominus firmissima interim constat huius assertionis veritas, qua, fide absque operibus sola impium iustificari affirmamus, si modò sanus accedat intellectus, scopusque sententiæ probè inspiciatur. Quod facile fiet, si adiecto, quod vicem prædicati suppleat, integra reddatur propositio, hoc est, vt quum fides sola iustificare affirmetur, enunciationis huius subiecto proprium suum addatur prædicatum, seu vt verius dicam si iustificationis propriũ addatur subiectum recteq; intelligatur, quinam hi sint, quos fides hæc absque operibus sola iuxta Paulum, sanat ac iustificat. In eo siquidem potissimum vertitur huius controuersiæ ambiguitas.

Responsio ad Hosium, et Osorium.

Fides iustificat sola, sed non quos suis peccatores.

Nec

nec aliud, in quo magis errant ac falluntur aduersarii, pulchrè nimis eorũ referentes exempla atq; vestigia, de quibus conqueritur non immerito Cyprianus: Superiora, inquit, dũtaxat ponũt, & quæ proximè insequuntur prætereunt. Quod de exclusiua sola afferimus, id solum arripiunt, putantque iniuriam fieri bonorum operum fructibus, si fides sola ad salutem sufficiat: personas interim eorum, quos fides hæc sola respiciat, nõ attendentes interim, in quos propriè hæc cadat iustificatio. Quòd si iuxta subiectam materiam iubent scholæ rerum propositarum rationes æstimare, quur non idem in Euangelica hac assertione præstant præclari isti calumniatores? Affirmat Christus, Confirmat Paulus, testatur communis vitæ praxis, naturæ sensus, rerum experientia, clamat conscientia bonorum omnium, exitium ex solis vitæ nostræ operibus, salutem non nisi ex Christo solo proficisci: Quoniamque Christum solum hunc mediatorem sola amplectimur fide, hinc fidem esse solam astruimus, quæ credentes peccatores iustificet apud Deum. Sed quosnam iustificet peccatores videamus. præfractos, impœnitentes? Minimè. Pœnitentes ergo, conuersos, metu ac timore Dei subactos & humiliatos? at in istis nullum metuitur periculum in pristinis flagitiorum sordibus persistendi, sed maior quædam additur alacritas vitam in melius corrigendi. Plena sunt tempora omnia exemplis eorum, quibus vt plurimum confert ad

ne-

ceſſariam conſolationem : ita nihil detrahit ad veræ pietatis cultum gratuita fidei iuſtificatio. Quòd ſi enim charitas, vt ipſi teſtantur aduerſarii, perfectio ſit legis , qua cuncta reguntur humanæ vitæ officia, rogatum ab iſtis velim, vtrum plus diligat vel Deum, vel proximum, cui plus, an cui minus dimittitur peccatorum? E duobus illis in Euangelica hiſtoria, vter propenſiore affectu Chriſtum complectebatur Simon phariſæus, an Maria, quæ nihil attulit bonorum operum, peccatorum plus ſatis? Et quur impenſius illa Dominum dilexerat? niſi quia plus remittebatur illi debitorum? Pergamus, & quur ei tot tantaque condonabantur , niſi propter fidem, quæ dirigebat dilectionem? Nõ enim ideo quia diligebat credidit in Chriſtum, ſed quia cognouerat filium eſſe dei, maiore vi fidei accẽſa, ideo dilexit multum. Ex fide ſiquidem naſcitur dilectio, nõn ex dilectione fides. Quia credimus, ideo diligimus non quia amamus, idcirco credimus. Vnde dominus fidem magis illius, quã dilectionem reſpiciens, fides, inquit, tua, non tua ait, dilectio te ſaluam fecit.

Dilectio Magdalenæ.

Ex fide naſcitur dilectio, non ex dilectione fides.

DILECTIO ET PÆNITENTIA quid agant in iuſtificatione.

QVid ergo, inquies, an fides hic ſola? an non cum dilectione & pœnitentia pariter coniunctam cernimus? in perſona equidem credentis

tis coniunctam non inficior. In causa verò sanan di sola auditur fides. Reliqua vt fructus effectusque causas suas consequuntur. Quemadmodum enim mulier illa, nisi credidisset in mediatorem fide cognitum, nunquam eum dilexisset: ita nisi adegisset eam conscię mentis ægritudo, nunquā ad medicum accessisset. Quamobrem si rectè de causis ratiocinari volumus, fidem ista tanquam effectus fructusque sequuntur, in causa verò salutis obtinendæ, locum nullum obtinent.

Charitas nulla causa iustificandi.

Diximus de Magdalena, spectemus nunc Pharisęum, personam cum persona conferamus. Quod si iustificationem mulier peccatrix ex dilectione (vt aiunt) promeruit, quid pharisæo dicemus? an non dilexit & ipse dominum? An eum tam comiter adiisset, inuitasset tam amanter? in ædes tam humaniter suscepisset prandioque refecisset tam honestè, nisi aliquo in eum amoris sensu inductus? De fide quid dicam? Quid enim an non credidit ex verbi diuini institutione in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? An non Christum ipsum tanquam prophetæ loco susceptum suspiciebat? Qui credidit igitur in Patrem, qui charitatis affectu complexus est filium, quid illi iam ad iustificationem deesse potuit? si modo charitate omnis nostra absolutur iustificatio? Et tamen nemo est, opinor, qui Pharisæum hunc à Christo iustificatum, hoc

hoc est, omni crimine solutum & expiatum hac sua dilectione dixerit. Quid ita? Quia nimirum fides in Christum seruatorem defuit. Age, & quid si adfuisset fides, fretusque ille ac tumidus opinione suæ iustitiæ opem nullam efflagitasset, nec venia egere se vlla arbitraretur, an fides hæc ad iustificationem ei profuisset? Non equidem arbitror. Rectè, inquis, Ergo, fides sola hoc argumento non iustificat. Respondeo, simulque peto ab aduersariis, vt posito paululum contendēdi studio, rem ipsam recta ratione cum scripturis conferant.

Etsi haud dubium id quidem est, quin fides in Christo summo dei filio, ex clarissimis Pauli verbis & sanctorum exemplis, sola absque operibus vim habeat iustificandi, at minimè tamen vim hanc suam in omnes explicat, præterquam in eos, quos idoneos solum inuenit suscipiendæ diuinæ gratiæ.

DE PÆNITENTIA EORVM QVI FIDE IVSTIFICANTVR.

INueniuntur autem idonei nulli magis, quàm qui maximè sibi ipsis indigni videntur, nulli minus, quàm qui dignissimè de sese sentiunt. Peccatores quum omnes natura sumus, nihil conuenit magis, quàm vt agnita scelerum nostrorum impuritate, superbas ceruices sub

potenti Dei iuditio ſubmittamus. Nec aliud eſt, quod magis requirit Deus. Cuius ea natura eſt, vel miſericordia potius, vt nulla re delectetur lubentius, quàm ſpiritu contrito & humiliato, quẽ-admodum in Pſalmo myſtico canitur: Humiles ſpiritu ſaluabit. Et alibi apud prophetam ipſe teſtatur Dominus, ſublimis habitans æternitatem, & in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilem, vt viuificet cor contritorum. Eaque cauſa clamat ipſe in Euangelio, huiuſmodi ad ſe maximè inuitans, qui laborant & onerati ſunt, vt veniant ac reficiantur. At quid eſt venire ad Chriſtum, niſi credere? quid refici, niſi iuſtificari? Quanquam vocat quidem illo omnes, nec quenquam aſpernatur ad ſe venientem: at ita plærumque res habet, vt nulli rectè ad Chriſtum veniant, niſi qui graui aliquo ſenſu, & dolore ſuæ miſeriæ ingemiſcant. Rurſuſque nec aliis ferè mittitur cœleſtis ille medicus, teſtante propheta, qui peculiari deſcriptione eos deſignãs, quibus mittendus ſit Chriſtus, manſuetos prodúcit, contritos corde, captiuos, clauſos, lugentes in Sion, ambulantes in tenebris, ſedentes in vmbra mortis, &c. Vnde nec multum abludit Pſalm. 107. Diuinæ miſericordiæ genuinam indolem deſcribens in hæc verba: Animam, inquit, famelicam ſaturauit bonis, habitãtes in tenebris & in vmbra mortis, vinctos afflictione & ferro. Quanquã miſſus ille quidem à Patre donatur vniuerſis, at minimè tamen

Pſal. 34.

Eſai. 57.

Andr Vega. de iuſtif. pag. 833. aduentus ad chriſtum eſt credere in eum.

Eſai. 16. & 9

Eſai. 9.

Pſal. 107.

tamen ab vniuersis pari affectu suscipitur. Causam nec ipse dissimulat Dominus: Quid enim sanis cum Medico? Quemadmodum igitur medicinæ consultus non exprimit artem suam, nisi vbi postulat ægritudo, ita nec rectè fides emundat, nisi quos emendat pœnitentia, nec sanat propriè Euangelium, nisi quos prius occidit lex, vulnerauit conscientia. Atque in his quidem vt verissimum est, quod ex Paulo prædicamus, fide sine operibus sola eos iustificari: ita perinde rursus falsum est, quòd mentiuntur aduersarii, hac fidei doctrina fieri, vt nulla vsquam sequatur piorum operum cura aut cogitatio, sed improba atque effusa ad omnem vitæ licentiam effrenatio. Quod tamen si de illo genere impœnitentium sentiunt, qui manent in proposito peccandi, minimè id inficiamur, nec fide illos iustificari, nec quicquam illud propterea causæ nostræ officere. Sin verò, de altero genere eorum, qui recipiscendi studium adferentes ad fidem Euangelicam, necessaria egeant consolatione, eos si negent ipsi sola Christi fide iustificari, grauissimos Euangelii hostes se produnt, christique aduersarios. Rursusque si fidei hac doctrina deteriores eosdem fieri asserunt, in eo improbissimè errant ac mentiuntur.

Ioan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est vt emundet nos, ab omni iniquitate.

Quapropter vt os aliquando obstruatur malitiæ ac calumniæ, iterum atque iterum admonitos bonos istos theologos velim, qui Paulinam hanc institutionem damnant pro hæretica, pro-

positionem nostram, non mutilam sed integrã accipiant, coniungantque cum subiecto, legitimum propositionis prædicatum, vt quum fides sola iustificare dicatur, minimè id satis sit, nisi quos eadem iustificet fides, rectè intelligant, videlicet non omnes nec eos, qui in proposito peccandi nefariè persistant, sed qui agnita impietate, ac pertæsi prioris vitæ ad Christum per fidem seriò confugiant.

Fides sola iustificat impium, at non nisi pœnitentia aliqua prius humiliatum.

Cæterum arripitur ilico altera hic ansa calũniandi. Nempè, si fides iustificet non nisi pœnitentem, videtur ergo non sola iustificare, sed cõcepta simul cum fide salubris animi mœstitia, ac scelerum deploratio.

Respondeo, rectè quidem coniungi fidem cũ pœnitentia, in eo qui á peccatis iustificatur. In causa tamen iustificandi nulla est coniunctio. Quemadmodum in his, qui ex morbo dolent & affliguntur, magna quidem præbetur causa ex dolore, expetendæ sanitatis, at sanandi nulla vis in eo est posita. Ita in fide iustificante, si de materia ipsa subiecta quæras, in quam cadat iustificatio, rectè vtraque commeat fides simul cum peccatoris conuersione. Sin de causa iustificandi agitur, præparat quidem pœnitentia materiã ad susciendam iustificationem, at causa quidem ipsa iustificandi omnis in fide, nullo modo in pœnitentia statuitur. Non enim quia dolet is, qui iustitiam violauit, ideò absoluit eum iustitia iudicis: sed quia credit in Christum, qui iustitiæ satis-

satisfecit, cuiusque causa promittitur venia iis, qui ex errore in viam redeunt, ex quo omnis nascitur causa consequendæ iustificationis.

Verum ne nimium in his dilatandis insidere videatur oratio, poterit enim esse infinita, si pro rerum amplitudine singula consectari liberet, propiùs cum aduersariis, consertis, vt aiunt, manibus congrediemur, vt quibus argumentis ipsi se tueantur, quibus nitantur scripturis, quid in ipsorum argumentis firmum sit, quid calumniosum, facilius tanquã in breui summula sequente libro, lectori elucescat.

ARGVMENTORVM REFVtatio quibus inhærentem ſuam iuſtitiam, contra iuſtitiam fidei propugnant aduerſarij.

Argument. ex D. Iacobo.

Ce. NVLLA res mortua iuſtificat.
La. Omnis fides ſine operibus eſt mortua.
Rent. *Ergo:* Nulla fides iuſtificat ſine operibus.

Reſponſ.

Primum captioſa eſt argumentatio, rectèque diſſerendi leges præuaricatur. In qua ſi terminos ſupputemus, plures iuſto numero reperientur. Reddùm enim in concluſione, adiectio, ſine operibus. Sic autẽ concludi oportebat: Ergo nulla ſine operibus, hoc eſt, quæ caret bonis operibus, iuſtificat. Atque id rectè quidem concedi poteſt, nec quicquam noſtro incommodat inſtituto. Nam vt id donemus mortuam eſſe fidem, quæ nullo rectè operandi ſtudio ducitur, iuxta Iacobi ſententiam, at minimè tamen hinc conſequitur, quòd nulla fides iuſtificet, ſine operibus. Ex quo duo hic ſpectanda ſunt. Primum quòd fides nulla vnquam iuſtificat, quæ non ſit viua: deinde quum maximè vigeat piis ſanctiſque operibus, nec vnquam ſine operibus ſit ſolitaria, ſemper tamen

Fallacia in terminis perperam tranſpoſitis.

men sola sine operibus iustificat. Constabit id exemplo D. Pauli: qui quum nullius mali esset sibi conscius, neq; quam tamen ea ratione audebat iustificatum sese affirmare.

Integrum argumentum quin concedi possit, si ritè disponantur termini, nihil obstare video. Mortuam esse fidem, quæ cassa sit operibus ex Iacobo colligunt aduersarii, neque nos valdè repugnamus. Age, & quid tum postea? Ergo non mortua, inquiunt, fides sine operibus iustificat. Quin neque istud inficior. Rectè, & quid hinc tandem concludet hæc dialectica? Ergo, fides sola nos non iustificat? Quid ita? Quia si fides non alia iustificat, quàm quæ viua sit: nec aliter vitam illa accipiat nisi ex operibus, hinc ergo consequitur, fidem nullo modo iustificare, nisi ratione bonorum operum.

Audio ac respondeo, primum vt verum id fateamur, fidem, quæ verè nos iustificat apud Deum, viuam quidem esse, semperque cum honesto viuendi studio coniunctam: tamen quòd fides hæc iustificet non nisi ex operibus, nec aliter nos reconciliet, quàm ratione bonorum operum, falsissimum est. Neque enim ex præmissis rectè hoc modo consequitur: Quia fides in vita credentis non est sola, idcirco in iustificandi officio non erit sola. Aut quia viua est fides, non mortua, quæ iustificat, ideò sola absque operibus non iustificat. Fallacia nimirum est consequentis.

quentis. At dices. Vndé igitur viua dicitur fides non mortua, nisi ex operibus? quod si ita sit, ex operibus igitur vitam, vimque omnem hauriat necesse est. Imo contrà res habet. Etsi enim apud homines fides viuida ac vegeta cernitur non nisi ex operum fructibus, tamen non illa ex operibus vitam trahit, sed opera ex fide potius. Quemadmodum ex succulenta arboris radice succrescunt vigentque fructus, minimé ex iis vegetatur radix: haud dispari ratione, externa actionum studia, ex fide, tanquam ex radice proficiscuntur, quę si honesta sint, radicem sanam, ac vitalem ostendunt, nec aliud quàm ostendunt tantum, vitam verò nullam ei conferunt.

Vita fidei ex charitate non gignitur, sed solum ostenditur.

Fidei duplex vita et operatio.

Vita autem hæc atque vis fidei non vna sed duplex est, nec in vno cernitur, illic in cœlo agens, hic in terra. Apud homines in terra quid agat si quæras: Benefacit proximo suo, per dilectionem operans. Apud deum verò in cœlo iustificat impium, non per dilectionem, sed per filium Dei, quem sola apprehendit operans, ac impetrans. Itaq; non satis mihi quidem hanc fidei vim & naturam perspexisse videntur ii, qui vitam eius vniuersam in dilectione collocant, perinde ac si informis quædam materia, nihil per se fides sola vi sua posset, nisi formata per charitatem. Atque vtrumq; verum id fortasse videri queat, in externis modò humanæ vitæ actionibus, in quibus iacet planè manca fides, quam nulla extimulat charitas ad rectè operandum. Hucque referenda

referenda sunt verba illa Pauli, quibus fidem ille per dilectionem operantem adeó commendat, opera nimirum huiusmodi intelligens, quę apud homines fides explicat per charitatem. Tamen apud Deum longè aliter habet fidei operatio, quæ sola nullis nixa operibus, nec charitate adiuta, sed sola dei promissione ac dignitate mediatoris freta, cœlum petit, Deum ipsum adit, vbi res efficit miras atque ingentes, pugnans luctansque cum iudicio de vita æterna, contra terrores satanæ, mortis & inferorum, causam orat, veniam exorat, ream conscientiam absoluit atque iustificat, offensiones omnes abolet, Deum peccatori reconciliat, iram placat, vim mortis ac Satanæ expugnat, pacē deniq; ac ipsum adeò paradisum cū latrone vita impio, fide iustificato consequitur. Quis plura aut ampliora desideret? Atq; hæc quidē tot tantaq; quū sola præstat fides, nūc qua ratione hęc efficiat videamus: non ea certè, qua per charitatē viuit & operatur, sed qua per Christum tantumodo viuit ac promissioni innititur. Vita enim fidei, quę apud deū viuit ac viget, non charitas, sed Christus est, non operibus formata, sed formās ipsa charitatē, ac iustificās opera, vt grata sint Deo, quæ alioqui per se forderent. Cuius rei Paulum satis idoneum & testem habemus & magistrum, vbi ait, vita mea Christus est. Rursusque. Quod autem nunc viuo in carne (non charitate ait) sed in fide viuo filii dei, qui dilexit me, &c. Et alibi de se testatus,

Fides quid apud deum operatur, quid apud homines.

Duplex fidei operatio.

Fides sola qua ratione iustificat.

Vita fidei non Charitas sed Christus.

Gal. 2.

1. Cor. 4.

testatus, quum nullius mali se conscium sibi esse dicat, negat tamen in eo se iustificatum. Quēadmodum idem ipse de operibus etiam Abrahæ disputans quantalibet sanctitate eximiis, nihil in his quidem positum videt, in quo gloriari tantus posset Patriarcha apud Deum. *Rom. 4.*

Accedunt huc alia aliorum argumenta, miro ac infinito studio hinc inde è scripturis contorta: ex Euangeliis sex potissimum rationes, contra iustitiam fidei adferre solent. Velut ex iis verbis Christi, venite benedicti patris mei ad regnum vobis paratum. Esurini enim & dedistis mihi. Ex Andre. Vega de iustificatione. Quest. 1. ex Canisio & aliis.

Argument.

Def. Quæ causa est beatitudinis, eadem & iustificationis causa existit.] Quos iustificauit, eos & glorificauit, &c. Rom. 8.

Ri. Opera misericordiæ sunt causa beatitudinis,) Esurini enim, & dedistis, &c. Math. 25.

I. *Ergo*: Opera misericordiæ sunt causa iustificationis.

Respond. Argument.

Neganda est minor. Opera enim misericordiæ, si per se spectentur, non sunt causa iustificationis, aut beatitudinis, sed effecta potius & fructus iustificationis: Quippe quæ deo non aliter placent nisi in iustificatis, & quatenus fide Christi commendentur. Quæ nisi quidem fides præcedat, & personam prius iustificet operantis, opera nullam apud Deum laudē habent nec gloriam,

riam, quum legi dei, in deprauata hac natura, nō satisfaciant, proculque ab ea absint perfectione, quam diuina exigit iustitia. Quamobrem si de causa beatitudinis rectè ratiocinari volumus, ex clarissima scripturæ sententia, firmior constabit hæc argumenti ratio.

Argument.

Ma. Quæ causa est beatitudinis, eadem & iustificationis causa existit. August. vnde salui sumus, inde iustificati.

Mi. Remissio peccatorum, causa est beatitudinis & salutis. Psal. 31. Rom. 4. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.

Con. Ergo: Remissio peccatorum, causa est iustificationis.

At inquis, quid verbis igitur Christi respondendum, quæ contra videntur operibus regni beatitudinem polliceri? Respondebit huic obiectioni Iacobus quidam Cartusiensis in hunc modum scribens: Homines dicit accipere quidem & diligere alios, propter ipsa eorum opera sibi grata & vtilia. Deum verò opera accipere propter hominem, &c. Quapropter adhibenda hic est distinctio, qua discernantur opus, & persona operantis. Quid ergo? An opera, inquies, pio charitatis affectu suscepta, & in egenos collocata deo non placent, illique cordi non sunt? Id ipsi non negamus, sed fontes solum & causas quur placeant, perquirimus. Quod quo lucidiùs appareat, excutiamus ipsa scripturæ verba. Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Quæro primum quis hic esuriuit? Iacobus Cartusiensis in libro suo de authoritate ecclesiæ. An. 1440

esuriuit ? Christus, inquies, siue ipse in suo corpore, siue in corporis sui membro. Et tu Christum igitur esurientem pauisti? Piè quidem factum. Quid ergo feceris video, & laudo. Sed quæro porrò, quæ causa, id vt faceres, te impulit? Charitas ne excitans fidem, an fides potius excitans charitatem? Age, & quid si alius, qui membrum Christi non esset, siue Ethnicus, siue Turca, aliquis eguisset tuo cibo, an pauisset eum tua charitas? Subdubito. Age, quid si ipse in Christum non credidisses, sed hostis esses Christi, eumq; famescẽtem cerneres qui Christi esset, an famem illius subleuares? Non equidem arbitror. Quid ita? quia Christum non nisi fideles pascũt, Infideles persequũtur. Sitiuit aliquando in cruce dominus. Datũ est ei pro potu acetum. Dignum certè tartaro flagitiũ. At quur acetũ ab illis datũ est? nũ quia charitate, an quia fide potius carebat gens illa pharisæorum incredula? Qui si fide nõ caruissent, non defuisset certè charitas, quam fides excitasset ad subleuandum, nec charitati defuisset sua merces. Sed pergamus porrò. Quid si christianum fortè egentem ac famelicũ cibo suo ac potu iuuet aliquis, qui ipse à fide sit alienus, puta Turca aliquis aut Ethnicus, vt Simõ olim pharisæus Christũ pauit suo prandio, & inter Ethnicos multos fuisse constat præclaris excultos humanitatis officiis, quid an potus cibusq; illius fidei expers vitã merebitur? Non arbitror. At quid si fidelis vel poculum aquę frigidæ porrigat, vbi fert

Opera sine fide quantumuis eximia frigent apud deum contra opera fidelium, quantumuis frigida non carent mercede sua.

fert neceſſitas, an is carebit mercede ſua? Ne gat id Chriſtus ipſe.

Ex quo vides, quidnam illud ſit, quamobrem virtutes & benefacta noſtra Deo placeant, præmiiſque honorantur, non adeò propter ſe, ſed propter aliud, propter fidem videlicet operantis, quę perſonam primum ipſam, ante omnia opera iuſtificat apud Deum. Iuſtificata deinde perſona, Deo cordi ſunt opera, quæ inde ſequuntur, quæ licèt puſilla ſint, pro magnis tamen habentur, maximiſq; cõpenſantur muneribus. Vnde nõ negamus, mercedis nomẽ interdum in ſcripturis, cõuenire vitæ æternæ, operaq; fraternę charitatis, ſuo quodã modo, dici meritoria, at ita vt ſẽper opera illa iuſtificatorũ intelligãtur, qui iã recõciliati atq; per remiſſionẽ accepti, aſcriptique ſunt per promiſſionem in vitæ æternæ hereditatem, non quòd opera eorum huiuſmodi ſint, quæ legi dei ſatiſfaciant, aut quicquam per ſe ex condigno aut congruo mereantur apud Deum: ſed quòd pro meritis imputantur per gratiam: nõ quòd operibus ipſis debeatur vita æterna, ſed quòd in cœlis reponuntur ſolatia ſanctis & iuſtificatis propoſita, ad cõſolãdas ipſorum afflictiones, quibus non propter opera, ſed propter promiſſionẽ debetur vita æterna. Haud ſecus ac filius & hæres, cui paterna debetur hæreditas, minimè id ſuis officiis meretur, vt ſit filius: ſed cum natus ſit filius, poſtea merentur officia ipſius, vt mercede, & com-

Mercedis nomen in ſcripturis quo modo operibus tribuitur.

Opera pro meritis imputata per gratiam.

compensatione sua non careat. Subest hic igitur fallacia, A non causa vt causa.

Aliud argumentum ex verbis Christi. Math. 25.

Da. Qui fecerit voluntatem patris, intrabit in regnum cœlorum.

Ti. Voluntas est patris, vt faciamus opera bona, quæ in lege eius præscripta sunt.

Si. *Ergo:* Ex operibus legis patet aditus ad regnum cœlorum.

Respons.

Vt integrum concedamus argumentum, quid hinc efficient Romanenses isti ὁι μονοδίκαιοι? Andr. Vega. Ergo, inquit Vega, ad salutem satis non est fides, nisi seruentur mãdata. Quid multa huic respondeam? Seruet ergo ipse mãdata legis, iuxta prescriptum diuinæ voluntatis, & seruabitur. Seruare autem dei mandata integra, neque ipse, neq; quisquam in hac vita alius vnquam poterit. Ex quo euincitur necessaria ratione cõcludendum, aut nullam regni adipiscendi spem esse, aut certè in operibus legis non esse positam.

Quod quum ita sit, quid supereſt, nisi vt vela vertentes, quando hoc non succedit itinere, alia cœlum petamus via, quoniamque in lege mandatorum, nulla affulget salutis sedes, alium perfugii portum perquiramus. Quis autem sit ille portus, ex cœlo ipso affulgens, explanabit nobis diuina

diuina voluntas, non in lege veteri, sed in nouo Euangelii testamento expressa. Voluntas autem illius hæc est, vt omnis qui credat in filium, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nam quod impossibile erat legi, quatenus infirmabatur per carnem, deus filium suum mittens sub specie carnis peccato obnoxiæ, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis non secundum carnem ambulantibus, sed secundum spiritum. Cæterum excipiet hic iterum aliquis. Quid ergo? an fides Christi ita nos iustificabit ad vitam, vt voluntatem patris impunè transgredi liceat? Absit nefas. Neque verò id permittit libertas Euangelii, quum Paulus tam apertè testetur eos, qui fide Christi iustificantur, non secundum carnem iam ambulare, sed secundum spiritum. Atque hoc quidem esse videtur, quod Dominus ipse, licèt non iisdē verbis, eodem tamen sensu subinnuit, vbi ait: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Nam quid hoc aliud est facere voluntatem patris, nisi quod audimus apud Paulum non secundum carnem ambulare, sed secundum spiritum? Quo in loco non tam integra totius legis perfectio à nobis deposcitur ad iustificationem, quám mens Domini eò spectare videtur, vt fidem in nobis requirat non fucatam & hypocriticam, sed verè cordatam & genuinam: non quæ in labris solum natans so-

Ioan.6. *Rom.8.* Obiectio. Respons. *Mat.25.*

nare possit nomen domini, aut templum domini, templum domini, qualis erat pharisæorum & hypocritarum, sed quæ intus serium domini timorem spirãs omnem adhibeat conatum præstandi, si non quæ lege præscribuntur omnia, at vitandi tamen, quoad licet, quæ diuinæ repugnent voluntati, saltem ne regnet peccatum, si prorsus excludi nequeat. Atq; istud quidem est, vt ego interpretor, apud Christum, voluntatem patris facere qui est in cœlis. Vt faciamus enim voluntatem ipsius, non vt perficiamus in mortali hac carne, exigit á nobis Deus. Contrà qui externa tantum venditatione, fidem ac nomen Christi frõte tenus profitetur, nihil adhibẽs curæ, vt vita repondeat professioni, sed præceps ruit in flagitia contra conscientiam, certum est iuxta sententiam Christi, nihil ei prodesse, quantumuis nomen domini, nomen domini ingeminet, non quòd fides sine operibus non iustificet apud Deum, quæ vera modò, non ficta sit: hoc est: quæ in cor verè humiliatum velut semen in terram bonam cadat: sed quia fides illa cassa omni bonorum operum studio, quamtumlibet iactetur, fides re ipsa nulla habetur, sed vmbra est tantum & hypocrisis fidei. Idemque respondendum cẽseo cæteris istorum argumentis omnibus, quæ ex concionibus Christi in Euangelio concerpta ad iustificationem operum detorqueri solent. Cuiusmodi ea sunt quæ sequuntur.

Ex Bucero annotatum.

Aliud est facere voluntatem patris, aliud perficere.

Fides ficta & hypocritica.

Argu-

Argument.

Math.7. Multi dicent mihi in die illo. Domine per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum demonia eiecimus, & per nomẽ tuũ virtutes multas edidimus. Tũc profitebor illis nunquã noui vos, Discedite à me, qui facitis iniquitatẽ.

Ex ijs struitur Argumentum.

Ce. Quisquis reiicitur à Christo, non iustificatur.

La. Omnis faciens iniquitatem, etsi fidem habeat faciendi miracula, reiicitur à Christo.

Rem. *Ergo:* Faciens iniquitatem quãtumuis fidem habet non iustificatur.

Vel aliter in hunc modum.

Eadem ratione approbamur Christo, qua & iustificamur.

Ex operibus iustitiæ approbamur christo.

Ergo: Ex operibus iustitiæ iustificamur.

Respons.

Ad primum respondeo. Intelligenda est minor per distinctionẽ, in scriptura faciens iniquitatẽ bifariam intelligitur. Faciunt iniquitatẽ interdũ & boni. Faciunt similiter & mali. Peccant enim vtriq;, sed aliter quidẽ hi, aliter illi iniquẽ faciunt quum peccant. Cõmittunt boni plæraq; etiam quæ oderunt, & quæ verè peccata sũt. Sed quia iisdem secundum interiorem hominẽ non delectantur, Christoque addicti, quanto possunt studio

Respons. ad primum Argument.

ſtudio in id incumbunt, vt per pœnitentiam ſe in viam reuocent, Deus illis peccata non imputat, quare nec pro peccatis ſtatuuntur, quæ per ignoſcentiam obliterantur debita. Secus res habet in iis, qui toto impetu feruntur ad explendas carnis cupiditates, in quibus cum delectatione etiam conquieſcunt & perſeuerant. Atque in his proprie locum habet Chriſti ſententia, qua diſcedere à ſe iubet operantes iniquitatem.

Reſponſ. ad ſecundum.

Quod ad ſecundum attinet argumentum, fallacia eſt, quam dicimus, à non cauſa, vt cauſa.

Vis virtutum noſtrarum infirma.

Quod ſi vis ea virtutum noſtrarum foret, quæ ſatis per ſe valeret ad promerendam Dei gratiam, eſſet nonnihil, quod hac illatione aſtruitur. Nunc quum huiuſmodi noſtra ſint opuſcula, vt ſemper miſericordia indigeant, nunquam legi dei ſatisfaciant, quæ nec corda pacare, non mortis impetum, non iudicii pondus ſuſtinere queant, facile hinc liquet, quid argumento reſpondeamus. Placent quidem Deo opera bona, quod aſſumunt, non nego. Verum vt placeant opera, perſona prius placeat & reconcilietur deo oportebit. Qua demum reconciliata, fit deinde, vt opera propter perſonæ dignitatem grata habeantur. Placent itaque Deo rectæ pietatis officia, fateor, ſed non niſi in reconciliatis tamen & iuſtificatis. Qua autem ratione reconcilientur operantium perſonæ, ſi cauſa perquirenda ſit, nequaquam id ex operibus accipiunt,

Opera placent, propter reconciliatam prius perſonam.

unt, sed ante omnia operum merita. Opera enim nunquam vt causa, precedunt iustificandum, sed vt effectus semper iustificatum subsequuntur. Quemadmodum fructus, si quid boni habent, ex arbore vnde nascuntur, accipiunt, cur autem arbor sit bona, nullam ipsi causam adferunt. Pari ratione iustorum præclara quidem esse merita, cum Augustino non repugnamus. Quòd autem iusti sint, id non ex meritis operum, sed ex alia causa consequuntur. Sic Deo dilectus est Iacob, priusquam boni quicquam, aut mali designasset. Dauid priusquam in Regem inungeretur, quid dignum tanta effecit amplitudine? Idem de Abrahamo existimandum, qui è paternis ædibus primum euocatus, quanta donatus est promissione, é sacra legimus historia, quo vitæ suæ merito ad hanc emersit dignitatem, non legimus. Quid de Adamo referam? An non paradisum prius amiserat, quàm acceperit recuperandi promissionem? Respexit ad sacrificium Abelis diuinus fauor. Quid putas? vtrum dignitas oblati muneris gratiam hanc homini conciliauit? An aliud quiddam fuisse in homine dicemus, quamobrem persona ipsa prius placuerat domino, quàm placuit hominis sacrificium? Per omnes arcanæ scripturæ historias, cunctasque Israeliticæ gentis generationes oculos circumferamus: Quid, cum populum illum exasperantem tam diu diuina pertulit indulgentia, ecquid vides in ipsorum operibus, quòd tam diu-

Aug de fide & operib.

Iacob.

Dauid

Abraham.

Adamus.

Abel.

turnæ lenitatis patientiã promerebatur, an christi solum ex ea gente venturi causa, id factum dicemus? Idem & de fatis ecclesiæ consimili ratione sentiendum, quæ tot defuncta periculis, tot acerbitatum & insidiarum vix dicendis pulsata procellis, edurat tamen, vel inuitis inferorum portis: quid ita? an propter sua ipsius merita id factum, an Christi solum gratiæ ac potestati præter omnes vires & merita nostra transcribemus? tam quæ causa sit conseruandæ ecclesiæ, eandẽ & salutis comparandæ existere, quisq; secũ cogitet, quippe quæ non in nostris operibus, sed solũ in fide Christi, eiusque gratuito munere sit constituta.

Misericordia sola domini, quod nõ consumimur

Argume. ex loco.

Argumentum ex D. Jacobo.

Jacob. 1. *Rom.* 2. Non auditores legis sed factores iustificabuntur. *Rom.* 2. Non auditor legis, sed factor operis hic beatus erit. *Jacob.* 1. *Mat.* Qui audit verba mea, & facit ea, &c.

Ergo: Non fides sola, sed facta iustificant.

Respondeo: Concedi possit argumentum, si rectè addatur minor cum illatione, quam hic apponemus ad explanandam iustam argumenti formulam.

Argument. retortum in Aduersarios.

Iustus est quisquis legem factis præstat.
Nullus in hac vita legem factis præstat.
Nullus ergo ex factis in hac vita iustificatur.

Minor

Minor constat autore eodem Iacobo. Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Nemo est in terra hac viuentium, qui non in aliquo labitur, Iacobi cap. 2. Imo qui in multis non offenderit. Nullus proinde in hac vita legem factis exequitur nec ipsemet etiam Iacobus. *Iacob. 2.*

Appendamus nunc verba Christi, quæ citantur ex Euangelio. Qui audit verba mea, inquit, & facit ea, &c. Quis non mentem domini clarissimè per se pellucidam perspicit, id volentis, vt taxata inani hypocritarum simulatione, animos suorum ad seriam veræ pietatis cogitationem & studium accenderet. Quod quidē ille nec vno loco, nec sine graui causa facit. Vt enim nihil detestabilius, ita nihil est ferè vsitatius, quā vt sub larua sanctissimæ religionis lateant personati histriones, qui nulla rerum earum, quas profitentur, syncera imbuti cognitione, nulla æterni dei vocatione adducti, nec spiritu edocti, nullo iuditio, nulla exercitatione exculti, quàm maximè sese ingerūt in omni hominū cœtu, foris præseferentes, non quod sunt, sed quod videri volunt, quibus parū est aut nihil curæ, vt diuinæ gloriæ seruiant, verum vt suo vel quæstui, vel ambitioni studeant, vt dilatent se in hoc seculo, & plausum captent apud homines. Atque hoc ferè ingenium est omnium hypocritarum. At summus ille καρδιογνώστης qui internos hominum recessus & sensus perlustrat, fucos istos

Expenduntur verba Christi. Mat. 7.

Conscientia bona fides non simulata. 1. Tim. 1.

Histriones in Ecclesia personati.

nec ignorat, nec quicquam minus perferre potest. Eoque dominus ad veram pietatem suos instituens mandat atque edicit, vt qui fidei suæ professionem suscipiant, eam non verbis solum ostentare, aut aures tantum præbere ei sat habeant, sed vt factis, rebusque ipsis exprimant, quæ audiunt: Hoc est, vt studium ac conatum, quam queant maximè huc intendant ea præstandi pro virili, quæ respondeant professioni. Ex quo haud inconspicuum esse arbitror, iis verbis non hic doceri, qui sit modus aut ratio iustificandi: sed illud solum ostendi, quales esse iustificatos oporteat, quos ille in regnum suum fide ac gratia sua recipiat.

Argumentum aliud.

Ex Andr. Vega, Math. 25.

Virginibus fatuis clausum est regnum cœlorum nõ ob fidei inopiam, sed ob olei neglectum. Math. 25. Idem in seruo pigro ostensum est.

Ergo: Rectè factis, non fidei debetur regnum cœlorum.

Respons.

Male consequens conclusio.

Neganda consequentia. Neque enim sequitur ratio, sed ita haberet consequens: Ergo malefactis & impietati iusta debetur exclusio. Neque enim par ratio est, si seruo pigro & oscitanti iusta debetur ex ædibus exclusio: Ergo qui rectè

rectè & impigrè ſuo fungitur officio, ei mox debetur hereditas. Fidei, non officiis, dono, non pacto, non meritis, ſed gratis datur cœli regnum. Et quid ſi fides interim ſedulò ſe exerceat, rebus honeſtè gerendis? an ideo operibus aſcribetur beneficii poſſeſſio? Quid ſi filius adoptiuus rectè adminiſtrãs paterna bona, fidelem ſe præbet in domo patris œconomum, an minùs propterea dono accepiſſe paternum dicetur patrimonium? Præterea neque illud verum eſt, quod negatur in antecedente poſitum, virgines fatuas excluſas eſſe non ob fidei inopiam. Imò ſi vera illis fides adfuiſſet, nunquam certè parata olei copia defuiſſet. Nunquam enim fides quæ viua ſit, ſtertens eſſe poteſt. Ideoque fides in ſcripturis quæ vera ſit, iis ferè epithetis deſignatur.

Primum vt vera ſit, non ficta, 2 certa non dubia. 3. Vna non diuerſa. 4. Viua non mortua. 5. Magna, non parua. 6. Feruida non tepida. 7. Operoſa, non ocioſa. 8. Firma, non infirma. 9. Animoſa non timida. 10. Stabilis non inconſtans.

1. *Timoth. Ex conſcientia bona & fide non ficta.*
2. *Iacob. Poſtulet in fide nihil heſitãs, itẽ Mat. 14. Modica fidei quare dubitaſti?*
3. *Epheſ. 4. Vnus Deus, una fides.*
4. *Abac. 2. Iuſtus ex fide viuit.*
5. *Mat. 15. O mulier magna eſt fides tua, &c.*
6. *Mat. 14. Luc. 17. Si habueritis fidẽ ſicut granum ſinapis.*
7. *Iacobi. 3. Fides ſine operibus mortua. &c.*
8. *Coloſſ. 2. Firmamentum fidei veſtræ.*
9. *Epheſ. 6. Sumentes ſcutum fidei.*
10. *Tob. 2. Qui fidẽ nõ mutãt ab eo. &c*

Obiectio

Obiectio alia ex cap. Ioan. 5.

Argument. aduersariorum ex Ioā. 5. et. Rom. 2.

Prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionē vitæ. Qui mala egerunt in resurrectionem iudicii: & rursus. *Rom.* 2. Vnicuique reddetur secundum opera ipsius.

Ergo: Ex suis cuiusque operibus salus pendet, aut exitium, non ex fide sola.

Si quis argumenti legitimam rationem desideret, ita accipiat.

Argument.

Ce. Nulla est sine operibus iustificatio, vbi pro ratione operum fit remuneratio.

La. Iudicium dei remunerat pro ratione operum.

Re. Ergo: Nulla est iustificatio in Dei iudicio, sine operibus.

Respons.

Vt nihil est voce hac petri certius, qua Christus iudex affirmatur viuorum & mortuorum constitutus, ita neque negandum etiam illud, quod habet Paulus: Omnes nos sisti oportere coram tribunali illius, qui vnicuique redditurus est, iuxta id quod gesserit, siue bonum siue malum. Age, & quid hinc consequitur? Ergo, inquis, non fides, sed opera iustificant: quæ vel salutem, vel exitium comparant. Atqui istud verbis Apostoli minimè concluditur, neque huc tendit scripturæ sensus. Verum si ex his scripturæ locis, rectè atque secūdū spiritus sancti genuinam

Act. 10. 2. *Cor.* 5. *Rom.* 2.

Elenchus ex depranato scripturæ sensu.

genuinã indolem argumentari velimus, in hunc modum concludere rectius oportuit. Nẽpe ergo quum tale nobis immineat iuditium, in quo suæ quisq; vitæ rationem sit redditurus, non est quòd quisquã posthac malefactis suis, aut maledictis impunitatẽ polliceatur, verum vt se vitamq; suã ita quisque componat, vt neq; rectè factis fides, neq; fidei digna operum studia desint. Atq; hæc cõclusio iis oportunè occinenda erat, quorum ingens est hodie vbique numerus non modo apud pontificios, sed inter Euangelicę etiam professionis candidatos, qui Christi nomen & fidem profitentes, ita interim se gerunt, quasi satis id esse putent, sanctissimam illius religionem verbis profiteri: quasique nullum sit futurum omnino iuditium, ita nullam gerunt dignitatis suæ curam, sed contra cõscientiam transuersi in omnem turpitudinis licentiam abripiuntur, nõ sine ingenti tum summi numinis offensa, tũ maximo salutis suæ discrimine. Aduersus huiusmodi, inquam, qui vltrò sic ruunt in manifestas fœditates præter omnem modum et conscientiam rectius hæc valeret illatio sic concludens.

Iuditii ineuitabilis seueritas ad curam et vigilantiam huius vitæ vocare nos omnes debet.

Ante tribunal summi iudicis omnes sistemur, vbi totus vitæ nostræ cursus in rationem veniet coram Deo.

Ergo: Qui suę saluti cõsultũ velit, id curę habeat, pro sua quisq; virili, vt professioni facta respondeãt, vt citra hypocrisin cũ fide bona, cõscientiã, quoad licet, bonam retineat.

Nam

Nam aliter audimus, quid dicat veritas. Et ibunt qui malè egerint, in resurrectionem iudicii. Et Paulus similiter, propter hæc, inquit, venit ira Dei super filios inobedientiæ.

Ioan. 5.

Coloss. 3.

At quid hæc tandem contra iustificationem fidei in his, qui cum susceptæ Christi fide fructus adiungunt, si non absolutæ vndique obedientiæ, at conatus saltem & vires pro suæ imbecillitatis modulo, qualescunque adhibent? Quæ etsi longè abfit à summa illa legis perfectione, at nihilo minus constat adhuc plena perfectaque iustificatio apud Deum, qui quod diminutum sit opusculis nostris, id suæ supplet imputatione, propter fidem in filium, quæ non operantibus nobis, sed in eum credentibus imputatur ad iustitiam. Quid si enim scelerata impiorum rebellio, qui nullo modo iuxta spiritum, sed secundum carnem ambulant, inditium pariat condemnationis? at nihilo secius verum manet illud semperq; manebit: Iustus ex fide viuet. Et qui credit in me non morietur in æternum.

Rom. 4.

Abac. Ioa. 17.

Atenim clarissima, inquies, & irrefragabilis stat iudicis sententia, quæ piè agentibus resurrectionem vitæ pollicetur. Respondeo verissimũ esse, quod dicit Dominus, at falsissimum, quod hinc concluditur. Christus operum fructus simul cum tota arbore intelligens, resque ipsas pariter cum personis coniungens, spe vitæ æternæ solatur suos, qui strenuè pro virili operam nauarunt Euangelio: non quid dignum sit ipsorum operibus

ribus definiens, sed quot quantisque præmiis ipse eorum labores dignaturus sit, commonstrans, qui sui nominis causa quicquam pertulerint. Cõtrà isti á concreto ad abstractum argutantes, resque à personis diuellentes perperam concludũt hoc enthymemate.

A Concreto ad abstractum fallax sophisma. Argument.

Viri fideles & Christiani rem gnauiter agentes vita æterna excipientur.

Ergo: Bona opera sunt causa vitæ æternæ.

Breuis & facilis est responsio. Neganda est consequentia: fallens atque errans á non causa vt causa. Quia quum in Antecedente piorum opera vt effecta, in conclusione vt causa ponuntur. Vndè non integrè concluditur à concreto ad abstractum. Neque enim consentanea ratio est, quia fideles pié agentes possessione vitæ æternæ donantur, ideo facta ipsa merentur vitam æternam, nihilo magis quám si quis in hanc arguat formam. Vxor obediens marito suo in communionem omnium bonorum ipsius admittitur: ideo obedientia digna est vniuersæ possessionis communione: filius obsequens suo patri hæres recipitur, illius proinde obsequium dignum est hæreditate. Sunt quidem opera fructus christianæ fidei indicia, non causa salutis. Quemadmodum arbor, quæ fundit fructus, si quid boni habeat, id non à fructibus trahit, sed fructus omnino ex arbore. Pari ratione & piorum opera, quod vendicent in iudicio nihil habent: si quam gratiam aut mercedem inueniant, id non ipsis, sed par-

Respons. Elenchus a non causa vt causa.

partim misericordiæ, partim imputationi debetur propter Mediatorem filium: misericordiæ, quæ malefactis ignoscat: imputationi, quę rectè facta quãtumuis per se perpusilla, pro magnis ducat, & pręmiis coronet: vt iã laus ónis nõ hominũ sit, sed Dei nõ iustitiæ sed gratiæ: nõ operũ sed fidei: non iuditii sed misericordiæ.

Misericordia malefacta ignoscens.

Imputatio parua magni æstimans.

Quid ergo, inquies, an non in iuditium veniemus omnes? An non omnes ante tribunal maiestatis stistendi sumus? veniemus ô bone. Sed hoc iuditium ita tibi distinguet Augustinus, vt aliud sit damnationis, aliud discretionis, qua hædi ab Agnis secernendi sunt, non agni cum hædis condemnãdi. In iuditum omnes veniemus, credo. In iuditium condemnationis electos dei non venturos spero. Hicque imprimis occurrit diligẽter nobis aduertẽda diuersitas inter Agnos, quos dico, & hædos: inter eos qui Christo per fidem cõiuncti sunt, & colluuiem infidelium. Nam etsi in hac ἀναλογίᾳ in rationẽ omniũ omnia opera coram Deo reuocãda sunt, nec dubiũ quin merces decernetur, quæ digna suis cuiusque factis videbitur: at longè diuersa tamẽ ratione hoc iis, atq; illis eueniet. Etenim qui se suãq; salutem non fide, non sola Christi imputatione, sed operibus legis tueri volunt, istis rependetur iuxta facta quod promeruerũt, hac scilicet cõditione, vt si legẽ, qua par est ratione, cõpleuerit, ex legis viuant sentẽtia. Sin aliter, quid aliud his expectandum, nisi ex legis iusto decreto, vt nulla in his inuenia-

Iuditium dei duplex, iuxta Aug. de consensu Euang. lib. 2. ca. 30

Iuditium damnationis.

Iuditium discretionis.

inueniatur mandatorum violatio tam leuis, quæ non in grauissimam cadet condemnationis materiam, neque immerito. Nam qui neq; vim in se vllam habet comparandæ iustitiæ, neque aliunde oblatam velit admittere, is si suæ iniustitiæ pœnas luat, non legem accuset iustitiæ, sed suæ imputet incredulitati.

Contra qui fide sincera cõuersi ad Christum, si quid in se criminosum admiserunt (quis enim vel sanctissimorum cursũ absq; lapsu cõficit) hos neq; peccata lædere in iuditio poterint, quæ iam ante iuditium fide & pœnitentia deleta sunt & condonata: tum si quid iidem rectè & cum laude gesserint, merces iis æterna rependitur, non propter operis dignitatem, sed pro gratuita imputatione, qua clemẽtissimus dominus opuscula fidelium suorum, quamlibet per se ieiuna ac minuta, digna ducit, quibus promissã largiatur hęreditatem, non quam ipsi promeruerunt, sed quam gratis promisit in filio. Cum igitur duplex sit (vt ex Augustino ostendimus) iuditii diuini ratio, altera, quæ ad iustitiam condemnationis, altera quæ ad misericordiam separationis attinet: pro hac iuditii diuersitate inter eos proindè distinguamus oportet, qui ad hæc summi iudicis subsellia aduocandi sunt. Omnes autem aduocandi sumus. Omnes sistemur. Sed habẽda hic tamen est eorũ qui cõparebũt distinctio. Etsi enim omnes natura pariter & vita peccatores sumus, non vna tamẽ omnium eademque ratio est.

Iustitia condemnationis.

Misericordia separationis.

Duplex hominũ peccantiũ genus.

Alii

Alii sunt quibus per fidem & gratiam remissa iam ante sunt peccata. Atque istos esse haud dubium est, quos misericordia separationis eximet á condemnationis iuditio, quum nihil sit, quod in eos intentari iure possit. Quis enim intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? aut qua iustitia in iuditium reuocanda dices, quæ per iudicē ipsum prius sunt condonata, quàm iudicata? Sublata siquidem offensa, tollitur simul iuditii obligatio. Quò fit, vt nulla iis timēda sit condemnationis sententia, qui sunt in Christo Iesu. Qui sub lege non sunt, sed sub gratia, quæ lex reos illos tenere poterit?

Rom.8.

Rom.6.

Rursus verò sunt alii, qui quum per vim & iniuriam, omnemque turpitudinem dies suos expleuerint, ita discedunt tandem ab hoc seculo, vt ream in iuditium adferant conscientiam. Cuiusmodi permulta gignit hic mundus portenta, Epicuros, Diagoras, ἀθέους, Lucianos, Sardanapalos, Thrasones glorioſos, ὑβριστὰς, Romanistas, verbi verique persecutores insanabiles, sanctorum carnifices, atque hoc genus consimiles. Qui vtcunque sibi blandiantur in hoc seculo, velut in re læta & salua nihil metuentes periculi, inuenient tamen suum sine dubio Iudicem, cui ad summum vsque assem réddituri sunt rationē eorum omnium quæ gesserint.

Iuditium condemnationis in quos propria cadat.

Quod igitur ad iuditium attinet bonorum & malorum, vt non inficior verissimum esse, quòd in

in iuſtitia & æquitate iudicaturus ſit dominus vi uos & mortuos, ita ſi de iuditio condemnationis ſentiant, reſpondeo, iuxta id quod dicere iuriſconſulti ſolent, Exceptio limitat regulam. Etſi enim generale hoc futurum eſt iuditium, attamen ſi de condemnatorio illo iuditio intelligatur, valet regula quidem generalis, exceptis, vt aiunt excipiendis, aut ſalua, vt ita dicam, exceptione. Quæ ſit autem hæc exceptio, & ad quos pertineat, ſatis indicat diſtinctio illa ſeparationis, cuius meminit Chriſtus non vno in loco. Qui audit ſermonem meum, & credit ei qui miſit me, in condemnationem non veniet, ſed tranſibit à morte ad vitam. Rurſuſque vbi de aduentante ſui iuditii tempore Dominus ipſe prænuncians, his fieri, inquit, incipientibus, ſuſpicite & leuate capita veſtra. Et pergens mox cauſam reddit, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Age, & cur ſuppreſſo iuditii nomine, redemptionis meminiſſe maluit apud diſcipulos? Quia verò tam nulla eſt, vt habet Paulus, iuditii condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, quàm nulla eſt redemptio illis, qui extra fidem Chriſti ſentiunt præſenti ſeculo & carni. Quin & alibi idem Dominus vertens ad diſcipulos, quum nihil poſſet eis magnificentius pollicitari: Et vos, inquit, conſidebitis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Quid quod, Paulus inſuper ad Corinthios ſcribens, an neſcitis, inquit, quòd ſancti mundum iudicabunt? Atque adhuc grandius quiddam

Regula iuris.

Ioan.5.

Luc.21.

Dies iudicii cur redemptionis dicitur.

Luc.22.

Sancti mundum iudicabunt.

1. Cor. 6. spirans, supra mundi altitudinem nos attollens adiicit porrò: An nescitis quoniam Angelos iudicabimus. Si iudices futuri, quomodo igitur iudicãdi sunt sancti in foro hoc iudiciario, in quo quod agant, habent, quod metuant, nihil habere videantur.

QVÆSTIO. AN SANCTIS iudicium dei sit terribile?

Pet. Canis. in opere Cathechistico de iuditio. cap. 3. QVæ quum ita sint, videat modo quid his scripturis respõdeat Pet. Canisius, qui omnes in metu diuini iuditii esse iubet. Ita siquidem habet ipsius axioma: Quare non modò peccatoribus, sed etiam sæpe sanctis, iuditii huius terribilis est expectatio. Audiuimus loquentem sua voce Iesuitam, Quibus nunc nititur scripturis subauscultemus. Timuit hinc Dauid inquit, vt sollicitè rogaret: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Timuit & Iob quãtũuis innocẽs: Quid faciam, inquit, quum surrexerit ad iudicandum Deus, & cũ quæsierit, quid rẽspondebo illi? Semper quasi tumẽtes super me fluctus timui deũ, & pondus eius ferre non potui. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. &c. Breuiter vt Canisio respondeam, quis id nescit, in nobis nostrisq; operibus nihil esse, quod non sit grauiter metuendum? Sic Dauid, sic Iob, sic sancti omnes, quo enixius studia ipsi sua, omnesque vitæ actiones in mentem reuocant, hoc maiore diuini iudicii metu, suiq; diffidẽtia cõcutiuntur.

Psal. 142.

Iob. 31.

iuntur. Cæterum nihil istud nostram in Christo alacritatem diminuit, quin freti firmissima dei promissione, certique de admissorũ expiatione, contra metum hunc reluctamur, quantum licet. Quãquã nũquã ita pauorem hunc naturæ insitũ prorsus excutimus, quin recurrat nonnunquã ac sanctissimis etiam facessat molestiam. Sed aliud est, quid ex infirmitate fieri interdum consueuit, & quid sãctos facere semper oporteat. Sic Dauid & Iob ante redditam gratiæ consolationẽ, metu tenebantur, postea à deo recreati, metũ omnem deposuerunt. Si id assueuerat Canisius, sãctos semper in terrore iudicii versari oportere, perinde facit, ac si omnem fidei nostræ in Christo certitudinem expectoret ex animis piorum, neruosq; omnes diuinæ erga nos promissionis, nostræq; in Deũ fiduciæ præcidat. Quid ergo? an Christus capita nos subleuare monet, & Canisius dimittere nos capita iubebit, ad iudicii expectationem? Paulus nè sanctos Dei eò euehit dignitatis, vt iudices eos cum Christo, veluti τὰς συμβασιλέους, καὶ παρεδρους constituat, & Canisius pios pariter cum impiis ad exactam totius vitæ excutiendæ rationem deprimet? Quid an spiritus clamans in animis fidelium tanto ardore suspirat ad Christum, vt citò veniat, vt veniat citò, & Canisius incredula sua formidine clamantium restinguet desideria? Quid quod, scriptura Apostolica de spiritu sanctorum testificans, spiritũ eũ denotat nõ seruitutis ad timorem, sed spiritũ

Incidit nonnunquam in sanctissimos, quod sibi metuant et peccata formident.

Apoc. 22.

Rom.8. Gal.4. vocat adoptionis, per quē clamamus Abba pater: Et pios iterum cum impiis à spiritu libertatis, ad seruilem seruitutis spiritum Canisius Iesu socius reuocabit? Atenim quæ hæc est cum spiritu Iesu societas? Cupit Paulus dissolui, & esse cū Christo. Idem expetunt sancti omnes in Christo laborantes in hoc seculo. Omnes enim qui student in Christo piè viuere, persecutionem aliquā ferent in præsenti seculo. Interfectorum animæ sub ara occūbentes tanto huius iudicii flagrant desiderio, advindicandum eorum sanguinem: Et nos, autore Canisio, formidandum nobis hunc diem, ac non omnibus votis potius exoptādum, atque vt docet Paulus, diligendum ducemus? Quid quod, scriptura Apocaliptica exultare nos iubet, aduentantibus agni nuptiis, & plorare nos iubet Iesuita? Agni vxor byssino vestitu se exornat ad lætitiam, & sacco eam induet squallidus Canisius?

Phil.1. Apoc.6. 2.Tim.4. His qui diligunt aduentum eius.

Quanquam neque id interim omnino huic negandum iudico, quod ex Bernardo, Gregorio, Augustino de tremenda huius iudicii seueritate coaceruat, quo iudicio nihil horribilius esse scio iis, qui per iustitiam legis, extra Christum pereūt. Sed neque rursus eos debemus sua fraudare cōsolatione, aut fiduciam iis minuere, qui Christo per fidem insiti atque conditi, etsi minus se perfectos agnoscunt, dant tamen operam sedulo luctantes, atque proficientes quotidiè pro viribus: quibus vt nihil est in operibus suis bonis, quod iactitent,

iactitent, ita neque quicquam est in malis (quæ iam remissa sunt) quod metuant. Ad reliqua tendamus aduersariorũ argumenta.

Argumentum.

Si nulla sunt operum merita, falsum est quod dicitur, Et reddes vnicuique secundum opera sua.

Sed consequens est falsum.

Falsum proinde & antecedens.

Ad Minorẽ iam ante responsum est adhibita distinctione personarũ. Cum enim duplex sit ac dispar hominum eorum cõditio, qui in Christo, & qui extra Christum sunt, aliter de his, atque de illis statuendum.

Primum, quian Christo sunt, per fidẽ cum illo conglutinati, solet in iis iudicium dei incipere in hoc seculo. Quod ad futurum vero attinet, de hoc promittentem audimus Dominum, *Ioan. 5.* In iudicium non veniet, sed transiit a morte ad vitam.

Secundo, vt demus in iudicium vocandos electos dei, perquàm facilis tamen ratio his subducenda est, quorum iustitia est Christus. Vnde necessaria ratione consequitur, iudicium hoc illis non condemnationis futurum, sed vitæ.

Tertio, sententię huiusmodi, quę legis sunt ad eos, qui sub lege agunt, propriè referuntur. Renati in fide Christi, quoniam sub lege non sunt, sed sub gratia, nullum in his locum habet ius legale.

Quartò, quod reddēdum vnicuiq; dicitur secundū opera sua: aut bona sunt opera illa, aut mala. Si bona, propter fidem solam sunt bona, nam quod non est ex fide, peccatum est, atque ideo extra omne periculum. Sin mala, aut condonata ea sunt, aut non condonata. Si remissa sunt per fidem & pœnitentiam, in iuditium non reuocantur. Si non remissa, id eò fit, quia fides illis defuit, pertinentque ad non renatos. Vnde consequens videtur, iuditium hoc cōdemnationis nullo modo ad renatos in fide pertinere, sed ad non renatos.

Alia obiectio.

De veste nuptiali.

Obiicitur porro locus Mat. 22. de veste nuptiali, Rex ingressus ad nuptias hominem vidit non inclutum veste nuptiali. &c. Demiror quid ex hoc loco struere volunt vestiarii isti Romanenses ad contegendam nuditatis suæ deformitatem, quum non aliud fit, quod instituto suo minùs patrocinetur, aut dehonestet vehementius. Vestis, inquiunt, nuptialis significat charitatem vnde huiusmodi texunt Epicherema.

Habentes vestem nuptialem recipiuntur ad nuptias.

Sola charitas est vestis nuptialis.

Ergo: Qui charitate ornantur, recipiuntur ad nuptias cœlestes.

DE

DE VESTE NVPTIALI explicata parabola.

Respons. Neganda est minor. Etsi officia charitatis non parum conferunt momenti ad exornandam fidem in vita hac ciuili, & legali, nequaquam tamē ex hoc panno conficitur vestis, quæ cœlestibus iis nuptiis conuenit, sed ex alia materia. Quænam autē ea sit, Paulus rectius nos docebit. Induimini, inquit ille, dominum Iesum Christum. Et rursus. Quicunq; baptizati estis, Christum induistis. Hunc quoniam per charitatem minime induimus, sed per solā fidem, ideò fides est vestis illa Agni sanguine candidata, quę propriè nos conuestit ad has nuptias, non charitas, non operum nostrorum pulla, squallida, pannosa indumenta. Quod quo lucidius appareat, Parabolam ipsam, mentemq; parabolæ paulò attentius aduertamus.

Rom. 13. *Galath. 3.* *Apo. 7.*

Primum, qui eximiam nostram in Christo felicitatem nuptiis comparat, quī potuit significātiore vocabulo rem omniū lætissimā exprimere? Quid eīū nuptiarū celebritate lætius, quid plausibilius? Vbi risu, tripudiis perstrepunt omnia, nullū tristitiæ signū, eiulatus nullus auditur, nulla lachryma cernitur, imo vbi omnes abstergūtur lachrymæ à facie vniuersæ carnis. Has tam sacras nuptias, tantæ felicitatis, tam immensa gaudia qui non participat infelix, qui indignis

Parabola de nuptiis, & veste nuptiali expensa et explicata.

Esai. 25.

modis dehonestat, odio dignus, qui sacco & cinere, aut veste alia, quàm nuptiali dedecorat; indignus profecto, qui tantus perfruatur bonis.

Nuptiæ agni cœlestis cum sua sponsa.

Iam præter temporis lætitiam, spectа beneficii magnitudinem: Quarum vtraque infinita pariter existit & sempiterna. Vt enim nulla est in humanis rebus firmior arctiorque copula, quã nuptiarum: ita nihil sanè diuinius, nihil magnificentius eo nexu, quo iungitur humanum genus cum diuina sobole, Adæ filia misera ac mortalis cum immortali Dei filio, Ecclesia infirma cum cœlesti sponso, sicque iungitur, vt in vnam velut carnem vtrique cohæreant, iisdem vtriusque parentes, vnus Deus & pater existat, eadẽ familia, eadem domus, eadem vitæ societas, eadem bonorum omnium possessio vtrosque contineat. Quæ res singulari quodam miraculo, omnem humanę mentis rationem ac cogitationem exuperans perinde habet, acsi Rex opulentissimus, volens suæ munificentiæ opes ac copias explicare, mendicos, cæcos, claudos atque indignissimos quosque ad palatium accersitos excipiat prandio, omnique summarum rerum affluentia ditet, credo, an quisquã est istorum qui deberi hoc suis virtutibus aut meritis suspicari possit, aut audeat?

Conuiuæ nuptiales.

Restat deinceps, vt conuiuas ipsos vestesque intueamur conuiuarum, quos ad nuptiale hoc epulum inuitat, nec inuitat solum, sed inuitos etiam

am cogit vt ingrediantur. Voca, inquit, pauperes ac debiles claudos, cæcosque introducito, & cõpelle intrare, vt domus mea impleatur. Age, & quinam isti sunt amâbo, pauperes, cæci, debiles & nudi, nisi quibus nulla suppetit suppellex propria suorum operum? qui nihil in se positum habent, quo glorientur, nisi solum in Domino. Cuiusmodi erant olim publicani, & de gẽtibus peccatores, pagani, de quibus Paulum grauissimis verbis differentem audimus. Gentes, inquit, quæ non sectabantur iustitiam apprehendebant iustitiam, iustitiam autem eam, quæ est ex fide. Contrà Israel qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Propter quid? Quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis. Et quæ tanta hæc igitur hominum superbissimorum stupiditas, & proiecta audacia, qui quũ natura perditi, cæci, nudi & plusquam mendici sunt, tamẽ in tantam euecti diuinæ cõiunctionis dignitatem, idque nullo suo merito, sed gratuita Christi donatione, nec suam ipsi agnoscunt nuditatem, nec diuinæ gratię, qua par est animi humilitate applaudunt, sed pulchrè suis quasi ornamentis splendidi ac charitate, vt aiunt, formati meritisque instructi videntur ad cõsequẽdam iustitiã. Age, & quænam sit hæc iustitia, videamus. Si operum: quæ tum ista egestas & inopia, quæ ad nuptias intromittitur? Qui præclaris exculti meritis, operum bonorum opibus affluunt, quo modo pauperes eos, cæcos, claudos statuemus? Porrò

Luc. 14.

Cæci et claudi ad implias inuitati qui sint.

Rom. 9.

Contra operum bonorum philtra ac merita.

rò si perpulsi intrare dicuntur, vbi Tridentina illa liberę voluntatis susceptio? vbi liberi arbitrii cooperatio? Contra, si pauperes hic intelligendi sint, qui nulla bonorum operum commendatione aut arbitrii libertate adiuti, nullis conuestiti ornamentis, sola Christi gratia admittuntur, vel trahuntur potius ad nuptias, quomodo iam charitas, legis circumfluens operibus, vestis dicetur nuptialis?

Vestis nuptialis.

Quanquam non deesse quosdam video, nec infimi nominis theologos, qui huic potius accedunt interpretationi, vt vestis hæc charitatem designet. Mihi verò propius perlustranti parabolæ circumstantias, si liceat non præiudicata meliorum sententia, ipse quid sentiam, profiteri, huc multo verius mens Domini spectare videtur, vt cultus hic nuptialis tale quiddam nobis subinnuat, quale est, quod clarissimis verbis de se prædicat Apostolus. Vt inueniar in illo, inquit, non habens meam iustitiam ex lege, sed eam, quæ per fidem est Christi, quæ est ex deo, iustitiam in fide. Id quod non verbis solum, sed liquidissimo etiam exemplo Israelitarũ, iamdudum omnes, nisi cæcutimus, testatum cernimus. Quam ob rem si hæ non capiunt nuptiæ, nisi nuptiali habitu conuestitos, sique Israel qui sectabatur iustitiam, non ob aliud repudiatus dicitur, nisi quòd ex operibus confectabatur, non ex fide: cui iam dubitandum est, ornatũ nuptialẽ non operibus constare, sed fide Christi?

Ad Philipens. 3.

vesti-

Vestimentorum scio multa esse genera, quemadmodum multa sunt rerum, hominum ac locorum discrimina. Sed non omnia omnibus locis, ac neque regnis etiam conueniunt. Aliud postulat forum, aliud conuiuium. Vt mentem, ita & vestem non eandem adferunt, qui in subselliis litigant, & qui in nuptiis conuiuantur. Tenenda est rerum, locorum ac temporum conuenientia. Habet lex suum regnum: Habet & suum Christus. Habet vtrumque suos incolas. Legis regnum vt non nisi iustos capit: ita Christi regnum nullos, imo nec impios etiam, modò per fidem rescipiscentes, respuit. Quanquam verò vtrumque eiusdem principis ac Dei regnum existat, at non eadem tamen administrandi vtriusque ratio. In legis siquidem imperio patefacere voluit Deus iustitiam suam. Christi verò Regnum gratiæ donum est & misericordiæ. Atque vt gratis diuino dono cunctis exhibetur credentibus, ita non alios propriè recipit quàm qui gratis ac libenter oblatam gratiam amplecti gaudeant. Eademque causa aptissimo similitudinis Typo nuptiis nuptialique indumento maximè regnum hoc Christi comparatur: Nec immeritò: Quòd si enim in nuptiis omnia exundare soleant gaudio & hilaritate, quanto magis in Christo nobis gaudendum est ac gratulãdum: cuius singulari beneficio tot tantæque opes conquisitæ nobis sunt sempiternæ salutis & gloriæ?

Conuenientia vbique tenenda, pro locorum, temporum, ac personarum circumstantiis.

Regnum legis.

Regnum Euangel.

Discrimen legis et euangelii.

Quod

Quod quum ita sit, quid restat aliud, nisi vt amplissima hæc charissimi seruatoris nostri τὰ μεγαλόδωρα, ea qua par est, alacritate, gratique animi læta testificatione suscipiamus: quum præsertim non aliud, nomine nuptialis vestis dominus significare hoc loco videatur. Sicut enim vestis nuptialis animum ostendit hilariter erga nuptias affectum: ita nuptiali hac veste necessariò exigitur, vt tales sint conuiuæ, qui cum gaudio, cum propensa diuinæ maiestatis reuerentia, cum gratiarum actione, cœlestibus bonis sint fruituri. Ad quod tam enixè nos hortatur Apostolus, idque non vno loco, vt posita rerum omnium solicitudine, semper collætemur in domino, nec vlla in re gloriemur, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, psallentes in cordibus nostris illud ex hymnologia, & psalmo mystico: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Quo modo autem gloriantur in Domino, qui suis fidunt operibus, videant insuaues isti ordines Monachorum, quorum omnis tã morosa & operosa religio in chaumeniis, in vigiliis, in votis, in regulis hominum, in grauaminibus ordinum, in affectata vitæ austeritate consumitur. Sed persequamur reliquam argumentorum seriem.

Nuptialis vestis quid significet.

Aliud Argumentum.

Congeruntur & multa alia passim è scripturis, sed pessimè deprauata, ad tuendam suam hanc inhæren-

inhærentis iuſtitiæ perſuaſionem. Velut vbi ait Dominus, Non veniſſe ſe vt ſolueret legem, ſed vt adimpleret, hinc ſtruunt neceſſariò ſeruãdam eſſe legem iis, quicunque ſe ſaluos volent. Huic vt reſpondeam, veriſimum eſſe fateor, quod prædicat Dominus, nec minùs ſcio vita eum præſtitiſſe, quod verbis profitebatur. Non venit enim ille legem ſoluere, ſed adamuſim adimpleuit, non tam ſuo quàm noſtro etiam nomine. At nulla tamen ratione id propterea conſequitur, quod iſti argumento malè conſuto ſubſtruunt. *Mat.* 5. Locus, Non veni ſoluere legem, ſed adimplere explicatur.

Argumentum.

Chriſtus non venit ſoluere legem, ſed adimplere.

Ergo: Nulla reſtat ſalus, niſi iis, qui legem præſtant.

Fallax conſequentia, καὶ ἀναπολόγητον. Plus enim in concluſione cumulatur, quám permittit antecedens. Sic autem concludi oportebat. Ergo, & nos ſumma ope niti conuenit, vt legem illius exemplo adimpleamus, in iis præſertim, quæ ad nos attinent. Neque enim eędem legis ceremoniæ, quibus ille aſtringebatur, nos hodie obligant. Veluti quum circumciſus eſt ille, ter quotannis feſta adiuit hyeroſolymitana, ab immundis abſtinuit, á ſuffocato & ſanguine temperauit, Agni paſchalis eſum ſolẽni ritu ad præſcriptum legis celebrauit, præter alia id genus conſimilia, quæ nos minimè hodie attingunt.

Quòd

Quòd autem veniſſe dicitur ad legem perimplendam, vt hoc veriſſimum ſit, non eò tamen pertinet, vt omnem noſtram ſalutem redigat ad legis perfungendæ neceſsitatem. Munus ſiquidem & functio Chriſti duplici fine diſcernitur. Miſſus enim á patre partim in hoc venit, vt perfectam legis obedientiam, cuius nos neceſsitate miſerè impliciti conſtringebamur, in ſe deriuatam noſtro omnium nomine ſuſciperet, noſque ſuo exemplo ad veram virtutem accenderet. Cæterum non in hoc vno, ſed in eo omnium permaximè, veriſsimum mediatoris officium cernitur, vt excuſſa ceruicibus noſtris duriſsima legis maledictione ac ſeruitute, pro nobis morte ſua dependens, omni nos debito exoneraret, liberoque iure emancipatos in dulciſsimam libertatẽ aſſereret: in quam nunc ſub ſpe gloriæ filiorum Dei gloriamur & triumphamus. Incidit itaque hoc loco admonendum, quòd qui Chriſtum legiſlatorem ex iis verbis ſtatuunt, quaſi non in aliud donatum, niſi vt nouas leges orbi dictaret, nimium in eo falluntur. Etſi enim patrias & paternas leges per Moſen dictatas ſaniore quodam ſenſu, ſuo more interpretabatur, non in hoc tamen precipuè miſſus eſt ille, vt leges nouas, aut veteres conderet, ſed opem potius ferret nobis ſub lege dei periclitantibus.

Duplex Chriſti mediatoris officium.

Error eorum qui Chriſtum pro legiſlatore ducant.

Chriſtus non legiſlator ſed Redemptor.

Argument. aliud.

Chriſtus niſi ſeruaſſet legem, nunquã ipſe ſe ſeruaſſet nec alios.

Ergo:

Ergo: Nulla ratione constat nobis salus, nisi seruatis iis quæ lege præcipiuntur.

Latitat in hac similitudinis ratione fallax dissimilitudinis error. Non enim consimilis est comparatio nostra, cum Christo. Ille, si quid contra legem errauisset, nulla erat alterius mediatoris redēptio, qua subleuari posset. Idē & de Angelis, si quid peccati contraherent, dicendum est. Nos si quid per infirmitatem extra viam deflectimus, parata est sanguinis domini nostri beatissima redemptio, quæ collapsos erigat, quæ condemnet errata, quæ restituat in integrum.

Respons. Aliter Christus sub lege, aliter nos qui in Christo sumus.

Argumentum.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in Regnum dei. Ioan. 3. Ni manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ioan. 6.

Andr. Vega. de iustif. pag. 741.

Ergo: Fides sola ad salutem minimè sufficit.

Imo contrà haud aliud in manus datur telum, quo grauiori plaga percelluntur aduersarii, quā hæc ipsa ἀντίστροφή quam in ipsos multo rectius retorquemus. Quandoquidem vtrunq; hoc sacramentū, quod & diuinę regenerationis lauacro & mystica carnis manducatione peragitur, si mysteria ipsa commodè intueamur: nihil aliud quā fidem præclarissimé indicat, quæ est in Chri-

Respons.

Christo Iesu. Vt enim Baptismus sacramentum fidei dicitur, ideoque iuxta Augustinum, pro fide subinde accipitur, ita Christi carnem manducare, iis qui rectè in Christo instituuntur, nihil est aliud, quám in Christum credere. Cuius sacramenti naturam si recta ratione expẽdamus, haud scio, an vllo certiore argumento constare possit, nulla re alia nos iustificari, nisi sola Christi fide. Quo enim argumento euidentius ob oculos demonstrari potuit, quantum ex profuso Christi sanguine scateat nobis emolumenti, quã quod sub corporis & sanguinis sui recordatione symbola panis & vini in cœna instituerit? Aut qua re alia, sublimem mortis suæ vim & energiam potuit ille efficacius nostræ fidei repræsentare, quã proposita hac nobis cœna.

Liceat primum memoria tecum repetas, pie lector, ineasque rationem miseræ huius & mortalis naturæ. Quæ quàm famelica, quám ieiuna bonarum rerum omnium, quàm inops sit diuinæ gratiæ, quàm onusta peccatis, neutiquam ignoras. Accedis itaque homo miserè in te ipso perditus ad diuinas epulas, vbi panem sacrum & calicem sub nomine eius, qui pro te cæsus est, suscipere primum, deinde manducare iuberis. Nam alioqui quorsum attinebat manibus fractum & porrectum panem tenere te, nisi alimenta ipsa intus in stomachum digerenda dimitteres. Edite inquit, & bibite ex hoc omnes: Corpus enim hoc meum est, & sanguis hic meus pro vobis fusus, quid

Amplissima similitudo panis eucharistici et passionis dominicæ.

quid quæſo ſubinnuens iis verbis aliud, niſi vt doceret mortem ſuam vniuerſæ ſuæ Eccleſiæ inſtar magnæ cuiuſdam cœnæ futuram eſſe, in qua miſeræ hominum mentes per ſe ieiunæ & aridæ ſempiterno ſaturitatis pabulo erant reficiendæ, iuxta id, quod per prophetam Eſaiam iam ante promiſerat dominus. Quemadmodum enim nulla eſt ſine quotidiano paſtu vitæ huius externæ duratio: itidem nec æternæ vitæ ſpes aut facultas vlla ſupereſt, niſi ſpirituali ſacrificio, ceu pabulo ſanctiſſimi agni, per fidem ſuffulciatur. Eaque cauſa, niſi ederitis, inquit, carnem filii hominis, &c. Vnde palam liquet, miſeris peccatoribus nullam conſtare iuſtificationem, niſi in Chriſto ſolo poſitam, qui cæſus eſt pro nobis. quin nec in hoc ipſo etiam, niſi fides inſuper accedat, quæ panem hunc de cœlo dimiſſum intus ſuſcipiat ac digerat. Id quod vbique teſtatur Euangelicæ doctrinæ inſtitutio. Qui credit in me habet vitam æternam. Vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Niſi credideritis quod ego ſum. &c. Fides tua te ſaluum fecit. Quocirca haud vſquam conſtat de fide ſola iuſtificante certior nobis demonſtratio, quàm in iis ipſis ſacramenti verbis, quibus caro & ſanguis Chriſti, ſub ſimilitudine panis & vini in cœna myſtica exhibetur.

Eſai.25.

Ioan.6.

Ioan.6.

Ioan.23.8.

Luc.8.

Argumentum aliud.

Ni abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſæorum, non poteſtis

Mat.4.

stis ingredi in regnum cœlorum.

Ergo Non sola fides, sed opera iustitiæ nos prouehunt ad Regnum cœlorum.

Respondeo:

His verbis grauiter à Domino nos admoneri, cuiusmodi vitam esse iustificatorum oporteat: non quæsit causa propria iustificationis. Aliud est de rerum causis, aliud de effectis iuditium. Si de iustificandi causa quæratur, respondet Dominus, fides tua te saluum fecit: vita æterna hæc est, vt cognoscant te verum deum, & quem misisti Iesum Christum. Itidem & Paulus: Si ore confiteberis Dominum Iesum, & corde credideris, quód Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Sin de vita quæratur, cuiusmodi esse debeat eorum, qui Christi fidem syncerè profitentur, docemur hoc loco, aliisque scripturæ sententiis, huiusmodi vitam esse eorum oportere, quæ sit scribis & pharisæorum populo longè dissimilis: Nempè vt ita se gerant ii, qui in Christo creati sunt, vt non pharisaico prętextu externæ conuersationis, inflatæ superbiæ cristas erigant, sed serio mentis affectu excolant se, pergantque in piis operibus, quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus, non ait, vt in eis iustificemur, sed vt iustificati gratia illius, in eis ambulemus fructus ferentes dignos vocatione.

Ioan.17

Rom.9.

Argu-

Argument. aliud.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excindetur,& in ignem mittetur. Luc.3.

Ergo Fides ſola ad ſalutem non ſufficit ſine pœnitentia.

Agnoſco diuinum prophetæ vaticinium, veriſſimum non minus quã celebre. Quis enim arborem effætam ac inutilẽ in agris ſuſtineat, quæ fructus nullos aut noxios cultori reddat? Sed fac bonos ac pulcherrimos fœtus hinc enaſci, rogatũ ab iſtis velim, vtrum pomorum copia arborem feracẽ reddat, an oſtẽdat ſolũ, pomaq; potius vbertatẽ ſuam à ſtirpe, vnde enaſcuntur, accipiãt? Pœnitentia igitur ſi inter fructus recenſetur, minimè quidem ipſa hominem, cui innaſcitur, perficit, aut bonum reddit, ſed demonſtrat ſolum, & qui modó ſit, qualiſque fuerit. Nam niſi improba præceſſiſſet vita, nulla conſequeretur pœnitudo. Deinde niſi fides Chriſti nunc accederet, quę diuinæ gratiæ pœnitentem commendaret, haud quicquã iuuaret pœnitentia. Quid ergo, inquies, Annon mens malefactorum recordatione perculſa, ſeq; rurſus in viam reuocans, res deo grata exiſtit, eadẽq; vitæ non ſolum præteritæ medelam, ſed ſecuturæ etiam emendationis cauſam adfert non mediocrem? Reſpondeo. Quod ad afflictæ conſcientiæ deplorationem attinet, quam pœnitentiam vocamus, effectus quidem præclarus eſt, ſed malæ cauſæ,

Pœnitentia non perficit peccatorem, ſed demonſtrat.

Cauſa pœnitentiæ materialis.

quam tamē non nego rem in vita cum primis præcellentem nunquam ſeram, ſemper gratam Domino, ſi modò cum fide Chriſti adiuncta conſpiciatur. Quin nec illud inficior, eius etiam miniſterio deterreri ſępe homines á conſuetis vitiis, atque ad virtutes capeſſendas incitari. Quæ vniverſa vt elargiantur, quid tamen iſtud ad iuſtificationem à peccatis illis, quæ prius admiſſa ſunt? Si quis præter leges in Repub. deflexerit, atq; in ius vocatus cogatur vitæ ac factorum rationem reddere, an ſatis illi erit dicere, Non putarā, nolebā eſſe factū? An timor iuditii, aut pudor facti crimen diluet apud Deum, niſi ſanguis accedat Chriſti, quem acerrimo numinis iuditio opponat fides? Sine ſanguine, inquit ille, peccatorum non fit remiſſio. Quod ſi ad leniendam iuditii huius grauitatem non vita, non preces, non lachrymæ non ſanguis denique ſanctorum omnium hominum quicquam contulerit, niſi mors accedat filii vnigeniti, cedò quid hic præſtabit tua pœnitentia? Non quòd negem aut neſciam, plurimum vbique in ſcripturis tribui pœnitētię, cui illuſtres ſæpe ſcio adnexas promiſſiones. Sed duo hic ſpectanda ſunt. Primum, quouſque ſe porrigant hæ promiſſiones, tum ad quos propriè pertineant. Alia ſunt enim quæ præſenti vitæ addicūtur præmia: Alia ſunt vitæ æternæ munera. Certè quod ad vitam illam æternam ac infinitam attinet, quæ ſola conſtat redemptione, vt nullis ea operibus noſtris redimi potuit, ita nec pœnitentiæ

Hebr. 9.

Promiſſiones quouſque patent: ad quos pertineant.

promittitur,

promittitur, aut ſicubi promittatur, minimè id fit ſimpliciter propter ipſam pœnitentiam, ſed alterius rei cauſa, propter fidem nimirum operantis, non opus ipſum pœnitentiæ.

Sunt hæc itaque ſuis propriè locis & finibus diſtribuenda. Vt quid fides agat, quid pœnitentia præſtet, quæ vtriuſq; vis ſit, quo diſcrimine vtraq; ab altera ſecernatur, rurſuſque quomodo eędem inter ſe coniunctæ mutuas ſimul operas viciſſim conferant, in iuſtificatione impii, rectè diſpoſitèq; intelligatur. Vt enim non negamus, quin vtraque Deo perplaceat, at aliter tamen hæc, aliter illa Deo cordi atque pergrata exiſtit. Fides enim per Chriſtum placet: Pœnitẽtia verò non niſi propter fidem. Rurſus neque minùs & illud verum eſt, quòd quum fide Chriſti omnis continetur noſtra apud Deum iuſtificatio, at hæc ipſa tamen fides vim ſuam iuſtificandi non aliter explicat, niſi in pœnitentes peccatores humileſque, vnde toties ad pœnitentiam invitat nos prędicatio Euangelica. Agite, inquit, pœnitentiam, & credite Euangelio. Non quod fides, quæ vera ſit, non ſola iuſtificet ſine pœnitentia: ſed quòd fides, quæ vera ſit, non alios iuſtificet, niſi auerſos ex animo á peccatis, & per pœnitentiam conuerſos ad Deum. Nam alioqui qui nulla ducti conſcientiæ ægritudine, nec dolore perciti contra conſcientiã ruunt, perguntq; in peccãdi propoſito, fruſtra ii ex fide, quam falſò iactitant, iuſtificationem ſibi promitttunt, à qua longiſſimé ſunt

Fides quid agat quid pœnitentia.

sunt alieni. Neque enim medico opus habent, nisi qui solum laborant, nec alios ad se accersit Christus, nisi qui onerantur. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Venire autem ad Christum, quid aliud est, autore Augustino, quàm in Christum credere? vt igitur Christus ad se accedentes, hoc est, credendo ad se conuersos nunquam reiicit, sed refocillat atque iustificat, ita fides Christi, in qua sola sita salus est, nusquam verè salutaris est, nisi in iis solum, quos onere aliquo depressos atque humiliatos reperit.

August. de correp. & gratia. cap. 7. Audito Euangelio, venire ad Christũ hoc est in eum credere, quoniam ipse ait, Nemo venit ad me nisi datum ei fuerit à patre meo.

Obiectio alia.

Si fides sola ad iustitiam sufficiat, sequeretur non esse necessaria bona opera.

Consequens est falsum.

Ergo: Perempto consequente, perimitur & antecedẽs, quod fides sola sufficiat.

Andr. Vega de iust. 1. pa. 741.

Minorem huius modi argumento confirmat Vega: Nisi necessaria omnibus modis essent bona opera, nunquam Paulus tam solicite virtutes docuisset, vitam reprehendisset, mores incorruptos & integros tam studiosè laudasset. Verum de minore postea videbimus.

Veni-

Venio nũc ad argumentum: ac primum ad maiorem cum inficiatione respondeo. Nulla enim necessitatis ratione consequitur hoc enthymema.

Fide in Christum sola comparatur salus.
Ergo non sunt necessaria operum bonorũ studia.

PErmaxima est, semperque fuit in omni re & priuata & publica, virtutum honestæque disciplinæ necessitas, at quę fidei singularem dignitatem nihil impediat tamen, quominùs sola iusti ficet: quemadmodũ fidei rursus iustificatio, piè viuendi neque necessitatem tollit, neque curam imminuit. Habeat itaque vtraque res, & Christi fides, & virtutum cura suam necessitatem, illa vt apud Deum iustificet, hęc vt iustificatos in hac vita exerceat. Quocirca vt ad rem breuiter respondeamus. Adhibenda hic nobis est distinctio. Necessarium enim, secundum philosophos duobus modis dicitur: 1. absolutè & simpliciter, cum videlicet ita intelligitur aliquid ad rem quampiam requiri, vt sine eo non possit perfici, aut cõsistere. 2. Ratione consequẽtiæ, & secũdũ quid: quando res aliqua ita se habet, vt fieri non possit, quin ipsa semel cõstituta, alia quoque sint adiuncta, aut mox certé sequãtur, sicq; bona opera in iustificatis necessaria ha-

Duplex necessitas 1. Absoluta. 2. Ratione consequentiæ.

Opera bona quatenus necessaria ad salutem.

habentur ad ſalutem, non ſimpliciter, vt dictum eſt, ſed ſecundum quid, & ratione conſequentię.

Ex quo ſatis ni fallor, perſpiciat non ſtupidus lector, minime nos eſſe, qui opera bona è vita diſtrahimus, quo minus ſint neceſſaria, ſed à cauſa ſolum & officio iuſtificandi remouemus, vt ſublata rerum confuſione, ſuis quęque finibus ac regionibus propriis contineantur. Neque verò fruſtra Paulus ſineq; graui neceſſitate, tam acres ad mouit ſtimulos ad præclara vitę Chriſtianæ officia. Quid enim vel natura ſplendidius, vel Chriſtiano nomine dignius, ſiue ad illuſtrandam Euangelii gloriam accommodatius, quàm vt qui Chriſti nomen titulo præferunt, eũdem moribus, omnique vitæ ſimilitudine, quã maximè exprimant: vt qui regni cœleſtis ciues ſe profitentur, vitam cœlo dignam in terris meditentur pro viribus? Contra quid indignius aut odioſus, quàm qui tot ab eo prouocati beneficiis, in tãtam prouecti dignitatem, tot fœderibus & ſacramentis pluſquam coniuncti cum illo ſint, vt ii tota vitæ diſſimilitudine ſeſe ab illius exemplo diſiungãt. Sint igitur, ſummè neceſſaria religioſæ pietatis opera, verum quomodo neceſſaria, aduertendũ eſt: ita vt effectus cauſam vnde promanant neceſſariò conſequantur, non vt cauſa ab iis, vlla neceſſitate pendeat. Eadem conſequentiæ ratione, multa in communibus officiis dicimus ac videmus neceſſaria, vt vbi accepta fuerint beneficia, quid æquè neceſſarium, magiſque ſecundum iuſtitiam,

Paulus vehemens ad piæ vitæ officia hortator.

iustitiam,quã acceptæ benignitatis grata memoria,piæque voluntatis non ad agendas solũ gratias,sed referendas etiam,si queas,prompta testificatio? Quę tamen gratitudo nullam dedit causam præstandi beneficii.

Conferamus hic alia officiorum genera. Quis nescit aut negat,quin qui filius & hæres sit, necessarium debeat patri obsequiũ. At quis id rursus ignorat nullam in eo causam existere percipiendæ hæreditatis. Item & in coniugio spectãdum est,vbi coniunx suo addicta marito,necessariam ei debet subiectionem,quam tamen illa nõ tam iure aliquo necessitatis extortam, quám vltrò atque amore spontaneam exhibet, tumque insuper,quum maximè exhibet,nulla tamen vis aut causa ex hac necessitate pendet coniugalis copulæ. Nec aliter res habet in perfunctione piorum operum,quibus præesse nos iubet Paulus εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, non quòd in hac operum necessitate,causa aliqua consistat iustificandi,sed quod aliter fieri non possit, quin vbi vera sit fides,necessariò illic exigantur, nec tam exigantur,quàm vltro etiam consequãtur pia opera. Quis enim Christi filii Dei syncera vnquã cognitione imbutus, quis arcano spiritus illius afflatu tinctus,quis reconditam eius vim,excellẽtiam ineffabilem tãtæ maiestatis animo impressam retinet,qui non toto in ipsum pectore inflãmatus,cæteris posthabitis mundi curis & cupiditatibus ei vnicè adhæresca? Denique quis Christum

Necessitas consequentiæ.

*Tit.*2.

ſtum verè ſpirat, qui non mundum hunc, quæq; mundi ſunt omnia pro derelictis habeat, vt iam nulla ſit lege opus, quæ opera iuſtitiæ ab eo exigat, qui verè ſit chriſto inſitus, quum lex ſit ipſemet ſibi, plus vltrò præſtans, quàm vlla poſſit imperare coactio.

Argument. Ieſuitarum.

Vox ſola in literis ſacris nuſquam repertitur.

Ergò ſola non iuſtificat fides.

Reſponſ.

Quanquam id verum nõ ſit, vocẽ excluſiuã nuſquã occurrere in ſacris literis: tamẽ vt hoc donemus, quid tum poſtea? Certè quæ ex neceſſaria conſequentia emanant, licet nõ exprimãtur, perinde tamẽ atq; pro expreſſis habentur. Adeoque quã multa in communem fidẽ recepta ſunt à vobis vocabula, quorũ nullã ædit ſcriptura mentionẽ? Sed pergamus: nuſquã, inquis, excluſiua hæc cernitur in diuino canone, ſi literas quidẽ, ſi ſyllabas ſpectes, non repugno. Verũ quũ cætera tam multa occurrãt in ſacro canone vbiq; obuia, quę acceſſoria hæc opera omnia excludunt, quæ vos intruditis, quid adeò retulerit ad doctrinæ ſanitatẽ, ſi vox, ſola, non exprimatur. Quid cũ legis iſta.

Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Rom. 3. ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Sine

Ibid. lege iuſtitia dei manifeſtata, Rom. 3. nõ iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti,

Christi,Gal.3.Nō ex operibus.Rom.11.Sine operibus.Rom.4.nō ex operibus:Tit.3.non ex operibus.Eph.2.non secūdū opera.2.Tim.1.Absque operibus.Rom.9.Quid hæc quæso volunt aliud,nisi vt cunctis exclusis operibus, sola iustificationis conciliatrix fides intelligatur? Etenim quid fides absq; operibus,& sine lege, aliud est, quàm sola fides? vnde necessaria consequendi lege,ab exponentibus ad exclusiuam, arguere hoc modo rectaque forma licebit:Fide iustificamur, Nec alia re vlla nobis inhærente iustificamur,nisi fide,iuxta scripturas. Ergo fide sola iustificamur? Aut si libeat hoc argumento cū aduersariis congredi. *Gal.3.* *Rom.11.* *Tit.3.* *Ephes.2.* *2.Tim.1.* *Rom.9.*

Argumentū.

A quocunq; cætera omnia excluduntur,id ipsum solum maneat necesse est.

Scriptura cætera in homine quæcunq; excludit á fide.

Ergo Fides sola sit,quæ iustificet necesse est.

Sed age, quoniam negant exclusiuā hanc in scripturis reperiri: relegabo eos ad caput Mar.5. & Luc.8. vbi dominum ipsum loquentem audiant: Tātūmodo crede. Crede tātū & salua eris. Accedo ad sacrę vetustatis

Theophyl. Rom.3. Nunc fidem ipsam demonstrat vel solam in se habere iustificandi virtutem.

Oecumen.Photi.in cap.Rom.3.Fidem solam adhibentes.

Origen.cap.3.Sola iusta gloriatio est in fide crucis Christi.

August.de verb. Domini.Serm.4. Vnum hoc imputari voluit, quo cætera colliguntur.

&

Amb. 1. Cor. 1. Constitutum a deo, vt credens sola fide iustificetur.

Chrisost. serm. 5. in cap. 2. Ephe. Paulus quisquis sola fide nititur, eum beneditum confitetur.

Basil. de humil. πίστει μόνῃ τὴν εἰς Χριστὸν.

Hieron. in epist. ad Gal. cap. 1. Paulus demonstrat eum, qui sola fide nititur, benedictum esse.

Nazianz. de moderatione. Iustitia nostra, sola fides.

Bernard. Iustitia nostra nihil aliud, quàm dei indulgentia.

Thom. Aquin. in 1. Tim. 1. Non est ergo spes iustificationis, nisi in sola fide.

& purioris ecclesię doctores Græcos & Latinos, Basilium, Nazianzenum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymũ, Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium, Photium, Bernardum, adde huic, si lubet, catalogo Thomam Aquin. qui omnes in eadem Christi & Pauli verba commentantes, non in eadem modo nobiscum sentẽtia, sed in voce etiam exclusiua congruunt: quemadmodum in superiore nostra ad Osorium responsione abundè monstratum est.

Ex iis cum nemo non videat, nihil nos hic astruere, quod non iisdem verbis, summo consensu ante nos confirmarunt antiquissimæ ecclesiæ orthodoxi: at hæc tamen tam perspicua morosis istis sophistis non satisfaciũt, qui quum verba ipsa doctorum inficiari nequeunt, de sensu verborum, lites nobis facessunt, à quo longissimè nos aberrare confingunt, bella nimirum reperta distinctione: ita vt quum doctores de sola fide loquuntur, id eo sensu accipiendum sit, vt de prima

ma,vt aiunt,iustificatione,non de secunda intelligatur.Sic enim logodędali isti artifices pro sua subtilitate,ex vna geminam nobis confecerunt iustificationem: Alteram quæ per primam, vt vocant gratiam acquiritur,ante omnia opera,vel ut in paruulis, quum baptisantur: Alteram in adultis per bonorum operum accumulationem.

Duplex iustificatio apud Papistas

Huic tam futili sophistarum delirio vt paucis respŏdeam,primum hoc illis Augustini obiicio: opera bona,quæ omninò sequūtur iustificatum, nullo modo præcedere iustificandum. Ita enim nos docet ille.Quod si verum sit,quid restat igitur,quin aut nulla sit iustificatio huiusmodi secūda,quam fingunt: aut vt bona opera præcedant iustificandum,contra Augustinum necessariò fateantur.

Secunda iustificatio papistarum euersa.

Præterea,si satis id causæ putant (vt modo dictum est)quur sola fides nŏ admittatur,eo quod in literis sacris minimè exprimitur: quid minus causæ fuerit,quur non eorum hæc explodatur distinctio de secunda iustificatione per acumulationem bonorum operum,quæ nusquam non exprimitur modò in contextu sacro, sed manifesta etiam repugnantia cœlestem vitiat veritatē? Vetus dicitur & celebris iureconsultorum regula non esse ibi distinguendum, vbi non distinguit lex.Et qua parte scripturæ isti mihi reperient distinctam hanc diuersitatem,inter primam,& secundam iustificationem: qua aliter iustificentur par-

Regula iuris.

paruuli baptisati, quám adulti: quũ vtrique pariter per se mortui delictis, atque in Christo pariter renati non aliter, quám per fidem viuunt in Christo filio dei.

Breuiter vt litem hanc sophisticam paucis expediamus, quum non nouit sacra scriptura, nec sacri agnoscunt doctores, nisi vnam duntaxat iustificandi rationem, vnde isti ex vna geminam nobis construxerunt? sicque alteram ab altera diuersam, vt quæ prima sit iustificatio, ea sola fide constet, secunda ex operibus exaggeretur? At facile hoc repellitur glossema autoritate idoneorum testium. Quo in numero primum occurrit Ambrosius: Quia, inquit, vnus omnium est Deus, vna ratione omnes iustificauit. Quænam porro sit illa ratio, idem subindicat: Non aliter quàm credentes iustificauit. Moxque dignitatem omnem operum, & meritum excludes, subiungit: quando dignitatem ait, & meritum non facit, nisi fides, & rursus: videntes non iustificari hominem apud deum, nisi per fidē, &c. Concludamus modo ex his Ambrosii dictis. Si quemadmodum vnus est deus, ita vna sit iustificandi ratio: nulla certè distinctione fieri potest, vt duplex non vna sit iustificatio, sicut nec vlla distinctione fieri potest, vt duplex sit Deus, ac non vnus tantum qui iustificat. Rursus, si non aliter nisi per fidem apud deum iustificantur credentes, teste eodem Ambrosio, nec vlla

Ambros. in cap. 3 ad Rom.

Ostenditur ex Ambrosio, fieri non posse, vt duplex sit iustificandi ratio.

vlla sit dignitas alia, aut meritum apud deum, nisi fides: vbi iam consistet secunda illa iustificatio, quam ex meritis bonorum operum accumulant aduersarii.

Adiungamus his Gregorianæ confirmationis suffragium, quod non mediocriter ad institutum pertinere videtur, ad id reuincendum, quod de secunda sua iustificatione garriunt male feriati sophistæ. Adnectamus amâbo autoris verba: Nudum, inquit, me in fide prima gratia genuit, nudum eadem gratia in assumptione saluabit. Audistis de nuditate differentem Gregorium. Age, & quænam hæc nuditas est, nisi virtutis & operum bonorum inopia, quemadmodum ipsemet interpretatur, qua pius laborat animus, non minus adultorum, quàm paruulorũ, quũ in prima regeneratione baptisantur? Quod si ita sit, vt nudi reperiamur in assumptione illa salutis, teste Gregorio, vbi igitur secunda illa iustificatio ex accumulatione bonorum operum? Sin aliter, vbi tum nuditas illa Gregoriana? Quî cohærebunt ista tam inter se distantia, vt & nudi inopesque bonorum operum, simul & conuestiti bonis operibus secundam iustificationem promereamur? Interim neq; hoc temerè hic prætereũdum, quod de gratia idem hic commemorat Gregorius, quã nõ in primã, & in secũdã gratiam deducit, quẽadmodũ nostri hodie romanẽses, sed vnã eandẽq; gratiã significat, quę & primum nos dos regenerat, simulque & nudos eadem ad

Gregor. 2. lib. Moral. cap. 40.

Gregor. ibid.

ad ſalutem aſſumit. Ex quo palam fit, non niſi vnam rationem eſſe iuſtificationis, non in operũ meritis poſitam, ſed in gratia vna & ſola ſpe miſericordiæ, ad quã in nuditate, vt ait, virtutum, cũ humilitate recurritur. Pergamus deinceps.

Aliud Argumentum.

Mala opera merentur æternum exitium.

Ergo: Bona opera promerentur æternam vitam.

Reſponſ.

Verum quidem ex ſe vtrumque, ſi ſpectes rerum iuſta merita, & ordinem iuſtitiæ. Sicut enim ſceleratæ vitæ turpitudo iram per ſe gignit ad vindictam: ita recte facta ſimpliciter & perfectè numinis fauorem nobis conciliarent, ſi tam perfectè ea â nobis præſtari poſſent, quæ bona ſunt, quám quæ mala. Id veró quum nequeamus, per nos quidem ipſos nihil aliud quàm mortem & iram, ſecundum iuſtitiæ ordinem commeremur. Cæterum per Chriſtum iure nunc redemptionis, á lege iuſtitiæ vindicati in gratiæ regnum aſcribimur, priori mutata conditione, quo fit, vt ſpectentur non merita iam noſtra, ſed ſolum Chriſti precium. Reſpondeo itaque, valere hanc contrariorum oppoſitionem, ſecundum ordinem legis, non ſecundum ordinem gratiæ, quia hic ponitur obex, vt ita dicam, ſanguis videlicet redemptoris

demptoris nos eximens a iure peccati & mortis. Deinde argumentum minime valet à contrariis, nisi vbi integra pariter videntur contraria. Iam mala opera in nobis perfectè sunt mala. Bona verò opera, quālibet etiam per gratiam adiuta tamen propter refractariā carnis imperfectionem, imperfecta sunt apud Deum, etiam quum rectissimè a nobis gerunrur. Ex quo Hieronymus. Cunctorum, inquit, in carne iustorum imperfecta perfectio est.

Aliud Argument.

Prauis operibus amittitur iustificationis gratia.

Ergo bonis operibus retinetur.

Resposn.

Eadem responsione diluitur fucus huius sophismatis, quòd non æquè inter se contraria sūt scelera nostra & virtutes. Quòd autem dici solet per obediētiam retineri iustificationis gratiam, vt hoc concedatur aliquo modo, tamen nō hinc efficitur iustificatio. Præterea quum operibus retineri eam dicimus, non id ita accipiendū est, quasi propter dignitatem actionum id fiat, sed solum propter Redemptorem, ob cuius reuerentiam primum persona accepta est, deinde & actiones placent, quæ alioqui per se impuræ nulliusque pensi existerent. Prauis, inquiunt operibus amittitur iustificationis perseuerantia. At mala opera dupliciter in nobis considerāda sūt, vel quatenus hęrent in nobis, quemadmodum in

Operum vt bonorum, ita & malorum duplex consideratio.

sanctis omnibus, per carnis infirmitatem, moxq; resurgimus per pœnitentiam, & fidem. Atque huiusmodi peccatum, vt affirmat Paulus, nobis non dominabitur, vel rursus, quatenus præter conscientiam nosmet vltro tradimus peccato, vt ei seruiamus per delectationem malam. Atqui hoc peccatum nullo modo cum Paulina hac fide cohærere potest, quæ in nullis locum habet, nisi in his, qui auersi a peccato, conuertuntur ad deum.

Aliud Argument.

Fides iustificat.
Fides est opus.
Ergo opera iustificant.

Respon.

Fides est qualitas est mentis non iustificat.

Respondeo, vitiosum esse argumentum, quia medius terminus in Maiore latius se porrigit, quã in minore. Fides enim in Maiore accipitur correlatiuè, pro Christo, seu promissione, quæ fide apprehenditur. In minore accipitur tantum pro qualitate mentis, quatenus est actus nostræ voluntatis: Aliter, si fides perinde in minore accipiatur, vt in Maiore ita falsa est, & neganda minor, quod fides sit opus.

Argument. Iesuitarũ aliud.

Si fides sola iustificat, sine charitate iustificaret.
Non iustificat fides sine charitate.
Ergo fides sola non iustificat.

Liceat

Lieeat huic argumento aliud non dissimile opponere, quo facilius ex altero alterius ἀποδόσεως eluceat. Sic igitur ἐπὶ τὴν ἔμφασιν subinferat aliquis.

Si solus calor ignis calefacit, sine luce igitur calefacit.

Non calefacit ignis calor sine adiuncta luce.

Ergo solus calor ignis minime calefacit.

Responsio per Instantiam.

Nihil addubito, quin ex mutua hac argumentorum collatione facile perspicuum sit lectori, ex alterius similitudine, quid de altero sentiat, vt nihil sit opus ampliore refutatione. Neque enim quæcunque aliquo modo congrediuntur, simulque conueniunt, eadem protinus vno eodemque officio metienda sunt. Nec verò qui pedes habeat, oculos, aures, quia hæc membra non habet solitaria, ideo non solis pedibus ingredi, soliſque cernere oculis dicendus sit. Vt non diffitear, in iis fungendis muneribus, quæ sunt huius vitę propria, nullo modo diuelli fidem á charitatis complexu: ita si animos ad ea, quæ diuina atq; æterna sunt attollimus, mente ac cogitatione illud perlustremus quid sit, quod miseros nos peccatores apud acerrimum cœlestis iudicii tribunal subleuet, quod iram sedet, quod æternum á nobis depellat interitum, quod mortis vim, satanę imperium expugnet, cum Deo in gratiam reponat, iustificet vitæque regnum conciliet, ita in iis quidem sola regnat fides

Non quæuis coniunctio rerum officia confundit.

cum solo mediatore, ita sola omnes explet partes salutis nostræ & redemptionis, vt nihil hic sit charitati, quod agat. Neque enim quia proximũ hunc aut illum tuo more diligis, ideo promittitur aut debetur tibi regnum: imo quia nec deum pro tuo officio, nec proximum, sicut teipsum vt debes, diligis, ideo certum tibi debetur exitium, nisi fides sola per mediatorẽ damnatæ tuæ charitati subueniret. Tantum abest, vt fides vlla egeat charitatis coniunctione ad iustificandum, vt nisi ipsa per fidem iustificetur, quo statum tueatur suum haud quicquam habeat. Eiusdem monetæ & illud est argumentum, quod ex loco Pauli ad calumniam detorto subinferunt.

Argument. ex 1. Cor. 13.

Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habeam, nihil sum.

Ergo fide & bonis operibus sit iustificatio

Respons.

Prælat. Confutat parisiensium tract. 7.

Scripserat alicubi Erasm. enarrans cap. 2. Iacobi: fides, inquit, quæ friget absque charitate, nec se profert, vbi res postulat, nec fides quidem est, tantum est inane fidei nomen. &c. Contra arguunt parisienses, fidem sine charitate posse esse ex hoc Pauli loco: Si habuero omnẽ fidem, ita vt montes transferam, &c. Hunc locum Eras-

Quod fides possit esse sine charitate arguunt parisienses.

mus

nus sequutus Basilium ita interpretatur, vt accipiamus hoc ab Apostolo exaggerandi causa fingi, quod non est, nec esse potest. Quum autem Thomas Aquin. omnem fidem hic interpretatur, perfectam fidem, necesse igitur sit, vt quum perfecta fides non reperitur sine charitate, iuxta sensum Basilii, vt agnoscamus hic igitur hyperbolem & fictionem quem inter amplificandi formas commemorat etiam Quintilianus. Itaque quod negamus fidem mortuam sine charitate, fidei vocabulum mereri, vulgatissimo id tropo dicimus, quo hominem inutilem & ignauum negamus esse hominem, & vinum vapidum, nihilque vigoris habens negamus esse vinum. Quod igitur citatur ex Paulo: Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, &c. sic accipiendum est, non quod affirmat Paulus simpliciter fidem donum esse dei sine charitate: sed fictione seu tropo vtitur, ad exaggerandum laudem charitatis, veluti qui dicit: Etsi mihi sint centum linguæ, & totidem ora, non possem rem, vt habet enarrare, non sentit esse quenquam, cui sint centum linguæ, ac todidem ora. Consimili tropo vtitur Paulus: Etsi linguis hominū loquar & Angelorum. &c. Neque enim Angelis sunt linguæ, sed ad rem exaggerandam fingitur ad significandum eximias quasdam linguas humanas longe præstantiores. hæc ille.

Locus D. Pauli explicatus. 1. Cor. 13. Si fidem omnem habuero, &c.

1. Cor. 13. Tropica locutio.

Quod si hæc hactenus aduersariis minùs satisfacient, sic responsum accipiant: hanc quidē

Apostoli locutionem nequaquam pertinere ad modum iustificationis, sed ad vitam justificati. Si omnem, inquit, fidem habuero charitate autem destitutus, &c. Quid tum? Ergo Charitas, inquiunt, simul cum fide commeat ad iustificationem. Non cohæret consequentia. Imo sic consequitur aptius. Ergo necessaria est charitas in renatis. Quod necessariò quidem concedēdū est. Necessaria est enim dilectio, & placet deo, in reconciliatis scilicet, ac propter Christum. Naturaliter siquidem Deus gaudet suorum obedientia: quæ quāuis imperfecta fuerit, attamē conatus qualescunque approbat ille, in his quos in Christo habet sibi reconciliatos. Sic ergo fides, id est, Christus per fidem apprehensus gratis nos iustificat. Sed nos vicissim minime oportet gratiam hanc in vanum accipere. Accipit autē, quisquis præceptis christi & exemplis non se præbet obsequentem.

Chrysostomus

Quāquā neq; hic desunt, qui fidem hanc apud Apostolum accipiendam respondent pro dono solum ædendi miracula, quo in ordine videtur præter alios Chrysostomus, qui fidem hanc vocant, οὐ δογματῶν, ἀλλὰ τῶν σημείων.

Cauillatio de vocc. Omnis.

Præterea quod vrgent tantopere vocem Apostoli vniuersalem: huic respondetur, vocabulū (omnis) significare sæpe non vniuersitatem generis alicuius, sed speciei, cui adiungitur, perfectionem, vt 2. Cor. 9. potens est deus efficere, vt totum beneficium in vos exuberet, vt in omnibus

nibus omnem ſufficientiam habentes. &c. Itidem & hoc ipſo Pauli loco : Si omnem fidem habeam, fidem nimirum faciendi miracula conſummatiſſimam, adeo vt montes transferam, &c.

Locus alius ex Paulo. 1. Cor. 13.

Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas.

Argumentum.

Ex cauſa digniore fluit noſtra iuſtificatio.

Charitas res maior eſt & dignior, quàm fides,

Ergo ex charitate magis iuſtificamur, quã ex fide.

Sine in hunc maxis modum.

Si ex fide, non charitate iuſtificaremur, maior eſſet fides, quàm charitas.

Eſt autem charitas maior fide.

Ergo charitate potius quàm fide iuſtificamur.

Argumentum ex loco Pauli. 1. cor. 13.

Vtrique argumento vt ſemel breuiterque reſpondeam, primum non verba modo Apoſtoli, ſed quo ſenſu ab eo dicantur, dextrè commodeque accipiamus. Tria, inquit, hæc, maior autem horum eſt charitas: quibus verbis charitatem fidei præferentem audimus Apoſtolum verũque fateamur. Sed quo ſẽſu verũ, videamus. Cõſimili vtar argumẽto. Inter natos mulierũ nõ

surrexit maior Ioanne Baptista. Christus surrexit inter natos mulierum. Ergo Ioannes Bāptista maior erit Christo. Respondeo, ex ipso scripturæ sensu. Etsi Christus minor Ioanne Baptista, mundi ac vulgi iuditio tum videbatur: at in regno cœlorum maior erat semperque futurus est Ioanne. Simile quiddam de fide & charitate cogitare liceat. Etsi in hac vita, communibusque hominum inter homines gerendis officiis præpolleat charitatis ὑπὲρ φιλαδελφίας: in regno tamen cœlorum, in his, in quam, quæ cum deo nobis trāsigenda sunt, aduersus satanam, mortem, peccata, iuditium, iram, vindictam, conscientiæ terrores, tanto potiores partes occupat fides, vt sola in his, non modo supra charitatem, sed etiam sine omni charitate dominari videatur.

Mat. 11.

In regno cœlorum fides maior charitate.

Quod si dignitas atque excellentia ex propriis cuiusque rei officiis atque effectis spectari debeat, sique arbor ex fructibus cognoscenda sit, conferamus nunc has inter se virtutes, vt quid vtraque possit, quid agat charitas, quid fides efficiat, quid præstet, quantumque polleat perfectius liqueat. Ac primum quod ad charitatem eiusque praxeis & functiones attinet, quot quantisque eam encomiis attollat Apostolus, accipiamus.

Charitas, inquit, patiens est, benigna est, comis est ad omnem vitæ consuetudinem accommoda, charitas inuidere nescit, non est procax, non inflatur, minime fastidiosa, non priuatis

1. Cor. 13.

uatis affigitur commodis, vt cunctis prosit omnibus exposita, aliorum non iritatur iniuria, nulla ducitur vindictæ cupiditate, adeo se non vlciscens, quantumuis læsa, vt nec malum cuiquã cogitet, malorum improbitate ac iniustê factis non delectatur, vt ipsa simplex est, ita simplici cõgaudet veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, infatigabili meliorũ expectatione omnia sustinens. Quid multis, etiamsi cætera excidant, siue continget aboleri prophetias, siue cessabunt miracula, siue minuentur linguæ, siue scientia antiquabitur, charitas tamen nunquam excidet, sed semper manebit animorum coniunctio.

Dotes et praxis charitatis.

Charitas a duratione commendata.

Atque hactenus præclaras quidem charitatis dotes, amplissimaque officia meritis encomiis ab Apostolo accepistis concelebrata. Quæ licèt immensa, atque magnifica existant, ita quidem vt sunt, quæ á nemine vnquam exornari satis queant pro dignitate: at nihilominus huiusmodi tamen hæc eadem sunt officia, quæ durante hac vita, supra terras solum, quas incolimus, mutuaque christianorum inter se commercia vlterius non egrediantur.

Nunc verò fidem vicissim, eiusque vim & admirabilis potentiæ energiam, quid ea non in terris, sed supra terras in cœlum se attollens, illic apud deum agat, quid valeat, quid operetur, sublata quantum licet, mentium altitudine contemplemur. Quæ interim dum charitas hic se inferius

Fides in cœlo quæ quantaque præstat apud deum.

us exerceat inter homines, ipsa dei regnum penetrat, vbi primum mediatorem filium ad dextram maiestatis sublimi contemplatione apprehendit, regnum perlustrat, regni gloriam opes diuinas spectat, potestatem ei datam toto cœlo & terra vniuersam admiratur. Patris promissiones in filio hoc mediatore sancitas apud prophetas exquirit, perquisitas intelligit, in cœlo certas & indubitatas cernit, quibus confirmata iam mens, in iisdem sese oblectat, gaudet, regnat, ac triumphat, denique his freta promissionibus, tuta iam ac inuicta fides aduersus furores satanæ, mortis potentiam, peccati terrores, inferorum portas, mundi malitiam, carnisque quantumuis frementes molestias, qua potest firmitate subsistit. Hinc conscientiæ læta tranquillitas, hinc pax & gaudium in spiritu sancto, hinc spes fiduciam suam, hinc charitas ardorem non nisi ex fide hauriens.

Mens etenim Christo per fidem suffulta ac communita, quid est, quod ad summam felicitatem vel votis sibi exoptet amplius? Denique quis ea præditus dicendi aut concipiendi facultate, qui bona omnia fando explicet, quæ fides per mediatorem humi adhuc hærentibus in cœlo comparat? Hæc hominem deo miserè perditū reconciliat: hæc impium peccatis deploratum iustificat, sola hæc in latrone paradisum aperit: in Centurione gratiam impetrat spiritus sancti: sola hæc in Petro claues accipit regni cœle-

cœlestis: sola publicanum iustificat: paralytico obtinet remissionem: hęmorhoissam sanat: Bartimæum cæcum illuminat: sola nos Deo filios adoptat: spem resurrectionis, vitamque conciliat æternam, mortem expugnat nulla vi alia superabilem: satanam profligat, qui alioqui nullis virtutibus nostris, nec charitati cedit, solo fidei scuto repellitur.

Atque de his quidem hactenus, quod reliquũ est, tibi nunc, quisquis es pie lector, liberam relinquo æstimandi copiam, quid de vtraque virtute sentiendum, quidq; chatitati tribuendũ putes, quæ vtrumq; primas sibi vendicare in iis rebus videatur, quæ ad cõmunẽ huius vitæ praxin humanaque spectãt obsequia, certe in iustificatione, in impetranda remissione apud deum, tantum abest, vt superior hac in parte sit charitas, vt nullas hic omnino sibi partes vendicare poterit. Quãquã quid verbis opus? quum paulus abunde se explicat, quo sensu charitas maior esse intelligatur, nẽpe ob durationem, quod ex iis, quæ sequuntur manifeste liquet. Ita enim subinfert: Charitas, inquit, nunquam excidit, siue prophetię abolebuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia abolebitur.

Charitas quo modo maior fide.

Rursusque quo modo fides maior charitate.

Aliud Argumentum ex D. Iacobo. cap. 2.

Abraham iustificatus est ex operibus.
Ergo fides sola non iustificat.

Respons.

Respons.

Respondebit non incommodè huic argumẽto D. Paulus. Quòd autem egregius patriarcha ad dei iussum non dubitans immolare filium vnice charissimum inde ex factis, autoritate Iacobi, iustificatus dicitur. apud homines quidem si intelligant, verum est: sin apud Deum, secus habet: nisi mentitur Paulus, lectissimum Christi organum, qui de operibus patriarchæ differens, si quid ex iis habeat, inquit, vnde glorietur apud homines habere affirmat: apud Deum, negat. Et quur apud homines, non apud deum? nisi quia hominũ alia iustificatio existat, alia dei. Humana siquidem iustificatio externo operum aspectu mouetur, eorumque ostensione ducitur. Atque de externa ostensione hac tota laborat Iacobi epistola, nihil agens aliud, quám vt fidem, qua apud deum gloriamur, recte factis ac charitate (quæ fidei salutaris comes est indiuidua) testemur viuidam esse, non fucatam nec infrugiferam. Vnde mox ait: Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex factis meis fidem meam. Ex quo facile res ipsa indicat, quænam sit iustificatio, de qua intelligat Iacobus quæ nimirum apud homines solum factorum egeat ostensione.

Iustificatio apud deum.

Iustificatio apud homines.

Iustificatio de qua loquitur Iacobus, quæ sit.

Iacob. 2.

Atque nec hoc ipsum Paulus, nec quisquam addubitat. Quis enim non fatebitur fidei necessariò iungendam esse charitatem, dignaque vitæ exercitia; quę nisi hominibus videantur, facile res ipsa

ipsa declarat, fidem non esse, sed inane nomen fidei, quæ titulo tenus duntaxat fides sit, vel vmbra potius fidei. Age, & quid hæc omnia contra iustificationem fidei? Non apparet hominibus viua fides, ex qua tanquam, ex radice viua non succrescunt frondes ac flores piorum operum, quid ergo, an fides ideo sine operibus non iustificat apud deum, quia non accedunt recte factorum testimonia? Recte, & quid si accedant hæc testimonia, quæ viuam hanc esse fidem hominum demonstrent iudiciis? Quæro, an tum iustificabit fides? Quid ni, inquies? Nec ipse equidem inficior. At quamobrem, peto? An propter opera, quæ ostenduntur hominibus, fides ideo iustificat apud deum, an opera potius placẽt propter fidem? Atenim quàm multa sæpe hominibus præclara videntur facta, quibus humana applaudit ratio, hominesq; ex iis sancti iustiq; existimantur, quum ipsa res aliter habeat? Atque hæc quidem humana illa iustificatio est, quam dixi, & de qua scribit Iacobus, quæ vt nonnunquam veré iustèque iudicet, multo sæpius tamen iudicando fallitur. Quid ita? Quia aliter habent iudicia dei, aliter iudicia hominum. Quis pharisæorum vitam contemplans, prolixas eorũ preces, crebra ieiunia, frequentes lotiones, solennes gestus, totamque externæ pietatis speciem ac pompam adspectans, non diuinos planè homines, deoque proximos diiudicaret: quum nihil essent minus? Quis hodie monachorum ac religi-

Humana iustificatio, quæ constat ostensione bonorum operum.

Externa operum species sæpe fallit.

gioſorum ordines inſpectans, vota, cœlibatum ieiunia, regulas, ordinis auſteritatem, obedientiæ profeſſionem, diſciplinæ rigorem, externo aſpectu aduertens, non in primo iuſtificatorum ordine eos adnumeraret, quum res ipſa longe ſecus habeat apud dominum?

Neq; interim minus hoc verum fateor, quod ſcribit Iacobus. Qui enim nulla tinctus virtute, nec ductus virtutis ſtudio fidem Chriſti titulo tenus profitetur, cui nulla vitæ ſuæ parte reſpondeat, recte equidem cum Iacobo dixerim, fidem eius haud magni æſtimandam. At quid ſi idē ſuprema vitæ hora ad ſe reuerſus, ſyncera fide ad Chriſtum cōfugiat, veniā imploret, totum denique ſe in Chriſtum cōiiciat, quid hic mihi dicet Iacobus, an non fides hunc ſola ſine operibus iuſtificabit? Exemplo vnus ſit pro multis, diuus latro, quem non alia res Chriſto commendauit comitemque in paradiſum adiunxerat, niſi fides ſola. Cuiuſmodi nec quotidiana ſæpe multorum deſunt exempla in patibulis morientium, vt mira ſunt Dei iudicia cōmiſerantis, cuiuſcunq; miſereri libeat.

Sed miſſis interim iis, ad Abrahamum orationem referamus. Cuius primum ſi fidem ſpectemus, quid ſincerius? Si opera, quid ſpecioſus, quid admirabilius? Vtraque igitur parte vir ſine dubio admirabilis. Conferamus nunc

iſta

ista, fidem illius, cum operibus: Quoniamque constat iustificatum fuisse apud deum, vtrum fide sit iustificatus, an operibus, perquiramus, quandoquidem vtraque simul parte iustificari non potuit, testante Apostolo, si ex fide, non igitur ex operibus: si ex operibus iam non ex fide. Quid his dicemus? Respondeat scriptura. Credidit Abraham deo promittenti, & reputatum est ei ad iustitiam. *Genes. 15.* Paruit etiam idem Abraham deo iubenti, & quur non æquè addit scriptura, imputatum hoc ei esse ad iustitiam? quod tamen additum nō legimus. Quid ita, quæso? *Gal. 3.* Respondentem audiamus Apostolum: Præuidens, inquit ille, scriptura, quòd ex fide iustificet gentes, prius rem lætam annunciauit Abrahæ: Et quænam res hæc læta tandem? illum hæredem fore mundi, & semen eius. Ingens *Rom. 3.* profecto promissio. At quo modo hæc accidit ei promissio ex fide, an ex operibus? In promptu est responsio Apostoli: Non per legem, inquit, promissio contigit Abrahæ, aut semini eius, illum hæredem fore mundi, sed per iustitiam fidei. Quid ita, Paule? Quur non per legem? quur per iustitiam fidei? Nempè vt esset ille pater omnium credentium, quibus imputabitur similiter iustitia, ingredientibus eiusdem fidei vestigiis, quæ fuit in præputio patris nostri Abrahæ.

Sed opponitur hic tota contentione aduersū ista pugnans Diuus Iacobus.

Quid.

Quid, inquiunt, an non Iacobus grauissima asseuerat autoritate, Abrahamum ex factis iustificari? An vos negabitis? Absit tantum nefas, vt detractum quisquã tantæ velit autoritati. At neque interim hoc postulabit, opinor, Iacobus, vt non scripturæ obtemperemus, quæ longe diuersa ratione nos instituens, iustificationem Abrahæ nó operibus tribuit sed fidei. Credidit enim Abrahã deo, & imputatũ id illi esse ad iustitiã legimus. In immolando filio, imputatum hoc ei ad iustitiam non legimus. At age, donemus hoc D. Iacobo. Quod astruit Abrahamum ex factis iustificari. Vbi quæso, aut quo modo? Apud deum? Id ipse Iacobus non affirmat. Apud homines igitur? id neque paulus ipse diffitetur: vt iam nulla videatur inter Paulum & Iacobum dissensio.

Cæterum sophisticis quorundam ingeniis minimè istud satisfacit, quibus satis non est, apud homines solum, vt docet Paulus, nisi apud deum etiam iustificetur ex operibus diuinus patriarcha. Quid enim, inquiunt, etsi prius iustificatus fuerit per fidem, at nihil id obstat, quo minùs postea possit ex operibus amplius iustificari, atque hæc secunda illis dicitur iustificatio. At contrà fieri id non posse, necessaria conuincitur ratione, eo quòd manifestam ea res implicat contradictionem: Sunt enim hæc contradictoria, non ex operibus iustificari: rursusque iustificari ex operibus. Quorum alterum æquum ab Apostolo negatur, alterum ab istis affirmari nullo modo poterit.

1. Rat.

terit. Accedit & alia ratio: Quòd si duplex sit iu- 2. *Ratio.*
stificatio, altera ex fide, altera ex operibus, inde
consequeretur, duplicem & diuersam esse iustifi-
candi rationem. Cæterum vna duntaxat eadem-
que est iustificandi ratio, quemadmodum vnus
est deus, vt supra ex Ambrosio ostensum est. Re-
linquitur proinde duplicem iustificationem nul-
lo modo statuendam. Adde huc tertio loco. Iu-
stificatio quum constet propriè peccatorum re- 3. *Ratio*
missione, nec cuiquam condonat deus admissa,
cui non perfectè & absolutè cõdonat: consequi-
tur idcirco iustificationem in iis, qui iustificantur,
plenam perfectamque esse, quę cumulatius per-
fici non possit. Supereſt denique vt argumento
huic pauli respondeant:

Quisquis iustificatur ex operibus, habet 4. *Ratio.*
vnde glorietur apud deum, Rom. 4.
Abraham non habet vnde glorietur apud
deum. Rom.
Ergo Abraham non iustificatur apud dé-
um ex operibus.

Ex his modo quæ ex Paulo, cæterisque adduxi-
mus satis constare arbitror, quid de operibus A-
brahæ sentiendum sit: quæ quãtumuis apud hõ-
mines eximia, dignaq; admiratione videri que-
ant: apud deum tamen gloriam nullam inuene-
runt, teste ac interprete Apostolo. Quid autem
in causa fuerit, non est, quòd in eo valde labore-

Tiletanus.

mus. Tiletanus, noſtrique cũ eo Ieſuitæ ex Auguſtino cauſam expiſcari videntur: quòd opera Abrahę non legis eſſent, ſed fidei, non carnis ſed gratiæ: quæ quoniam non ſola liberi arbitrii facultate, ſed in fide & in expectatione chriſti facta eſſent, ideo Chriſto laus omnis & gloria, nulla ipſis debebatur. Quæ etſi ſubtiliter magis, quã ac cõmodè ab ipſis cõmẽtata videãtur, tamẽ vt hæc omnia eis largiamur, nihil erit incõmodi: quũ vtrũq; pariter cum Paulo fateamur, Abrahamum patriarcham ex operibus, nec gloriam apud deum, nec iuſtificationem iuueniſſe: ideoque gloriam non habere quia ex operibus non eſſet iuſtificatus. Nam aliter ſi fuiſſet ille ex operibus iuſtificatus, haberet, inquit Paulus, quod gloriaretur. Nunc verò nihil habet apud deum, quod glorietur. Ergo ex operibus non eſt iuſtificatus. Atque hęc de argumentis hactenus aduerſariorum, quantum ni fallor, fat ſit ad commentitios eorum fucos, & captioſas fraudes non producendas modo, ſed etiam proterendas, qui pro inhærente ſua iuſtitia, contra diuinam ſcripturæ ſententiam, contra ſacram Euangelii fidem, & clariſſimam gratiæ lucem, contra ſuam denique ipſorum ſalutem depugnant tam ſolicitè. Supereſt porrò, quod proximus nunc locus poſtulat, vt quid ipſi ex aduerſo noſtris viciſſim argumentis, imo non noſtris ſed Diui Pauli probatiſſimis rationibus opponant atque reſpondeant, audiamus, quibus cauillis & ſtrophis clariſſimam Apoſtoli

postoli mentem obruunt atque eludunt, qua fraude verba contorquent, simplicem verborum sensum, genuinam doctrinæ rationem, alienissima interpretatione in dogmatis sui fauorem pertrahant, ac studio violant. Quod si ex insciția solum facerent, minus erat quur indignari, sed cõmiserari magis humanos errores communis deberet humanitas. Nunc perinde rem agunt, nescio quomodo, acsi doceri omnino nolint, quũq; in tã perspicua scripturæ luce, verũ non videre nequeant, oculos tamen vltro occludere malint, ne videant, certè ne credant conspicuæ veritati. Quod quo illustriùs in oculos omnium incurrat contrarias nunc solutiones aduersariorũ, & fraudulentas captiones, quibus partes suas tuentur, aduersus nostra argumenta in medium proferamus. Quoniamq; octo potissimum argumenta ex D. Paulo succurrunt, quæ maximè papistis opponimus, quid his respondeat papismus Romanus, exponere hoc loco non inutile duximus.

RESPONSIONES ADVERSARIORVM CONTRA OCTO ARGUMENTA D. PAVLI, CVM EARVM RESPONSIONVM REFVTATIONE.

EX operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati; nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est, testificata à lege & propheris. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes &

super omnes qui credunt. &c. Quod & confirmatur iis verbis ad Galatas. 3.

Gal. 3. Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non iustificatur omnis caro. &c.

Ex verbis Pauli astruitur gratuita iustificatio per fidem. Apello hic doctam tuam æquitatem, pie lector. Quis hæc Pauli verba æqua ratione expẽdens, aliud hinc colligat, quám quod verba simpliciter pr se ferunt. Nempè vt opera legis ab omni iustificandi commercio prorsus excludãt? Si excluduntur opera, quid igitur est, de quo minus dubitari possit, quàm sola nos fide iustificari. Amãbo quid Paulino hoc argumento solidius? quid locutione simplicius? quid verbis familiarius, si dextra ac familiaris citra sophisticam accedat interpretatio? Si teste Paulo, non ex operibus aut cultu legis, sed fide iustificamur absque operibus, quis id negabit, sola fide constare iustificationem nostram, nisi qui Apostolo Paulo, Imò qui spiritui sancto nefariè se opponat aduersarium?

Sed spectat hic fucum, vel malitiam potius humanæ peruersitatis. Verba quidem Apostoli non apertè reiciunt, sed sensum pro suo more & ingenio attemperant. Non negant excludenda quidem opera, sed specta captiosas sophistarum insidias, lepidum distinctionis commentum aduerte, quo simplicitatem Apostolicæ doctrinæ eludunt. Ita enim opera eorum iustificationem in partes dissecant, vt alia legis opera esse, alia

gratiæ

gratiæ dictitent. Atque illa quidem quę legis fuit opera, omninò inutila ad iustificationem : hæc nullo modo omittenda statuunt. Cum hac itaque distinctione respondent ad verba Pauli. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. &c Vt sensus sit : Nullus propter opera sua, quæ ipse fecit, velut ex vi & merito operum suorum, non ex vi & merito infusæ gratiæ, iustificabitur corã Deo. Ex operibus enim aliquid fieri apud paulũ tunc dicitur, cum fit ex debito, & propter ipsa opera. Quare cum duplex sit iustificatio, vt aiunt, altera ex gratia operandi infusa: altera ex debito legis, secluſa gratia: excluditur hic iustificatio operum, & quicquid iustificationi ex gratia contrarium est. Sicque recté constat, vt ipsi interpretantur, sententia Apostoli : Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam , sed secundum debitum, acsi diceret, quod ex operibus, seu propter ipsa datur, non datur secundum gratiam, sed secundum debitum. Excluditur hic ergo iustificatio illa, quæ fit secluſa gratia , non illa iustificatio , quæ ex operibus fit cum gratia adiutis, &c.

Andr. Veg. de iust. pag. 751.

Rom. 4.

Quid sophistis istis dicam aut respondeam aliud, nisi vt precibus postulem mentem illis dari meliorem, qua desistãt aliquando spiritui sancto resistere , ac tenebras opprimendæ veritati offundere. Quis non sensum hunc alieniſſimum esse perspicit à verbis & mente Apostoli, vt vllis vnquam operibus salutis nostræ fiduciam adscri-

bat,cum diuersum planissimè edicat ac doceat, negans nos aliter iustificari, quàm fide absque operibus legis. Quin ne isti quidem hoc negant eo sensu,vt exclusiua de operibus legis intelligatur,non de operibus gratiæ. Age, & quæ sunt tãdem opera hæc gratiæ? Ea nimirum, quæ influens Christi gratia in animis perficit renatorum. Quid ergo , an non Romani ipsi ad quos hæc scripserat Apostolus,renati in Christo? an non eiusdem gratiæ participes erant? an non operibus gratiæ feliciter affluentes? quos tamen negat Apostolus ex operibus suis iustificari? Verũ,inquiunt,si de suis operibus,quæ legis dicuntur, non quæ Christi sunt opera, intelligas. Ridiculum. Quasi quæ Christi afflatu diuinitus nobis inserũtur,non nostra eadem esse sæpe etiam dicantur. Quemadmodum fides,quũ in donis dei permaximè censetur,tamẽ nõ abhorret scriptura ab hoc dicẽdi genere,vt eandẽ hãc fidẽ & nostrã appellet,& vestrã. Quid,quũ Paulus,per mutuã,inquit fidẽ, meã,& vestrã. Et rursus,audiens fidẽ vestrã, &c.& iterũ de ea loquens, quæ in Christo est,inquit,fides vestra,&c. an nõ apertè de ea intelligit fide,quæ dei dono viget in nobis erga christũ? Et qui minus idẽ de operibus intelligẽdũ, quæ quũ Paulus excludat à iustificatione, haud dubiũ est, quĩ de operibus sẽtiat,nõ quæ nostra solũ nostrarũq; sũt viriũ,sed quæ gratiæ sũt etiã in nobis operãtis,ita vt nihil sit ónino in operibus legis,siue in lege,siue ex lege, siue ex gratia, præter solã fidẽ quod

Papistarum distinctio inepta & insulsa.

Rom.1.
Ephes.1.
Coloss.2.

quod nō ad exitiū potius, quàm ad iuſtificationē cōferat. Quid vſquā in lege dei perſcriptū, quod ſine gratia cōfici á nobis poterit. Quare quū Paulus opera omnia ſemouet à iuſtificationis miniſterio, fieri nō poteſt, quī & ipſa etiā gratiæ opera intelligat, quū opera ſiue noſtra, ſiue legis excludit à iuſtificādo? Quid de Chriſti operibus, an nō legis illa fuiſſe opera dicemus: præſertim, quum ex ipſo audiamus, non veniſſe ſe vt legem ſolueret, ſed vt perimpleret? Quid an non eadem quæ perimpleuit, gratiæ etiam fuerunt opera? Et quid nunc intereſt igitur inter ea, quæ legis, & quæ gratiæ opera dicuntur, ita vt qui legis opera excludat à iuſtificatione, idem & gratiæ opera eodem modo excludere videatur? Quanquam ſcio inter legem, & gratiam plurimum eſſe diſcriminis, ſi modum agendi, fineſque officiorum ſpectes. Quod lex enī exigit, id præſtat gratia. Cæterū quod ad res ipſas & actiones attinet, in quas diriguntur, quum in eadem materia ſubiecta vtraque verſetur, & lex, ſimul & gratia dei, nullum eſt diſcrimen. Vt diligamus proximum mandat lex, non obſeruantem ſupplicio vindicat, vt obſeruemus autem quod mandatur, gratia vires addit perficiendi. Quod ipſum cum perficimus, non opus ſolum gratiæ, ſed opus legis per gratiā perficere dicimur, vt quod ad operis titulū quidem attinet, haud magni refert, vtrū opus legis an gratiæ, vtrū opera noſtra, aut fidei dixeris. Quamobrem ſi ex operibus legis negat ſcrip-

Diſcrimen inter legem & gratiam in quo conſiſtit.

ſcriptura hominem iuſtificari, ſed alia cauſa nempe fide: quid aliud hinc intelligendum, niſi vt neque legis, nec gratiæ operibus hominis conſtare iuſtificatio videatur. Non aliter, acſi quis ad amicum ſcribens, ita dicat: Beneficium hoc ei nullis pecuniis aut ſumptu ſuo comparatum; quid hic refert, pecuniæ illæ propriæ fuerint, an aliunde mutuatæ, quum mens ſcriptoris id voluit, hoc quicquid ſit beneficii, nullo accipientis pretio emptum, ſed gratuito ſolum donantis fauore acceptum intelligi.

Similitudo.

Sic Paulus volens immenſam diuinæ gratiæ amplitudinem erga genus humanum cunctis ſpectandam atque amplectendam proponere, diſertè negat iuſtificari hominem ex operibus legis. At prodit hic vt dixi, Hoſiana diſtinctio, verum, inquit, ex operibus iis, quæ legis ſunt, aut quæ liberi arbitrii noſtri propria exiſtunt, quæ quum laborant imperfectione, nihil ad iuſtificationem conferunt. Audio ac reſpondeo, idque vno verbo. Da igitur gratiã illam quæ vires perfectas imbecilli naturæ ſubminiſtret ad perficiendam legem, quæque perfectæ innocentiæ nos in hac vita reſtituat, nihil reſiſto. At interim videant iſti qui hæc diſputant, quot quantæque ex hoc doctrinæ genere enaſcuntur nocentiſſimarum abſurditatum peſtes. Tollitur gratuita diuinæ erga nos clementiæ immenſitas, perit noſtra erga illum accepti muneris gratia, iacet conſcientiarum conſolatio, non ſine luculenta fraude

Hoſiana diſtinctio.

&

& iniuria tum illius, qui præstitit, tum maximè eorum, in quos conferuntur tot tantaque diuinæ benignitatis munera. Fit denique vt in promissione Dei nihil certum, nihil in fide nostra firmum in doctrina religionis nihil sanum, in vita, in perpessionibus sanctorum nihil iucundum, nihil delectabile relinquatur.

Secundum argumentum ex Diuo Paulo.

Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ ipsius in hoc tempore, vt ipse sit iustus & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Et iterum. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus. 2. Argu. ex Paulo. Rom. 3.

Nisi boni hi viri, contra quos agimus, egregiè producti ad subuertendas vias domini viderentur, fieri certè non potuit, quin hæc tam aperta atque expositа Apostoli dicta satisfacere atq; persuadere eis potuissent, vt caueant aliquando contra Apostolica instituta λαικῆζειν, contra lucem diuinæ gratiæ tam manifestam, tam superbè iustitiæ suæ cristas attollere. Sed incurrant hic iterum Romanæ legiones, atque in his primipilus Andreas Vegus, contra fidei iustitiam velitãs, cui quid hic respondeam non habeo. Euocatus siquidem ex hac vita iamdudum hinc demigrauit, Andr. Vega.

uit, respondsurus iam Deo suo. Quoniamque renuit fide Christi sola se iustificari, quid nunc respondsurus sit iudici suo, ipse videat, in eo iudicio, in quo totius vitæ reddenda ratio est, vbi aut vincendum ei aut cadendum sit necessariò. Si vincat, vbi tunc scripturæ veritas, qua deus vincere solus dicitur cum iudicatur? Sin cadat, vbi iam iustitia operum? Quod si Dauid & Rex & Propheta tantus, vim tantam iudicii diuini sustinere non valuit: Si Iob vita tam spectata & integra, in hoc tamen iudicio, non sit ausus vnum respondere pro mille: Vega noster quid dicet, quid adferet, Cucullas suas, ieiunia, Chaumenias, nocturnas vigilias, vota monastica, ordinis grauamen, preces liturgicas, psalmorum modios, Missas propitiatorias, confessiones submurmuratas, satisfactiones pœnitentiarias? At quis requisiuit hæc de manibus vestris? Non, sed lege ipsa se tuebitur, quam non viribus liberi sui arbitrii, sed ope diuinæ gratiæ perimpleuit. Quid ego audio? Dauid tanta Dei gratia, si quis alius, communitus, pondere diuinæ legis oppressus succubuit. Iobo nõ defuit diuina opinor gratia, & tamen iudicii examen deprecans cõparere nõ audet. Et audebit Vega monachus, talẽq; se vitam allaturũ confi-

Esai. 1.

Aug. de perfect. iustit. Cum vero iustus sederit in Throno, quis gloriabitur castũ se habere cor? aut quis gloriabitur mũdum se esse à peccato nisi fortè isti, qui volunt in sua iustitia, non in iudicis misericordia gloriari?

confidit ad hoc tribunal, quã si inspexerit Dominus, libretque ponderibus suæ iustitiæ, vt cum Augustino dicam, non plura in eo peccata quám merita inueniet? Sed nimis vrgeo hominem. Mitto iudicium Dei. Nec quæro iam quid Deo iudici respondeat, cui nunquam scio cũ ồni sua inhærẽte iustitia satisfaciet, verũ id peto, nec à Vega solũ, sed à toto etiã Tridẽtin. genere, quid Paulo respondeat Apostolo, qui aperta execratione non homines modo, sed & Angelos ipsos prosequitur, si quis Euangelhũ aliud promulgare audeat, quàm ab ipsius prędicatione sit acceptũ. Age, & quodnam euangelium Pauli prædicatione accepimus? An non hoc ipsum, quod tot suis Epistolis, nobis vbique inculcans, tanto labore ingeminans, nec minus etiam miraculis cõfirmans, quod docuit, docensq; quod confirmat? Confirmat autẽ, iustificari hominẽ sine operibus, gratis per gratiã ipsius, per redemptionẽ, quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus propitiatorẽ per fidem in sanguine ipsius. An non hoc Pauli Euangeliũ est? &c. Et Vega non contẽtus hoc Euangelio, nec execratione deterritus Apostoli, eo prorũpet audaciæ, vt quod affirmat Paulus, id ipse infirmare sit ausus? Gratis, inquit ille, sine operibus. Quid iste? Gratis, inquit, sed non sine operibus. At quo modo iam gratis, si non sine operibus? Iustitia dei, inquit Paulus, per fidẽ Iesu christi, in ồnes & super ồnes qui credũt. Quid Vega cũ suo Hosio Pauli hoste? Signũ inquit

Euangelium quod prædicat Paulus, quale sit.

Rom. 3.

inquit, vniuersale, *Omnes*, non distribuit hic pro singulis generum, sed pro generibus singulorũ, vt sensus sit: Iustitia communicatur iis, qui credunt, siue Iudæi sint, siue gentiles hęc Vega.

O sancte Paule, quæ hæc tua siue incuria, siue imperitia sermonis fuit? Saltem ex Vega concinnius loqui atque stylum ad Romanæ curiæ elegantiam perpolire tuam debuisses in hanc videlicet formulam. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, ac non in omnes solum, sed etiam in singulos, & super singulos præsentes & futuros, qui credunt, quo sic non genera solum singulorum, sed singulas etiam species generum & specierum indiuidua pariter complecti potuisses. Imo extra iocum, vt glorioso Hispano seriò respondeam. Tuum erat potius si nicam, Vega, habuisses bonæ mentis, ad diuinam Pauli mentem spiritum erroris tui corrigere: nec sutelas istas ociosæ vanitatis innectere, nec fumos istos tuæ ineptiæ frustra venditare debuisses. Quis enim non deprehendit claram ac perspicuam Paulinæ sententię simplicitatem, qua non solum Iudæis & gentibus in genere, sed singulos etiam eorum omnium, quicunque, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus in Christum veré credunt, communionem vitæ ac iustitiæ æternæ per fidem enunciat? Quod si Apostolus simul cum vniuersali signo non adscripsisset propriam rei notam, ac singularem obtinendæ iustitię conditionem, poterat fortassis videri non omnino nihil, quod notaras

Commentum papisticum de signo vniuersali euertitur.

tatas. Verbi gratia quum ſcriptura ſic loquitur. Erunt omnes docti à Deo: vult Deus omnes homines ſaluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire,non abſurdè poſſit aliquis ſignum vniuerſale,cum Auguſtino interpretari eodē modo, quo tu non ſingulos ex omnibus, ſed ex omni hominum & gentium numero quoſdam ſegregas, ad quos diuinæ agnitio veritatis pertingat. Cæterū in Paulina poſitione aliter res habet, vbi Apoſtolus cum ſigno vniuerſali peculiarem inſuper propriamque rei notam apponit: ita vt iuſtitiam Dei non ſolum in genere omnibus commu nem faciat,ſed certam etiam rationem, qua eadem ad omnes perueniat,& ad quos peculiariter pertineat,diſertè adſcribat iis verbis: Per fidē, inquit,Ieſu Chriſti,in omnes & ſuper omnes qui credunt. Ex quo neceſſariò relinquitur,ſuam cuiuſque iuſtitiam in eo conſiſtere,vt quiſque ſyncera imbutus fide in Chriſtum credat,eumq; amplectatur κατὰ τὸ προφήτης. Iuſtus ex fide viuet.

Aug. de prædeſt. ſanct.lib.1.ca.8.

Abac.2.

Sed iterum vrgentem hic ſophiſtam audiamus. Quod autem iuſtus, inquit, ex fide viuet, quodq; Deus hominem iuſtificare per fidem dicitur,non rectè hinc colligitur opera non eſſe neceſſaria. Aliud enim eſt viuere ex fide: Aliud viuere ex ſola fide: Aliud iuſtificari ex fide,& iuſtificari ex fide ſola. Quod ſi inueniatur aliquando in libris catholicorum Doctorum,ſola fides, verbo illo, Sola,non excluduntur bona opera, ſed excludū-

tur

tur omnes aliæ sectæ, & viæ ad salutem præter solam fidem, & religionem Christi. Hęc Vega. Cui vt respondeam, primum quod ex eo colligit opera non esse necessaria, quia iustus ex fide viuit, eadem ratione colligat ex vite labruscas. Neque enim sequitur huius connexionis ratio: Iustus ex fide viuet, Ergo opera non sunt necessaria, quę & ipsi cum Paulo nihilominus necessaria ducimus, πρὸς τὰς παραιτήσεις χρείας. deinde quòd addit, aliud esse dicti tans iustificari ex fide, aliud iustificari ex sola fide: vt hoc fateamur, tamen quid inter hæc interfit, iustificari ex fide sine operibus, & iustificari ex sola fide, haud multum equidem intereſſe video: Tertio, quod de verbo, Sola, ex commento cerebri sui cauillatur, quid ea vox excludat, aut non excludat in libris catholicorum, haud multum de eo contendimus. Apud Paulum hoc certò constat, opera ipsa, quamlibet alioqui sua quadam dignitate eximia, suoque loco aliàs necessaria, tamen in gratuito hoc Euangelicæ iustificationis munere excludi sine vlla controuersia. Quanquam neque illud etiam verum est, quod de libris catholicorum falsò assumit. Siquidem Basilius (vt vnũ pro multis producam) quid aliud hac dictione exprimit, vbi apertissima voce suam cuique propriæ iustitiæ gloriam abrogans, πίστει μόνῃ τῇ εἰς Χριστόν vnumquemq; nostrum iustificatum esse atteſtatur. Ideoque adducto mox exemplo Pauli, hoc ipsũ cõfirmat, καὶ καυχᾶται Παῦλος, &c

Opera necessaria esse nemo negat.

gloriatur

gloriatur, inquit, Paulus, in contemptu propriæ iustitiæ. Possem & eiusdem in psal. 32. verba non minus expressa attexere: vbi virum describens perfectum eum esse definit, qui non suis ipse benefactis confidat, ἀλλὰ μόνῃ ἐλπίδι, in sola dei misericordia habeat reconditam. Cum Basilio Nazianzenum, iūctissimum illi sodalem adiungamus censeo: qui verbis Basilii, apposito suo calculo, subscribit in hunc modum: iustitia nostra, sola fides est. Basil. in psal. 32. Nazianz.

Sed pergamus ad ea, quæ restant Pauli testimonia. Octo enim (vt supra commonui) ex D. Paulo assertiones pro fide iustificante Vega cū suis congerit.

Reliquæ verò quinque Apostoli assertiones eum adiunctis aduersariorum respōsionibus hoc ordine consequūtur.

3 Assertio Rom. 4. Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet quo glorietur, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam, Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credit autem in eum qui iustificat impium, fides imputatur ad iustitiā. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui deus imputat iustitiā sine operibus. Itidē. Ro. 11. Si per gratiam, non iam ex operibus. Si ex operibus, non ex gratia. 3. Argument. D. Pa. Ro. 4.

4. Assertio

4. Argument. Rom. 10

4. Assertio. Rom. 10. Si confitearis ore tuo dominum Iesum & in corde tuo credideris, quòd « deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde « enim creditur ad iustitiam. Ore confessio fit ad « salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit « in illum, non confundetur. Non est distinctio Iudæi, & Græci: Omnis enim qui inuocauerit nomen domini saluus erit.

5. Argum. Act. 13.

5. Assertio Act. 13. Notum sit vobis viri fratres quod per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, Vt ab omnibus, à quibus non potuistis in lege Mosi iustificari, per hunc omnis qui « credit, iustificetur.

6. Argum. Act. 10.

6. Ratio. Act. 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum « « rum accipere per nomen eius, omnes qui credũt « in eum.

7. Argument. 1. Cor. 3.

7. Rat. 1. Cor. 3. Fũdamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est « Christus Iesus. Si quis autem superædificat supra « fundamentum hoc, Aurum, argentũ, &c. Si cuius « opus arserit, ipse detrimentũ patietur, ipse autem « saluus erit, sic tamen quasi per ignem, « &c.

8. Argument.

8. Argumẽtum colligitur ex multis eorum exemplis, qui per solam fidem iustificati sunt, & ad baptismum admissi vt ter mille eorum, qui die Pentecostes prædicante Petro crediderunt, & baptizati sunt. Act. 2. & Eunuchi, quem baptisabat philippus. Act. 8. Et Carcerarii, eiusque familiæ,

liæ, quam baptisabat Paulus. Act. 16. &c. Ex quibus modò exemplis arguitur: Vt baptisetur quis, satis est fides, apud Apostolos. Ergo, & vt iustificetur.

Ex iis scripturæ firmamentis satis communita, ni fallor, constat huius doctrinæ ratio, quæ iustificationem impii, non operibus cum fide coniunctis, sed fidei sine operibus simpliciter accómodat. Quoniam verò non cum moderatis ingeniis, sed cum spinosis sophistis hic agitur, Apostolum ipsum è templis paulisper in scholas deducamus, qui conserta manu cum ipsis confligat suis ipsorum telis, & argumentis.

Iustitia legalis, seu operum: & iustitia fidei ita sibi aduersantur, vt simul consistere nequeant, quin altera alteram necessariò excutiat. Rom. 10.

Cæterum nos ex fide iustitiam expectamus.

Argumenta ex Paulo.

Ergo. Non ex iustitia operum.

Rursus.

Si secundum gratiam, iam non secundum debitum.

Cæterum secundum gratiam imputatur nobis ad iustitiam.

Ergo. Non secundum debitum.

Adhæc.

Rom.4. Cui tribuitur beatitudo, eidem tribuitur & iustificatio.

Beatitudo nostra ascribitur remissioni peccatorum.

Ergo. Iustificatio nostra ad remissionem peccatorum refertur.

Aliud.

Si opera sint necessariò ad salutē adhibenda, salus non iam consisteret in fide cordis, & oris confessione.

Rom.10. Salus autem nostra in eo consistit, nempe vt confiteatis ore tuo Dominum Iesu, & corde in eum credas.

Ergo. Operum necessitas ad salutem minimè exigitur.

Aliud.

Si opera conducerent, vt Abraham iustificaretur apud Deum, haberet ille ex operibus gloriam apud Deum. Rom.4.

Rom.4. Abraham nullam habet gloriam ex opebus apud Deum.

Ergo. Opera nihil conducunt ad iustificationem.

Rursus.

Act.13. Ex lege Mosis nemo iustificari potest. Act.13.

Omnis operū doctrina spectat ad legem Moysis.

Ergo.

Ergo. Ex omni doctrina morum aut operum nulla gignitur salus.

Aliud ex loco Pauli. 1. Cor. 3.

Quisquis super Christum fundamentum fide comprehensum superaedificat siue aurum, siue fœnum, aut stipulam seruabitur, vel sine igne, vel per ignem. 1. Cor. 3.

Ergo fides sola sine vlla operum accessione salutem parit.

Inductio ab exemplis.

In scripturis permultos iustificatos & baptisatos comperimus nulla audita operum vel interrogatione vel mentione. Die pentecostes 3000 ad baptismum admissi sunt & baptisati. Act. 2. Eunuchus à Philippo baptisatus. Act. 8. Carcerarius eiusque familia. Act. 16. Mulier peccatrix, quam fides saluam fecit. Luc. 7. Filius perditus & prodigus. Luc. 15. Publicanus peccator. Luc. 18. Latro dexter. Luc. 23, aliique inumeri salute donati sunt nulla hic interposita operum conditione. Argumentum ab exemplis. Act. 2. Act. 8. Act. 18. Luc. 7. Luc. 15. Luc. 18. Luc. 23.

Ergo. Fides Christi sola peccatorem humilem & pœnitentem iustificat.

Ad hæc tam dilucida quid isti è diuersa parte obmussitant, quibus argutiis & distinctiunculis suum hunc Romanissimum inhærētis iustitiæ propugnant, libeat paululum, (si non discendi, at Inhærens iustitia.

rideridi gratia) subauscultare. Ac primum, quòd ad Antithesin illam Paulinam attinet, qua distinguit Apostolus inter operantem & non operantem: inter opera mercenaria, & iustificationē sine operibus imputatam: inter debitum & gratiam: inter iustitiam legis, & iustitiam fidei: eam quo modo præclari isti viri suis offutiis obnubilant atque imoluant, attendamus. Siquidem vbi arguit hunc in modum ex lege oppositorum Apostolus: Si ex gratia, iam non ex operibus. Sin ex operibus, non iam ex gratia. &c. Etenim si ex lege est hæreditas, iam non ex promissione. &c.

Rom. 10. Rursusque distinguens inter iustitiam legis & Euangelii, sic alteram ab altera diuellit, vt manifesta cernatur distantia. De iustitia, inquit, quæ

Gal. 3. ex lege est, ita commemorat lex ipsa. Qui fecerit ea, viuet in eis. Cæterum quæ ex fide est iustitia, ea quid dicit? Nempe, si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & corde credideris, quòd

Rom. 10. deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Quid hac distinctione lucidius? Quid verbis simplicius? Cæterum quid vnquam tam dextrè, tā commodè, vel animo concipi, aut verbis exprimi possit, quod non aliquo sinistræ interpretationis fuco, in quamcunque velit partem, improba cauillandi libido distorqueat? Quid, inquiunt, An non dei dona sunt pia opera? Annon charitas

Cauillatio sophistica. diffusa in cordibus sanctorum per spiritum sanctum fidelium animos inflammat, accenditque ad omnia quæ honesta sunt, eoque digna? quæ chari-

charitatis opera quum coronat in nobis deus, nõ tam nostra, quàm propria ipsius in nobis bona & dona coronat. Neque enim nostra, aut ope vlla nostrarum virium susceptа, sed dei sunt opera, quę Deo autore capessimus, nec aliter quàm ad gratiam illius referenda. Vnde & gratiæ diuinæ sæpe in scripturis nomen accipiunt. Quemadmodum & Paulus de seipso testatus, Gratia dei (inquit) sum, quod sum. Age, & quorsum hæc tandem tam multa? Nempe verò, quum ita res habeat, vt gratia hæc operandi, nulla humana pa retur industria, nec viribus naturæ nostræ, nec studio vllo legis, nec meritis aut operibus nostris vllis præcedentibus, sed per fidem, & meritum solum Christi ad eam peruenitur: Eò fit, vt recte dicat Paulus, fide nos iustificari sine operibus; de his nimirum sentiens, quæ naturæ opera sunt, nõ gratiæ: quę hominis sunt propria, non dei: quæ legis opera dicuntur non fidei. Legis autem opera intelligit Apostolus, quæ quis facit ex sui arbitrii libertate, soloque legis aut naturę dictamine, sine adiuuante gratia. Atque ad hæc quidem opera propriè pertinet Antithesis illa Paulina, qua distinguit ille iustificationem ex operibus legis, contra iustificationem ex gratia, aut fide: ita vt si per gratiam, iam non ex operibus, illis nimirum, quæ ex natura, non ex gratia fiunt: Sin ex operibus, non iám ex gratia. Quandoquidem gratia (inquit) non iam est gratia. Quæ antithesis sic intelligenda est, iuxta Quirites istos Roma-

Responsio ad cauillationem.

Gratia quomodo iustificat apud pontificos.

Operum duplex consideratio, quatenus vel ex gratia sunt, vel ex natura.

nos, vt gratia non omnia prorsus opera euertat, nisi illa solum, quæ propriæ naturæ viribus sine gratiæ adiutorio, vt aiunt, præsumuntur. Contra verò, quæ ex gratia & fide proficiscuntur pia opera, eorum iustitia adeò non excutitur per gratiam, aut iustitiam fidei, vt magis etiam per eam confirmetur. Neque enim lex, autore Augustino, per fidem euacuatur, sed potius statuitur, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur.

Aug. De spirit et litera, cap. 30.

Itaque vbi distinguit Paulus inter iustitiam operum, & iustitiam fidei: huic distinctioni ita respondet factio catholica, vt nequaquam opponatur, hoc in loco, iustitia legis, cum iustitia fidei (vt ipsorum verbis vtar) sed vt opponatur iustitia ex lege, vel in lege cum fide et iustitia. Quæ autem iustitia sit ex lege, vel in lege, illam esse dicunt, quæ ex obseruatione legis, sine gratia, per naturæ vires præsumitur. Differunt siquidem ista inter se non parum. Aliud est enim iustitia legis, aliud iustitia ex lege, vel in lege. Ex quo discrimine ita demum concludunt, quòd iustitia fidei, siue ex fide, non excludat iustitiam legis, sed versatur circa illam, & implet illam: quatenus nimirum lex obedientiam mandatorum significat, quam fides gratiam impetrando perficit: Quoniamque legem perficit gratia dei, certissima ea causa est, cur opera legis, quæ dona sunt dei, à iustificatione excludi non debeant, nihilo magis quàm ipsa fides, qui

Iustitia ex lege, quæ sit.

Iustitia legis. Iustitia ex lege, vel in lege.

fides

fides æque donum dei existat, atque opera legis & charitatis per gratiam dei infusa. Atque hoc vno lemmate, ceu delphico quodam gladio, superiora ferè omnia argumenta dissolui posse putat Andreas Vega, & qui eiusdem scholæ vnquam fuerunt alii.

RESPONSIO AD ADVERSARIOS, qua futiles ipsorum argutiæ & cauillationes sophisticæ redarguuntur.

VEtum sophistica hæc distinctionum inuolucra, quibus pro pharmacis illi & antidotis vtuntur ad expediendas difficultates, adeò nihil ad rem faciunt, vt nulla cicuta, nullum aconitum salutari doctrinæ magis inimicum ac lethale videatur. Nec mirari satis queo, quæ tanta efficacia illusionis sensus istorum obstupefaciat, vt in ipso meridie, tam clara in luce, cæcutiant tam crasse, impingant tam perniciosè, in cæno sistam prodant tam insulsè. Iureconsultorum ratio est, & regula (vt supra retuli): vbi lex non distinguit ibi nos distinguere non debemus. Et quorsum hic opus igitur in re tam manifesta, tot distinctionum ambagibus, tam operosis argutiis, tot perplexitatum laruis & labyrinthis? Quippe cùm expressa sint Pauli verba, grauissimaque argumenta, quibus dilucidè explanat, solam esse Dei gratiam, cui omnis debeatur iustificationis

Iureconsultorum regula.

nostræ ratio, hoc illi sic inuertunt, vt gratiam hãc, non in solo dei fauore, quo indignos peccatores, Christi causa complectitur, sed in subministratione virtutum & charitatis, qua lex impletur, cõstituendam affirment. Atque vt hoc non differat eximia quidem charismata honestarum actionũm in nos diffundi per dei gratiam. Ex hac tamen operãdi gratia, minimè certè diffluit nostra apud deum iustificatio. Quam igitur de gratia ignoscente, & renouante afferunt distinctionem non valde repudiamus, si suis se finibus rectè continerent. Nunc verò quod hinc concludunt, id prorsus improbamus. Scio ac fateor gratiam esse dei, quæ & sanctificat, & iustificat: quę & ignoscat, & quæ renouat. Renouamur enim quotidie in nouam vitæ obedientiam afflatu diuinæ gratiæ. Esto sanè, at non renouamur in hũc finem tamen, vt per hanc obedientiæ nouitatem iustificemur: sed ante renouationem, prius iustificamur per fidem filii dei, deletis superioris vitę maculis, propter Christum, in quem credimus: Cui deinde iustificationi succedit renouatio inchoatæ obedientiæ, non quæ hominem à peccatis iustificet apud deum. Non enim iustificandũ antecedunt bona opera, sed sequuntur iustificatum. Nam quòd duplicem hinc statuunt iustificationem, primam (quam vocant) & secundam: quarum altera prior sit operibus, alteram præcedant opera, eamque perficiant, plusquam futile est nugamentum, non é fontibus sanæ doctrinæ,

Aug. de fide et operib. cap. 15.

sed

sed ex putidis sophisticæ mateologiæ cisternis depromptũ ac confarcinatum. Euangelica siquidem professio iustificationem nullam nouit præter vnam, eamque perpetuam.

Quemadmodum quos diligit Christus, in finem diligere dicitur, atque vt semel elegit vocauitque deus ad salutem, quos perpetuo vult iustificare: ita & semel iustificat ille, quos vult glorificare. Neque enim discrimen inter ista video, quin quod electioni conuenit & vocationi, itidẽ & iustificationi tribuatur. Quamobrem quum vna sit, non duplex dei electio & vocatio eorum, qui iustificantur, quid ni pari consequitur ratione, vnam esse iustificationem eorum, qui eligũtur. Quòd si igitur semel eos elegit deus, qui sũt iustificandi quî minus & vna sufficiat iustificatio his, quos ad gloriam vocauit electio? præsertim quum vna eademque & eligendi, & iustificandi causa ratioque conueniat. Elegit primum in Christo, quos vitæ destinauit: Itidem & in Christo iustificat, quos ad gloriam præfiniuit electio. Cur autem in Christo eligit suos Deus, si causam postules: Respondeo, causam nullam in operibus hominum, sed ex dei gratuito solum fauore esse positam, nec aliud de iustificatione existimandum. Quos enim iustificat, in Christo quidem iustificat. Cur autem in Christo, si petas, in promptu causa est, quæ non in operibus nostris, sed ante opera omnia in solo dei fauore comperietur.

Causa in Christo solo cur eligimur et iustificamur.

At

At dices, non rectè ista inter se comparari, quæ natura discrepant. Electio enim & vocatio dei & glorificatio eiusmodi sunt, quę à deo semel definita euerti postea nequeunt. At aliter res habet in iustificatione, quæ nunc amitti, nũc retineri poterit, prout peccatis hominum vel impediatur dei gratia, aut nõ impediatur. Sic enim habet bonus ille Vega noster, cum Scoto & aliis. Quibus vt respondeamus; Equidem fateor, si talis esset iustificationis nostræ ratio, qualem ipsi confingunt, quæ operibus potissimum, virtutumq; incrementis niteretur, verũ id quidẽ esse quod astruũt, de instabili iustificationis vel amittẽdæ vel retinẽdæ conditione. Nunc quũ nullo modo ex operibus (quæ varia atq; incerta sũt) sed ex dignitate Christi per fidẽ, & ex remissione per Christũ omnis pendeat iustificationis nostræ firmitas: eo fit, vt quẽadmodũ vna dei constat electio & vocatio, eaq; certa & immota, isidem & iustificatio non gemina, sed vna eademq; perpetua sit statuenda. Vnam autẽ dico, quòd vna eadẽq; semper causa atq; ratio iustificãdi permaneat, quæ nõ operũ meritis nitatur, sed fide, & remissione peccatorum consistat. Etsi verò peccata, à quibus iustificamur, nõ vnius generis aut cõditionis existũt, sed tẽporibus, & actionũ varietate discriminãtur, at iustificatio tameh

Vega. de fide & operibus q. 2. pa. 754. Satis est, vt si non aliunde peccatis nostris impediamus gratiam dei, per hoc solum quod credimus, iustificemur.

Vna iustificandi ratio et perpetua.

men, hoc est, peccatorũ remissio, quoad formam modũq; rei, non diuersa, sed vna: nõ duplex, sed simplex manet, quæ admodũ & fides, quæ cõciliatrix est iustificationis, quæ etsi augetur indies, at vna tamẽ eademq; semper subsistit. Præterea vt iustificatio hæc, quæ pariter cũ fide augetur nõ nisi vna existit, ita eadem firma stabiliſq; haud minus, quàm promissio dei, cui innititur, nullam subit mutationem, sed eadem semper firmitate constans atque inconcussa perdurat, ideòque firma, quia videlicet nõ operibus, sed fide tantummodo nititur. Vnde Apostolus, idcirco ex fide, inquit, vt secundum gratiam, vt firma sit promissio vniuerso semini.

Distinctio de prima et secunda iustificatione euertitur.

Contrà hi, qui duplicẽ statuentes iustificationẽ, causas vtriusq; diuersas assignãt, quarum altera, quam primã vocant, fide sola constet, sine operibus præcedentibus: altera, quæ secunda sit, ex operibus gratiæ, vt loquuntur, augeatur, atque accumuletur, quodnam defendendæ sententiæ patrocinium sibi ex scripturis inueniant, non video. Quum Paulus ad tot scribens ecclesias, non nisi vnam, vbiq; iustificationis causa agnoscat, quã fidem esse profitetur Iesu Christi, ideq; sine operibus. Quid amplius quisquam desideret? An non tibi hoc satis ad veritatis fidẽ facit, quod á Paulo tanto præceptore toties tãq; perspicue demonstratur? At quorsũ eũ nobis gẽtibus doctorẽ præfecit christus, si nos spreto hoc præceptore, alios nobis magist. καὶ ἐξεφοδιάσατο κάλως. aliud

Causa iustificationis vna, non duplex.

aliud afferentes euangelium audiendos atque sequendos existimemus? At quid quæso aliud moliuntur isti, qui repudiata huius institutione, diuersa docentibus fidem aureosque tam facilè ac commodant? Sine operibus, ait Paulus: Tu ex operibus contendere audebis? Quod affirmat ille, an tu improbabis? Minimè, inquis, operibus contra Paulum, quicquam detraho, sed gratiam addo, vnde vim illa merendi & iustificandi accipiant. Recte, Opera ergo, vt ais, per gratiam adiuta iustificant, eadem extra gratiam nihil conferunt. Scilicet. Et quid igitur D. Paulo respondebitur, qui nulla facta operum distinctione, non de his, aut illis, sed in genere & indefinitè, vniuersa simul opera complectens, sic ait: Ex fide, non ex operibus, ne quis glorietur. Et rursus, ad Rom. Si per gratiam, iam non ex operibus. Et alibi: Ei qui non operatur &c. Et quoties ille per omnes epistolas perpetuo quodam tenore vim omnem iustificandi ad fidem transfert, seclusis interim operibus, nō his, aut illis, sed cunctis pariter cuiuscunque generis operibus: de quibus Paulus indefinitè & absolutè loquens, nulla adiecta operum distinctione, iisdem prorsus in genere, omnem adimit iustificationem. Quod falsum esset, si vlla essent opera, siue ex gratia & in fide facta, siue extra gratiam, quæ proficerent ad iustitiam. Vt hoc sit argumentum.

Opera per gratiā.
Opera extra gratiam.

Ephes. 2.

Rom. 11.

Argumen-

Argumentum contra inherentem operum iustitiam.

Sine operibus fide iustificamur, teste Paulo.
Opera Charitatis per gratiam infusa, sunt opera.
Ergo. Sine operibus iis etiam, quæ gratia constant, iustificamur.

Papistarum tergiuersatio.

Ad maiorem respondent aduersarii. Sine operibus iustificari nos autor est D. Paulus. Verum inquiunt, cum hac addita exceptione, nisi ex fide, & gratiæ instinctu nobis inserantur: huiusmodi enim opera non excludit Apostolus, quippe quæ deo placent, conciliantque iustificationem. Contra quę ex lege, aut natura sunt opera, ea demum sola excluduntur, sine quibus rectè iustificari dicimur. At hæc responsio verbis Pauli minimè satisfacit. Qui nulla huiusmodi audita exceptione, aut discriminatione operũ, simpliciter & indefinitè sine operibus iustificari nos docet. Age, & quatandem edocti dialectica Sophistæ didicerunt isti ex indefinita & vniuersali propositione, definitam & particularem struere? Aut quæ ratio est, vt quod Apostolus ingenere de operibus enuntiat, id isti ad speciem contrahant: Appendamus Apostoli verba: Qui si sensisset opera Charitatis infusæ iustificationem conciliare

Indefinita propositio.

coram

coram Deo, haud dubium, quin expressa oratione id significasset. Nunc citra omnem exceptionem diserte testificans: Ex operibus, inquit, non iustificabitur omnis caro. Vnde sic argumentari licebit.

Si opera legis ex gratia, & in fide facta meritoria essent ad iustificationem: tũ caro aliqua iustificaretur ex operibus, quum multi sint fideles qui per gratiam rectè operantur.

Rom. 3. Sed nulla omninò caro, ex operibus iustificabitur teste Paulo.

Ergò: Falsũ est, quòd bona opera per gratiam etiam facta, vim vllam habeant iustificandi.

Sententiam Pauli exemplis scripturæ confirmemus. Quod Apostolus hic de salute sine operibus gratuita prædicat, hoc ipsum Esaias, licet

Esaiæ. 55. aliis verbis, eodem tamen sensu futurum præsignat, de vino & lacte scribens. Omnes, inquit, sitientes accedite absque pecunia, absq; pretio, comedite vinum & lac. Quid quæso vult vinum hoc & lac, nisi amplissimum iustificationis nostræ mysterium repræsentare? Perge, & quorsũ hæc verba attinent, quæ iubent sine pecunia, sine pretio comedere, nisi vt hoc ipsum per prophetam adumbraret dominus, quod ostendit per Apostolum, singulari dei dono, nullis nostris operibus,

bus, aut operum meritis ad tantam hanc peruenirí felicitatem. Nam quid aliud est, sine operibus apud Apostolum, nisi quod apud prophetã sine pecunia, sine vlla commutatione? Age, & quam hic sibi rimam elabendi conquirent figuli isti Romani? Nempe, sine operibus, inquiunt, nostris quidem & propriis, aut sine iis quæ fidem præcedunt, vt Campianus, aut sine operibus legis vt Osorius: at non sine operibus fidei, aut sine iis operibus, quæ diuinitus ex gratia affluunt. At hoc sophisticum nugamentum facilè retundet similitudo prophetica, quæ nullo modo cohærebit, nisi ónibus modis gratuita pateat salus absq; vllis operum quorumcumq; præsidiis. Nam alioqui quid prophetæ respõdebũt, aut quã interpretationem verbis illius affingent, vbi sine pecunia, sine pretio simpliciter iubet comedere? Quid, an pecuniam eodem modo hic nobis distinguẽt, quẽadmodũ distinguũt opera? vt quæ propria sit pecunia nostris parta laboribus propriaq; industria, eam ceu inutilem reiiciant: quæ autem diuinitus nobis à Deo suppeditatur, hanc adeò nõ excludendã iudicant, vt nisi accesserit, frustra accedatur ad comedendum? O nugas sophisticas non argumentis, sed sibilis & anathemate potius Apostolico profligandas.

Futilis enasio sophistarum.

Poterat huc accommodari quod ex eodem Propheta cap. 52. in eandem sententiam refertur, Gratis, inquit, venundati estis, sine argento redimemini. Quæ verba quid aliud indicãt, quã spon- *Esaiæ. 52.*

ſpontaneam vtroque expoſitam diuini erga nos fauoris immenſitatem, citra omnem in nobis merendi cauſam? Et vbi igitur præclara illa merita iuſtitiæ inhærentis, quæ impium iuſtificent coram deo, ſiquidem in nullos cadit iuſtificatio (vt ipſi diſputant) niſi quos charitas prius indita, iuſtos dignoſque vita æterna reddiderit?

Adiiciamus inſuper confirmandæ huic ſententiæ alterū ex Abrahamo exemplum, vnde ratiocinari in hunc modum licebit.

Argumentum. Rom. 4.

Argument. Opera Abrahæ in fide & gratia ſunt facta.

Opera Abrahæ nullam habent laudē aut gloriam apud Deum.

Ergo. Opera in fide & gratia etiam facta nihil promerentur apud Deum.

Verba Pauli ſiniſtre detorta a papiſtis. Quanquam non me clam eſt, quid gloſſarii iſti reſpondeant, locum hunc Pauli longe in alienum ſenſum præter mentem Apoſtoli abſurdiſſimè detorquentes. Sic enim in hæc verba cōmentantur: Si ex operibus Abraham. &c. Non excluduntur iis verbis à iuſtificatione, inquiunt, bona opera Abrahæ in fide facta, neque oſtenditur ſola fide eſſe iuſtificatum. Sed excluduntur opera legis ſine fide facta, cuiuſmodi facta quia Abrahæ non erant, propterea verè coram Deo iuſtifica-

iustificatum dicimur ex suis operibus &c. Porro ijsdem verbis (vt aiunt) probatur quod Abraham renouati & iusti opera bona etiam in fide facta non iustificarent, sed illud probatur, quòd ex solis operibus sine fide Abraham nõ sit iustificatus. Hæc illi. His quid respondeam aliud, quã quod solemni prouerbio decantari solet, Non concinit psalterium cum cythara. Alia mens auctoris, alia interpretis. Paulus ad Romanos scribens, quum iam ante multis magnisque argumentis euicisset, iustificari hominem fide, sine operibus, idem mox exemplo confirmaturus, opera Abrahami in quæstionem vocat: Quærens, quid igitur dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Nam si ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum, &c. Primum quænam hæc opera fuerint de quibus agit Paulus, deinde cuius fuerint opera videamus. Respondent aduersarii, atque inter hos Campianus ille noster, qui cum non ita pridem, eodem hoc Pauli loco, de operibus Abrahæ vteretur, in respõdisse fertur, sequutus nimirum suos Iesuitas, opera quidem legis, quatenus sine fide & gratia geruntur, nihil habere quod ad iustitiam conferant. Cæterum sanctissimi viri illius opera, quum eiusmodi non essent, sed fide & gratia referta, ideo verè coram Deo iustificatus dicitur ex suis operibus, non tamen tanquam suis. Quid ego audio? Itane ex operibus iustificatus ille, quem ex professo negat Paulus ex operibus

Turrianus Iesuita pro epist. pont. lib. 4.

vllam habere gloriam apud deum? Quid, an non satis id nouit Apostolus, diuini patriarchæ operā, quam sancta & eximia fuerint, quæ nec fide carebant, nec dei gratia? & tamen hæc ipsa opem quamuis præclara, negat Paulus quicquam vtilis fuisse apud deum, vel ad gloriam, vel ad iustificationem consequendam? Quod autem iustificatus sit apud deum, id ex fide accipisse, non ex operibus Paulo ipso autore constat. Credidit enim Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Age, & qui conueniet igitur cum negante Apostolo affirmatio istorum interpretum, qui contra contendunt, Abrahamum iustificatum fuisse ex suis operibus? quum è diuerso non aliò spectet totius huius epistolæ scopus, quā vt opera quælibet egregia sanctorū à iustificatione semoueat Apostolus, non in hoc vt eō temnatur pia sancta, sed vt eluceat gratuita diuini fauoris benignitas, erga peccatores, quæ iustitiam suā tam liberaliter addicat non meritorum dignitati, sed fidei, non operanti, sed credendi in eum qui iustificat impium. *Qui iustificat, inquit, impium.* Cæterum excipit hic iterum Cāpianus veteremore suo cōtēdens: primo, Abrahamū ex operibus iustificatū esse, deinde cur ex operibus sit iustificatus causam reddit, eo quòd opera illius, non in circumcisione, neque in lege, sed ante circumcisionem legem què promulgatā, fide per gratiam, facta atq; ideo deo eximia fuerint. Tertio de scopo illius epistolę commentans, verba Pauli per-

peperam? Nobis intelligi affirmat, quum tota illa epistola, non aliud agat Apostolus, quàm vt cæremonias legis, & opera, quæ ante fidē in lege aut ex lege solum sunt facta sine gratia, eximat á iustificatione. Sic enim disputat, atq; hunc in modum Caluiniana habent obiecta. Quæ omnia, vt ab illo posita sunt, falsissima esse respondeo.

1. Quod affirmat Abrahamum ex operibus iustum fuisse, Paulus diserte negat, ratio aperte refellit, res ipsa manifestè coarguit. Quorsum enim opus erat illi promisso semine, ac redemptore, si iam ante ex operibus fuisset iustus? Aut quid opus, cur fides iam ante imputaretur ei in iustitiam, cui postea iustitiæ laus ex operibus esset adiudicanda? Potrò quum mors non iustitiæ stipendium sit, sed peccati, quo iure fieret vt mortis ille imperio teneretur, si peccator non extitisset? Si peccator, quo modo iā ex operibus iustus? Ad primam obiectionem respons.

2. Quod ait, opera illa non in lege, neque sub lege, sed ante legem sancitam facta fuisse, rogatum id velim, vt quid lex sit, scire ab eo liceat. Quæ si non aliud sit, quàm norma, & rectitudo iustitiæ, qua ratione iustus esse quisquam poterit, vbi nulla sit lex. At quis vllo vnquam tempore vixit mortalium, qui dei legem si non in tabulis descriptam, in mente inscriptam, in natura ipsa impressam, in conscientia insculptam non circumferat? At Ad 2. obiectionem respons.

nondum in saxeis tabellis formatas erat decalogus præceptorum? At quidin illo decalogo moralis continebatur, quod non in mente iam ante clausum vir ille diuinus complectebatur, tum de deo diligendo, tum de proximo, de non occidendo, non mœchando, de honorandis parentibus, &c.

Ad 3. obiectionē responsio.

3. Quod ad scopum attinet epistolæ apostolicæ, dici satis non potest, quantum ipse à scopo aberrat Campianus. Quis enim tam nullius est mentis, qui mentem Apostoli non perspiciat nō huc spectare, non id agere, quod isti somniant, Iesum Christum nullis operibus, siue præcedentibus, siue subsequentibus salutem nostram, aut iustificationem adscribat? Neque hæc ei commissa est legationis functio, vt cum Iudæis de cæremoniis, aut cum gentibus de moralibus officiis deli-

Gal. 2. tigaret, sed quemadmodum Petro designatus est Apostolatus circumcisionis, ita Paulo concreditum est euangelium præputii, in hunc finem, nō vt legem prædicaret, sed fidem, quam prius oppugnarat, non vt iustitiam operum, (in quibus

Gal. 2. nulla constat salus) patefaceret, sed vt filium suum deus per ipsum reuelaret inter gentes, vt cœleste illud trophæum lætissimumque nuncium pacis, & victoriæ in cœlis partę per christum æternis ostenderet: vt immensas opes diuinæ gratiæ καὶ ἀνεξιχνίαστον τὸν πλοῦτον τῆς δόξης, quam ipse in se experiris esset, longè lateque per omnes ecclesias disseminaret. In hoc liquidē vocatus,

tus, in hoc electus ille est in Apostolicam hanc legationem, vt in ipso primum misericordiam suam clementissimus dominus Iesus exerceret, deinde per ipsum omnem clementiam suam erga peccatores ipsius, non solum exemplo, sed etiam ministerio ostenderet. Ita enim testatum ab ipso legimus, datum esse illi, sicut & cæteris Apostolis, ministerium reconciliationis, in quod positus est ille præco, & Apostolus, ac doctor gentium, cum fide & veritate, vt ipse legationis fungens Christi nomine, omnes inuitaret, ac precibus etiam solicitaret ad recipiendam cum deo reconciliationem. Atque hic præcipuus finis videtur, & scopus, in quem non vna modò ad Rom. epistola, sed vniuersa pouissimum incumbit Paulinæ doctrinæ institutio, nempe vt Euangelium Christi, & veritatem proferat omnibus quæ sit communio mysterii, quod erat ab seculis absconditum à seculis in Deo, & etiam vere in iustitia operum, nullam facere se reliquam eam arcanum mysterium, vera à seculis abscondere etur in Deo. Falsum proinde modis omnibus explodendum, quòd Caietanus retulit, cum quo conuenit es sophistæ de sensu & scopo Paulinæ epistolæ ad Rom. vtcunque variantes, negent, quam excludit Apostolus à iustificatione) intelligat pro ea parte, quæ comprehendit vel circumcisionalia & iudicia, quibus gloriabantur Iudæi, vel opera pure moralia ante fidem susceptam, quibus confidebant gentes.

1. *Tim.* 1.

1. *Tim.* 2.

2. *Tim.* 1.

2. *Cor.* 5.

Ephes. 3.

De sensu et scopo Paulinæ epist. cæcus papistarum error.

Imo contra Paulus, quum legem remouet à iustificatione, non eam excipit, non ea solum ratione, qua cæremonias Iudaicas, aut opera ante fidem moralia comprehendit: sed ita eam excludit, ea nimirum parte, qua simpliciter imbecillis per carnem videretur, tum in Iudæis, tum in gentibus, siue renatis, siue non renatis, ad ea præstandum, quæ deo ad iustitiam sufficiant. Eaque causa factum affirmat Paulus, cur deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstiterit.

Rom. 8.

Quidnam quæso præstitit, nisi quod caro præstare nostra non potuit? ac de peccato condemnauit peccatum per carnem. Per quam quæso carnem? Nostram ne, an filii? At quis unquam iustorum, quantumuis fide et gratia habituali præditus, ita vitam instituit suam, non secundum carnem ambulans, sed secundum spiritum, vt non carnem semper circumferat, multis quidem modis imbecillem, vitiosam, ac peccato obnoxiam? de qua merito quisque queri possit cum Apostolo: Noui quòd non habitet in me, hoc est in carne mea, bonum. Et illud nunc: Reperio per legem volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adiacet &c.

Rom. 7.

Nam quod de operibus fidem, & gratiã consequtibus cõmemorant quã pauci id causam ipsorum subeunt, haud alio argumento certius conflare possis, quam si viram istorum, qui hæc disputant, propius intueamur. Quod si verum

id

ad fe, quod Campianus cum ſuis Ieſuitis diſputat, iuſtitia in adultis non aliter progigni, quã præcedentibus fidem ſubſequentibus: Spectemus proinde quàm præclara nobis opuſcula parturiat fides hæc ſanctæ matris Romanæ Eccleſiæ. Quandoquidem ſub titulo catholicæ fidei tantopere gloriantur, atque de charitate tam multa prædicant, quæ ſit impletio legis.

Vitam nunc ipſam, & opera inſpiciamus Romanorum pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum pariter cum vniuerſa colluuie monachorum & Ieſuitarum. Vbi quæſo plus carnis, aut minus veræ germanæque ſanctimoniæ deprehendas, quàm in tragicis iſtis perſonis, ac perſonetis paronibus, qui magnificis titulis, diffluente purpura, ſublimibus mitris, purpuratis pileis, gemmatis annulis, ſolennibus votis & cæremoniis abſolutam religionem profitentur, quum ea quidem ipſa, nihil aliud quam hiſtriones plaſtricque agãt pietatis. Nimis id verum docet infelix hic mundi tumultus, bellorum & perſecutionum calamitas, non aliis magis autoribus excitata, quam iis ipſis, qui maximè ſe ſpirituales, ac vnicè catholicos nominant: & quos maximè conueniebat ſuaſores eſſe concordiæ, & pacis angelos.

Sed relicto hoc hominum genere cum ſuis operibus & meritis, redeamus ad intermiſſa cognitæpla quos ſupra cõmemoraui, qui vltro ad Baptiſmũ admiſſi, atq; in gratiã recepti ſunt per fidem

Sic

fidem, nullis omnino meritis commendati, ac ne mentione quidem audita vllorum operum, nisi malorum forsan. Quo in numero censentur Iudæi illi, qui ad tertiam simul à Petro fuere baptizati. Adde his Eunuchum, quem fides sola sine operibus non solum baptismo dignum, sed & hæredem fecit cœlestis regni. Accedit huic albo Carcerarius, quem baptizarunt Paulus & Silas. Paulus denique ipse, omnesque Apostoli, & publicani, Cornelliana familia, Zacchæus, Magdalena, latro. Quod si in his fides sine operibus sola fas fuit ad baptismi gratiam, cur non item ad iustificationem vitamque perfruendam?

Vega de iustifica. pa. 774.

Respondet hic Vega eum suis omnibus, fuisse in his omnibus aliquando, vel fuisse pœnitentiam cum fide, aliaque quæ ad vitam & mores pertinebant. Verum responsio hæc Vegæ, quam vaga, tam inepta & illusoria sit, non est quod multis in eo monstrando immoremur, Res ipsa satis per se lucet. Aguntur enim cum fide pœnitentiam, eiectionem, cæteraque virtutum decora. Quod vt verum aliquo modo sit, in vita quidem & persona eorum qui iustificantur, certe sine ulla iustificandi, nulla est istarum rerum cum fide connexio. Ac primum quod ad pœnitentiam attinet, alias de iam dictum est supetius. Cum autem pœnitentia nihil sit aliud, quam admissorum deploratio, ipsa quidem per se reum allegere potest, atque idoneum reddere suscipiendæ gratiæ, vera tamen nullis fructibus ipsa per se impetrare nō potest

ne

ac in foreni quidem, multo minus in ecclesiastici. Illud siquidem fidei officium est, quæ vt sola veniã impetrat, ita nõ aliter, nec alius impetrat nisi afflictis & respiciẽtibus in Christo. Missus enim potissimũ dimissus a patre Christus venit in hũc mundum, vt opem ferat laborantibus quotquot per fidem ad ipsum confugiunt. In quo tria nobis spectanda occurrunt, eademque suis rite finibus & regionibus distribuenda. Primum vt quid mediator agat, quid præstet fides, quid nostrum deploratio efficiat, videamus. A Mediatore, tanquam a capite & fonte omnis in nos fluit salutis deriuatio. At quo modo, aut qua causa seruat ille, si quæras: per fidem, respondeo. Quousnam ergo, si roges, iterum respondeo. Agentes suæ inopiæ pœnitentiam, aut eos, quos ad tuta vocatione ad se attrahit. Quid ergo, an istos propter pœnitudinem seruat dominus? non arbitror. Quid si enim perculsus aliquis grauissimo dolore ac recordatione ante actæ vitæ, ad Christum tamen non veniat, num seruabitur deploratione suorum scelerum? minime gentium. Imo quis omnino venire ad Christum posset, nisi prius audiat atque intelligat, cuiusnam ille sit, a quo petenda sit salus? Atque istud quidem præstat non pœnitentia, sed fides. Non enim anxia pœnitentis animi agitatio, sed fides est, quæ seruatorem nobis aperit, quæ cursum ad eum dirigit, quæ salutem ab eo obtinet: imo quæ salus ipsa sit laborantibus. Ita enim scriptum legimus: Hæc est

Ioan. 3. voluntas dei, vt omnis qui videt & credit in eum, vitam habeat æternam. Ex quo satis diiudicare arbitror, quid pœnitentiæ, quid fidei tribuendum sit, quod ad iustificationis quidem causam attinet. Neq; enim quia pœnituit eum, qui peccauit, ideo peccato ignoscitur. Sed quia qui nihil peccauit, mortuus est pro peccato, ideo peccatori parcitur, non propter actam pœnitentiã, sed propter fidem, qua creditur in eum, qui mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Fides vbi coniungitur cum operibus. Vbi non coniungitur.

Atque de pœnitentia hactenus. Porrò quod ad reliquam vitæ conformationem attinet, etsi scio nihil esse conueniẽtius, quã vt fides, quæ recte in Christo instituta sit, adiunctam habeat charitatem, cæteraq; piarum actionum officia, quæ digna sunt professione, at qualis tamẽ hæc sit cõiunctio, & quousq; se porrigat aduertendum est. Habet enim fides & charitas in quo necessario sese cõiungunt. Habet in quo & seiũgatur necesse sit. Vbi enim de agitur, de salute, de iustificatione, de iudicio & expiatione peccatorũ, fides hic sine operibus sola viget, valet, ac vincit. Inter homines verò vbi cum hominibus agitur in vita minimum iustificatorum, in popularibus officiis, in actionibus virtutis, arctissima cum fidei & charitatis connexio, quarum altera, nisi cum altera consociata ne consistere quidem poterit. Quocirca suis istame Rom. 4.

tis

in & finibus metienda sunt, vt quid fidei, quid operibus debeatur, vtriq; quod par est, tribuamus. Vt enim longissimè remouenda est pestifera illa Eunomii insania, qui piis operibus tã inimicus finisse dicitur, vt nihil referre putaret, quo quisque modo vitam ageret: ita nec minus rursus cauendum, ne Scyllam hanc vitantes Eunomianam, in alteram æquè perniciosam Charybdim papisticam impingamus, cum pontificiis istis pseudodoctoribus, qui confusa coniunctione ita simul ista conuoluunt, vt neq; fides absque operũ fortitate, neq; opera sine fide iustitiã pariãt. Aug. de hæresib. hæres. 54.

Sed hanc coniunctionẽ facile dissipabit scripturæ auctoritas. Nam si fides non sola ad salutem credentes prouehat, nisi cum excellenti vitæ sanctitate cõiuncta, cur ergo nõ cõiunxit ista Christus qui dicit simpliciter. Qui credit in me, habet vitam æternam. Cur non coniunxit Petrus, quum ut testimoniis prophetarum remissionẽ peccatorũ omnibus annunciat, quotquot crediderunt in nomen eius? Cur non coniunxit Paulus, vbi Carcerario in fide instituẽs: Crede, inquit, in dominum Iesum, saluus eris tu & domus tua? plura possent cumulari consimilia, hæc interim breuitatis studio notasse sat fuerit. Galatarum nota est historia, qui per pseudoapostolos abducti non simpliciter abiecerant Christum, nec excludebant fidem in Christum, sed bona credẽtiũ opera fidei volebãt adiũgi in articulo iustificationis coram deo, ad vitam æternã. Quo nomine Ioan. 6. Act. 10. Act. 16.

quanto in eos stomacho irratur Apostolus, certis est ipsius epistola.

Gal. 5. Sed hic rursum obiicitur ex eadem epistola D Pauli locus, vbi ad Galatas scribens de fide loquitur, quæ per charitatem operatur. Age, & quid tum postea? Ex his Tridentini theologi necessariam colligunt fidei & charitatis connexionem, ita vt fides sine charitate, tanquam informis materia, ad iustitiæ cumulum & perfectionem nihil conferat. Charitatem vero, quam iustitiam dicunt inhærentem in nobis, adeo a fide diuelli in negotio iustificationis non posse, vt eam vnice formalem esse causam nostræ iustificationis pronunciem. Verum ad hunc locum commodius aliquando respondebimus. In ea quidem epistola Apostolus summo studio Galatas nos ad fidei iustitiam, vnde defluxerat, reuocare molitur. Interim ne falsa simulatæ fidei persuasione retineantur, quam sit fides, quam intelligit, his verbis admonet. Non quæ otiosa, & mortua in suis operibus, sed quæ per charitatem operatur. Atque hoc quidem modo fidem non esse solitariam, non dimittemus. Sed quales ea est argumenti consequutio?

Trident. Concil. Sess. 6. cap. 7.

Obiectio ex verbis D. Pauli.

Responsio.

Fides viua non est solitaria sine charitate.

Fides viua est, quæ iustificat.

Ergo. In iustificando fides non est solitaria sine charitate.

Ar-

Argumentum meritò improbabunt dialectici, eorum scholæ quod ab eo, quod est, á non causa vocant, sophisticum dicitur. Respondeo itaque ad maiorem. Fides quæ viua sit, non est sola aut solitaria sine charitate. Verum est in operando quidem, sed non in iustificando. Quare quod ad causam & officium iustificandi attinet, minimè ex eo sequitur conclusio. Ergo in iustificando fides non est sola sine charitate. Porró quod ad minorem spectat. Etsi fides quæ iustificat, viua dicatur, ratione bonorum operum, at non ratione tamen eorum operum iustificat, sed ratione solà obiecti, quod quia fides sola sine charitate amplectitur, ideo sola sine charitate fides vim inde accipit iustificàdi. Quòd si in vno eodéq; officio Fides cur sola iustificandi.
ãnino iũgenda sint, queçũq; aliquo modo simul sunt simulq; fiunt, ita fiet vt qui pedes habeat, oculos, aures, quia hæc membra non habet solitaria, ideo non solis pedibus ingredi, sed oculis ambulare, auriculis etiam cernere diceretur, vt iupra monstratum est. Nec aliter res habet in fide, charitate, aliisque virtutibus. Quæ licèt per gratiam infusæ eidem pariter subiecto inhæreant, at propriis tamen officiis singulæ distinguntur. Quod Fides charitas reigitur ad munus iustificandi attinet, si quæratur, liquæ quevirtutes quid nos cum Deo in gratiam redigit, vitamque æternam conciliat? Respondeo fidem esse, eamque solam. Si quæras quòmodo? Respondeo, per Christum mediatorem. Rursus si roges, qualis illa sit fides? Non quæ otiosa sit, aut mortua, respondeo:

quatenus coniunguntur.

respondeo: sed quæ viuida existat & operosa. Porrò si scire vis, quibus notionibus fidē veram à falsa dinoscas? Respondet tibi D. Paulus: Quæ vera est fides, ea per charitatem operatur.

FIDES QVID, VBI, QVO modo operatur per dilectionem.

SEd subeunt hic circumstantiæ diligenter explicādæ, vt quid operetur fides, Vbi, qua ratione operatur, excutiamus. Nō enim vno eodēque modo fides vbiq; agit. Aliter agit illa apud deum aliter apud homines. Per charitatē quidē operatur. Verum est, quod ait Paulus, sed eo sensu, vt apud homines solū id intelligatur, minime apud deum. Neq; idē efficit hic illicq; fides nec eodē modo. Apud homines siquidē operatur per dilectionē. Apud deū verò nō per dilectionē, sed per Christū solū, per quē, quas quātasq; res efficit fides, admirandum est. Impetrat, exorat, reconciliat, iustificat, luctatur, vincit, regnat, triumphat. Atque hæc sola transigit fides non apud homines, sed apud deum: non per charitatē operans, sed per christū dominū nostrum. Aliud igitur per christū, aliud per charitatem operatur fides: per christū salutē cōciliat, per charitatē legis obedientiā præstat. Quid? plenāne? Nō arbitror. Imperfectā ergo? At ea ad iustitiæ & salutis cumulum inefficax sit oportet. Et vbi nunc excellens illa vitæ integritas? Vbi charitatis meritoria ad salutē ef-

Fides per dilectionem quid operatur, vbi, & quo modo

efficiede? vbi Tridentini decreti assertio, quæ initium tantum iustificationis fidei tribuit, formalē verò eius causam statuit esse charitatem, seu nouam obedientiam, quam iustitiam in nobis inhærentem vocant, qua non modò reputemur iusti, sed vere iusti & nominemur, & simus coram deo, addito insuper terrifico maranatha, si quis contrà sentire audeat. Quæ doctrinæ ratio si admittenda sit, quin eadem opera vniuersam pariter tollamus mysticæ scripturę analogiam ac fundamenta religionis nostrę omnia cōuellamus. Quod si enim ita habeat salutis nostræ conditio, vt benefactis nitatur, non gratuita solum imputatione, vbi tunc iustitia illa, quæ fidei tribuitur toties apud Paulum prædicata? vbi discrimen legis & Euangelii, quod nisi accuratè obseruetur, non aliter in scripturis cæcutiemus, quā talpę & vespertiliones ad meridianū solē. Vbi deinde antithesis illa paulina inter iustitiā legis & fidei? inter gratiam, & debitum? Vbi exclusa operū gloriatio? Vbi fides ad iustitiā Abrahamo imputata? quī deniq; cū Trīdētin. illis plebiscitis con-

Trid. Concil. cap. 11. Siquis dixerit hominem iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum diffunditur atq; illis inhæret: Aut si quis dixerit gratiā qua iustificamur esse tantum fauorem dei, Anathema sit. Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse quàm fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, Anathema sit. Sess. 6. Cap. 2.

Rom. 4. 11.

Rom. 3.

Rom. 4.

cum stabit, quod audimus à Paulo? Nam operanti, credenti verò in eum qui iustificat impium, fides imputatur ad iustitiam? vbi porro insignes illæ D. Pauli exceptiones ex usuræ, quibus omnis salutis nostræ ratio operibus detracta imputationi ascribitur? vbi eandem dulcissimæ illæ omnes dei promissiones, si istinos certitudine salutis & imputatione dei expoliant?

In Prophetis testimonia.

Pergamus modò ad prophetas, vt siqui euangelicæ auctoritate scripturæque Apostolorum minus commoueantur, at liquidissimis prophetarū testimoniis vel respondeāt siquid habēt, vel cedāt. Primumque vt hinc exordiar, peto ab iis, qui negant satis esse ad iustificationis fecuritatē, quòd Christus pro nobis omnem impleuerit iustitiam, nisi insita insuper accedat inhærentque nobis iustitia, dono ipsius in nobis formata, quæ formaliter iustos reddat, legi satisfaciat, vitamque promereatur. Quod si ita sit, peto ab iis inquam, ecquis de statu salutis fuæ certus vnquam in hac vita futurus sit. Si negant vbi tum pax illa, & gaudium in spiritu sancto, cuius tam frequens increbuit mentio in Propheticis & Apostolicis literis.

Esai. 35. 51. Vbi laus illa in libris Prophetarū toties decantata? vbi gaudiū & lætitia sempiterna, quā Esaias prophetā super caput, minatur illorum, qui redempti à domino veniēt in Sion cum laude? vbi via illa tam directa vt ne stulti si velint, per eam sint aberraturi? Vbi vox illa Prophetæ euangelizantis pacem, annuncianti is bonū, cōsolantis populum

suum,

sunum, quę sublato omni timore, dolore & gemitu, pauidas & concertitas conscientias genua debilia, manus dissolutas cōsolidat, imo bestias ipsas agri & fructiones prouocat ad glorificandū.

Quod si in dubio & incerto metu nostra adhuc fluctuet conditio, nec alia nobis proposita sit sperandæ salutis firmitas, nisi in ea infirma, quæ insita nobis ipsis inhæreat iuxta sanctæ matris Romanæ ecclesiæ catholicissimum, vbi nunc fiducia illa, vbi confidentia, de qua prophetat Hieremias: In diebus inquit illis seruabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Rursusque in eadem sententiam Ezechiel de pace ecclesiæ futura pronuncians: Et faciam in eis, inquit, pactum pacis: & qui habitant in deserto securi dormient in saltibus: & erunt in terra sua sine timore. Et mox subinferens: sed habitabunt confidenter absque vllo terrore. Eodē pertinet quod Esaias populum Messiæ à metu & trepidatione ad securitatem inuitans, toties iubet, ne timeamus. Ne timeas, inquit, quia ego tecum sum. Et rursus. Noli timere quia redemi te. Quin & idem iterum, Noli timere serue meus Iacob. &c. Concinit his vox Sophoniæ eodem prophetans spiritu: Iauda filia Sion, iubila Israel, & exulta in omni corde filia Ierusalem. Abstulit dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos. Rex Israel dominus in medio tui, nō timebis malum vltra, &c. Age & quo modo tanta hæc cōscientiæ pax & securitas toties in prophetis ingeminata, cum Romana illa trepidatione

Ierem. 23.
Ezec. 34.
Esai. 41.
Esai. 43.
Esai. 44.
Sopon. 2.

consistit? Quæ enim sperandi fiducia, vbi mens non vacat metu, cuncta{q;} sunt in incerto posita? Quo enim modo non incerta spes, siquidè ex operibus non ex gratuita donatione salus sit expectanda?

Quanquam neque hæc eò à nobis differuntur, quasi illud nesciamus aut denegemus sanctificationem & renouationem, quæ{q;} hinc pernanant, virtutum pia exercitia ad Christi beneficia pertinere, quæ necessariò pijs omnibus Christianis mouenda sunt. Verum non ille est huius propositæ quæstionis status. Non enim hoc loco de vita hic gubernanda, sed de salute æterna, eiusque causa res agitur. Non vtrum præstanda sint christianæ pietatis officia: sed quum præstantur, an eadem tanti sint apud deum, vt salutem promereantur, deum humano generi offensum reconcilient? An huiusmodi sint virtutes, seu bona opera, quæ in iudicio dei consistere queant, vt non damnentur iuxta rigidam legis sententiam? An in seriis pauoribus tuto eis niti liceat, quando agitur de ardua quæstione, vt simus filii dei, vt immortali gloria potiamur. Neque ideo tamen falsum id est, quàm diu in hac vita agitur, in credentibus piam viuendi sedulitatem, quæ peccati licentiam excludat, quàmaximè requiri. Sed quomodo requiratur, aduertendum est. Si ad obedientiæ necessitatem censeas, verum est. Sin ad salutis & vitæ autoramentum, nihil falsius aut pestilentius, quũ ea non meritis nostris acquiruntur,

Pietas operum peccati ira.

sed

sed immerentibus atque indignis donantur, tumque donantur, qui peccatores adhuc reperiuntur, vt omnis in eo laus diuinæ misericordiæ eluceat, non nostrorum operum, quæ reconciliationem dei, vt fructus sequuntur, non efficiant.

Itaque vt iam ante admonui, rerum mihi ac sæpius admonendum est, in hoc obedientiæ curriculo, minimè à nobis remoueri pia charitatis studia, quò minus fidem necessario comitentur. Sed neque rursus, ita admitti, vt fidem ipsa, suo munere ac dignitate excludant, vt eminentem opulentiam gratiæ dei, quæ est in Christo Iesu elidant: vt gloriam crucis Christi obscurent: vt perturbatis conscientiis consolationem eripiant, lanæque doctrinæ quam reliquerunt nobis Apostoli, corrumpant synceritatem. Quæ quum omnem salutis nostræ rationem, non alia in re, quàm in solo Christi beneficio constituat, tacitis bonorum iudiciis æstimandum relinquo, vtra rectior videatur sententia, eorum qui sola fide, an qui in sola iustitiæ operum inhærentium cunctas salutis nostræ spes opesque definiant, & qui solam fidem vocant temeritatem. Certè si spiritus Christi Laodicenses illos perferre non potuit, qui falsa iustitiæ suæ persuasione temulenti, quã deformes & egeni in summa nuditate essẽt, minimè intellexerunt: quid de spiritu Romani huius catholicismi, totaq; hac theologia quid iudicandum sit, meo quidem iudicio haud obscurè liquere poterit. Faxit Christus opt. maximus, vni- Apoc. 3.

geni-

genitus dei filius, Regũ Rex, vitæ vindex, salutis nostræ autor & asserto clementissimus, cœli decus, splendor paternæ gloriæ, pro inexhausta suæ pietate cuius sempiterno imperio continentur & quæ in cœlo sunt & quæ in terra, vt miseri nos mortales, quos natura modis omnibus inopes, nudos, cæcos planeque perditos in hanc produxit miseriam, ipsius restituti beneficio, ac salute donati, in ingentibus cœlestibus opibus amplificati, salutari spiritus sui ductu proficiamus, crescamus in illo quotidie magis ac magis, nec vnquam ab eo deficiamus, sicentiã inde, pluique operibus [illegible] quoad perueniente tande ipsius Regnũ in felices illas plenæ immortalitatis sedes recipiamur, vbi viuit ac regnat ipse cum patre & spiritu sancto semper adorandus. Amen.

FINIS.

LIBER QUARTUS,

IN QUO SUBSEQUITUR GRAVIS ET ERUDITA CONCIO EXIMII DOCT. D. GULIEL. FULSII, DE DUOBUS Abrahæ filiis, ex D. Paulo, Galat. 4.

De lingua populari, in Latinum sermonem reddita per Ioan. Foxium.

POstquam de legis abrogatione, & justitia fidei grauiter, copioseq; disserens hactenus Apostolus, permultis idoneisq; argumentis abundé demonstravit, non ex lege, sed ex sola Christi fide, omnem constare justificationis nostræ fiduciam: eò nunc rediit, ut à rebus ipsis, ad homines sermone deflexo geminum ipsorum statum ob oculos depingat. Primùm illorum, qui ex operibus legis contendunt ad salutem: Deinde eorum, qui in sola Dei misericordia unicè acquiescunt. Quod quo manifestiùs eluceat, exemplo rem explicat, de duobus Abrahæ filiis petito, quo Galatas suos edoceat, quid rediturum ad se emolumenti sperent, si pergant ita, ut cœperunt, relicto suavissimo Christi jugo, præduro legis capistro cervices submittere: nihil nimirum aliud, quàm quod Ismaeli accidit, nempè, ut pulsi ab Ecclesia Dei, cœlesti prorsus hæreditate excidant. Contrà, qui hæreditaria hac possessione potiri studeant, non ut legis servi cum Ismaële, sed ut filii promissionis cum Isaaco, eam percipiant necesse sit. Primùm itaque disputans Apostolus de legis usu ac officio, ex ipsa lege errorem Galatarum coarguit, ostendens quàm inscii atque ignari sint in sua ipsorum lege, quam tanto studio profitebantur, in hæc verba eos compellans.

Dicite, inquit, *vos qui sub lege esse vultis*, quum nulla vos cogat necessitas. *An legem ipsi vestram non auditis? nunquid legem non novistis vestram?* Imò equidem satis video, réq;

Gala 4 Ver. 21.

ipsa nimium indicat, legem vos profiteri, quam prorsus nec sapitis, nec intelligitis. Nam aliocui si genuinam vim legis, finemq; ipsum, quo vos ducat illa, unde abducat, commodè exploratéque perspiceretis, nunquam tam cupidè & sitienter vos illi in servitutem addiceretis. Videmini forsan exstudiosa hac legis observatione, viam vobis munire ad parandam libertatem: quum non alio majori compendio aditum vobis struitis ad perennem servitutis captivitatem. Præmium fortasse aliquod libertatis apud Deum vobis pollicemini ex susceptis legis operibus, præclarisque vitæ vestræ meritis, quum interim periculum sit, ne hac ipsa ratione amittatis, quod gratuito ipsius munere vobis accipiendum promittit divina benignitas, si sic aspernari pergitis, quod gratis ab illo offertur. Cujus rei si causa perveſtiganda sit, constat hoc quicquid oneris est, non aliunde proficisci, quàm ex legis non probè intellectæ ignoratione. Nam alioqui quis adeò sine omni mente insaniret, ut prudens ac sciens viam sibi intercluderet, ad perfruendam tantæ felicitatis dignitatem, secq; in infinitam servitutem ultro præcipitaret? Ex quo perspicuè liquere possit, quàm pernicioſa res per se exiſtat cæca ignorantia, quam cæci Papistæ matrem solent devotionis statuere, quum parens sit potius omnigenis erroris, nutrix universæ superstitionis, depravatæ doctrinæ, pestiferæq; idololatriæ seges & seminarium.

Libertas ex operibus legis quæsita rectissima via ad servitutem.

Ignorantia cæcamater Papisticæ devotionis.

Atq; in eo sapiunt haud stultissimè prudentes isti in sua generatione Papistarum filii, qui mysteria religionis suæ quàm pauciſſimis cognita, atq; à multitudinis notitia longissimè remota esse curant sedulò. Quod ni facerent, haud equidem addubito, quin magna eorum pars, quos possident hodie errores pontificii, si apertis oculis res ipsas introspicerent, haud minùs præstigias has Romanenses toto pectore averſarentur, quàm qui serpentem domi alentes pro avicula, aut qui hausto veneno, loco medicinæ, aut auro pro carbone commutato, errore tandem deprehenso, postea vehementer sibi ipsis displicerent.

Jam verò papistico huic generi, qui pontificiis his ludibriis sic affiguntur, quid ego aliud dicam, quàm quod Paulus quondam suis Galatis, itidem & ipse totidem verbis

verbis eos adloquar: Dicite mihi vos, quos delectat tantoperè jugum pontificium, satisne scitis, Papismus hic vester quid ferat, quò vos ducat, quò tendat denique? Quod si certò vobis constaret, equidem sic mihi persuadeo, neminem esse vestrûm, qui non à Pontifice, ejusque institutis toto abhorreret pectore. Sed ô rem miram & miseram! Papismum hunc vestrum tam pertinaciter colitis, cujus tamen nec finem, nec rationem certam cernitis. Ideoque non cernitis, quia scire aut non libeat, aut non liceat quidem. Nec mirum. Quî enim potestis aliter sub his maximè didascalis ac ductoribus, qui summo id habent studio, ut quam minimum sapiat atque intelligat Christianorum vulgus, quò tectius ipsi peragant mysteria sua iniquitatis, subverentes ne si percepta sœlicioris doctrinæ cognitione, plebs diuturnis jam tenebris assueta ad lucem aliquando veritatis oculos aperire, veteremque excutere insciliam inciperet, fieret hoc pacto, ut nihil jam ipsi offutiis suis ac mendaciis proficerent amplius. Eoque nec ipsi vos instituunt, nec à nobis doceri sustinent. Hincque tam crassa, támque erroribus obnoxia mentium vestrarum cæcitas, & oculorum obtenebratio: qua fit, ut quid rectè credendum, aut colendum sit, parum intelligatis, qui quo modo Deum rectè colere oporteat, doceri nec vultis, nec quid inter Papismum, rectamque fidem interfit, audire sustinetis.

Jugum pontificium.

Papismus quo ducat denique.

Verùm enimverò, ut ne nesciatis, quę certa ratio, quis finis, & scopus sit pontificiæ Mystagogiæ, quam adeò religiosè profitemini, minimè vos latere id velim, quod certissimum comperietis, universum hunc Romanismum vestrum haud aliò spectare, quàm ut à Christo transversos vos in profundum abripiat, prorsusque à Deo vivo abducat, ad quem nullus omnino patet aditus nisi per Christum filium. Nam ut controversiarum omnia genera, quæ permulta quidem illa inter Christianos, & papistas agitantur, brevi compendio in unum velut caput digeram: quid quæso nos concionando, scribendo, docendo captamus, quid agimus aliud, nisi ut solus Christus unicè perfectéq; omnium servator, redemptor ab omnibus

Summa Papisticæ doctrinę quò tendit.

nibus ſuſcipiatur? Contrà veſtra papiſtica dogmata quid ſpirant, quid inculcant, quid ſpectant niſi hoc unum, ut ne ſolus duntaxat Chriſtus regnet in ſua Eccleſia, ne ſolus ille ſuo unius præſidio nos ſervet, redimátq;, ne ſolus ille ſummus ac unicus nobis Sacerdos exiſtat, qui unico ſolùm Sacrificio ſemel comparato pro peccatis noſtris dependit, quod ſatis ſit: ne unus ille ac ſolus pro mediatore, atq; advocato ſufficiat, ne in ſolis ipſius ſcripturis ſat poſitum eſſe videatur, quo inſtituatur fides eccleſiæ? Verùm ad plenius perfectiuſq; abſolvendum ſalutis noſtræ negotium, cum Chriſto pariter adiungunt Papam, miſſas papales, propria meritorum opuſcula, ſanctorum merita, & invocationes. Adde huc cæremonias pontificias, traditiones, concilia, decreta, & decretalia, indulgentias, divorum ſtatuas, aliáq; id genus varietate ac numero infinita, quæ non minimam gloriæ illius partem, quæ Chriſto ſoli debetur, illi prorſus præripiunt, alióq; transferunt, non ſine manifeſto impietatis ſacrilegio. At longé aliud reſonat myſtica ſanctorum Cantio in ſacris literis: Salus, inquiunt illi, ſedenti ſuper thronum Dei noſtri, & Agno. Vox omnium una eſt eorum, quotquot per Chriſtum ſervantur. Cui non minus itidem concinit omnium Angelorum & beatarum mentium ἡ συμφωνία, concordi confeſſione acclamantium: Benedictio & claritas & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum.

Apocalyp. Cap. 7.

Apocalyp. Cap. 7. 5.

Admonitio ad Papiſtas.

Hæc etiam atq; etiam apud vos perpendite viri papiſtæ, ſimulq; hinc cognoſcite, quid intus veneni tegat hic papiſmus veſter, priuſquam mors hinc vos abreptura ſit. Atq; ut hæc una poſitio exempli gratia à me deprompta, atque ex immenſa farragine cæterarum controverſiarum petita abundè vos admonere poterit, quid de reliquis omnibus inſtitutionum veſtrarum principiis & fundamentis ſit æſtimandum: ita haud difficilè fuerit in cæteros omnes errores veſtros ordine diſquirere. Sed ne in longum abeat oratio, ſat erit unum atq; alterum brevitatis cauſa delibaſſe.

Corruptio cænæ dominicæ apud Papiſtas.

Primumq; liceat hoc à vobis percontari, qui in cœna myſtica corpus ipſum Domini, non myſtica ratione, ſed naturali; non fide, ſed ſola gula: non mente, ſed ventre: non ſignificante myſterio, ſed oris dentiumq; miniſterio

ſuſcipi

fuſcipi à vobis ac confici contenditis; ſatiſné percipitis, quę hinc portenta abſurditatum conſequantur? Nempé permagna quædam res vobis videtur, ſi beatiſſimum illud domini corpus, quod pro nobis litatum eſt, in fauces recipiatur veſtras. Atqui ſi mica vobis ineſſet ſanæ mentis, multo beatius duceretis, Chriſtum in internam veſtri partem, atq; intimos animi receſſus ſuſcepiſſe, eoq; ſuſcepiſſe modo, quo ſemel admiſſus nunquam deinceps ſit inde receſſurus. Habitat ſiquidem ille in cordibus noſtris per fidem. Ephes. 3. Huc q; omnis noſtra ſpectat inſtitutio, qua Chriſtus populo proponatur per fidem digerendus, non in ventrem, ubi denuò ejiciatur, ſed in animis trajiciendus, ubi cum ipſis maneat in æternum. Quæſo quid hac interpretatione illuſtrius? Quid conuenientius? Contrà verò eorum ſententia, quæ in carne duntaxat hæret ſacramenti, quid dilutius, quid inſulſius? Quippe quæ nihilo plus fidei, quàm infidelitati tribuat, quum juxta hanc aſſertionem ęque fiat, ut impii corpus domini participent, atq; pii.

Chriſtus quo modo digerendus.

Atque inquies, non permanet Chriſtus cum impiis. Sanè, ac ne cum piis quidem, juxta hunc edendi modum, quem vos ſomniatis. Sic enim aſſeveratis, Chriſtum in ipſum quidem ſtomachum tranſmitti, cæterùm quouſque in ſtomacho penetret, quamdiu permaneat, nondum à vobis definitum eſt, niſi quòd uno ferè conſenſu, in eo omnes congruitis, Chriſti corpus in corpora noſtra transfuſum haud diutius perdurare, quàm ipſa permaneant ſignorum accidentia, panis videlicet & vini, quæ in ventrem ſemel accepta diu illic reſidere nequeant. Quanquam neq; in uno hoc omnes clauduntur abſurditates, quæ ex craſſo hoc manducandi genere neceſſariò conſequuntur. Siquidem dum Chriſti corpus in tantillum unius paniculi fruſtrum contruditis, rurſuſq; hoc ipſum in tot tam diuerſa ſimul loca diffunditis præter omnem naturę conditionem, quid aliud quàm veritatem humani illius corporis euertitis, quot ex eo naſcuntur abſurdiſſima incommoda, ipſi quæſo cum animis veſtris deliberate.

Abuſus & abſurditas papiſtarum in uſu cœnæ

Primùm non ſolùm fundamentum noſtrę per Chriſtum redemptionis convellitis, ſed omnem etiam reſurrectionis ſpem, & aſſumptionis gloriã prorſus evertitis. Etenim quę

nobis redemptio, quæ resurrectio aut gloria expectanda ex Christi corpore pro nobis moriente, resurgente, & ascendente, nisi ex mutua conjunctionis similitudine, qua factus ille caro de carne nostra, & os de ossibus nostris communem ipse eandemq; per omnia nobiscum, excepto duntaxat peccato, corporis naturam induerat, in qua passus est pro nobis, in qua & resurrexit, quam & in cælis secum subvexit. Sed non vacat huic contentioni pluribus immorari. Unum adjecero, in quo peto similiter mihi respondeatis. Dicite amâbo, qui in obeundis sacris, nihil peragi nec in templis audiri sustinetis, nisi ea lingua, quam populus minime intelligat: Scitisne satis, latinus ille cultus vester quid mali apporter? Age, ut id fingamus, ignota illa lingua nihil retineri aliud, præter scripturas sacras & pias precationes: at Paulus tamen Apostolus ad Corinthios scribens aperte testatur, nihil in publicis audiri cœtibus oportere, nisi quod serviat ædificatione.

Ignota lingua in templis Papistarum.

Cæterùm obmissis interim Papistis, ad Galatas sermonis digressionem revocemus. *Dicite*, inquit Paulus, *Vos*, vos inquam, *quibus tamopere cordi est in legis servitutem iterum implicari, an non legem ipsam audistis? an non legistis legem? &c.* Velut his verbis submonens, ne aures temere præbeat iis, qui humana commenta, & traditionum fabulas non scriptas, extra legem populo ingererent, verùm ut in legem ipsam potius intendat animos. Irrepserant enim illic pseudoapostoli nonnulli, qui Galatis sedulò persuadebant legis observationem cum fide Evangelica conjungi necessariò oportere, non quòd à Christi fide quenquam prorsus illi avocabant, sed cum fide Christi, ritus legis Mosaicæ pari necessitate conjungendos contendebant.

Pseudoapostoli legem cum Evangelio conjungentes.

Contra hos toto impetu opponit se Apostolus, sedulò monens suos Galatas etiam atq; etiam videant, quam rem agant, ne; sequantur, non quod fucati isti Nomodidascali deblaterarent: verùm ut ipsa potius legis scripta in cõsilium adhibentes prudenter expenderent, quod dictaret Dei lex, utrum ea talem cõmissuram Mosis cum Christo qualé isti astruebant, approbaret, an secus? Nec dissimilis hodiè & nobis incidit, in eadem propè controversia, cum papistis nostris cõflictatio, nisi quòd hi tãquam germana lobe-

Pseudocatholici nostri papistæ quo modo cum pseudoapostolis conveniunt.

les

les Antichristi, non paulò tetriores illis, quos dixi pseudo-apostolis, videantur. In eo autem utriq; pariter junctissima sanè συμφωνία conspirant, quòd opera cum Christo, merita cum misericordia, hominē cum Deo, in negotio iustificationis cōmisceant: nisi quòd pseudoapostoli illi seductores minùs aliquātō nocentiores Papistis istis videantur: quòd opera legis adjungāt quidem illi, non nisi quæ à Deo ipso simpliciter præscripta sint, hi verò non quę divina mādat præscriptio, sed humanæ supererogationis opusculis gloriantur, eaq; ad cōparandā salutem non exequant modò cum fide Evangelica, sed etiam præferunt. Utrinq; in eo tamen erratur, quòd utraq; pars justitiæ caulam in observatione legis cōstituat. At multò gravior Papistarū accrescit blasphemia. Siquidē illi etsi justitiæ summā in ceremoniis falso opinionis errore collocabant; at hujusmodi hę ipsæ erant, quarum observatio à Deo ipso autore instituta atq; ad tempus mandata sit. At quanto his crassiores nostros hodiè Papistas meritò dixeris, qui suis ceremoniis, quę nullā habent omninò divinę autoritatis præscriptionē. Siquidem circumcisio, paschalis victima, cæteraq; id genus sacrificia, rituq; legales prioris testamenti etsi non in hoc parabantur, ut durarent perpetuò, tamen indubitatā trahebant ex diuina constitutione defensionem. Contrà verò aqua hæc lustralis, panis pontificiæ benedictionis, peregrinationes, cęteraq; ejus monetæ parerga nec Deum autorem habent, nec divinum vel è virum, sed ab autore Antichristo, summo Dei Christiq; adversario profusa sunt.

Opera supererogationis.

Summa justitię in ceremoniis collocata apud papistas

Ceremoniarum ritus in pontificia ecclesia & in veteri Synagoga comparati.

Quæ quum ita habeant, vobis proinde videndum, qui sub lege esse vultis, quo tandem in loco stationem figitis, ne putri fortassis innixi fundamento ruatis in præcipitium. Nam si justitia per legem comparatur, ex iis certè operibus legis, quæ à Domino ipso præcipiuntur, promanare necesse est. Aut si ceremoniarum observatio justitiam conferat, hujusmodi ceremoniæ sint oportet, quarū institutio à Deo autore proficiscitur, quum tamen de iisdem ipsius ceremoniis non ritè secundum ipsius voluntatem administratis, quid ipse dicat Dominus, nō ignotū est. Quis, inquit, hęc requisivit de manibus vestris? Si nihil tum juvabat ceremoniarum cultus Dei ipsius mandato

dato susceptо, quid de nostris sperandum ceremoniis, humano solùm ingenio, ne dicam superstitione, excogitatis? Quòd si verò Justitiæ remunerationem ex operum & ceremoniarum perfunctione referendam vobis existimetis, at unde eam percipietis? An non ab eo, qui certas vobis regulas ac formulas justitiæ præfinivit? Quapropter si in operibus legis & ceremoniis justificationem statuitis, quæ sint igitur illa opera legis & ceremoniarum, prudenter ut cogitetis, ritéque ut observetis, curandum est. Neq; enim alia conditione promittitur à lege remuneratio, nisi quæ legis sūt, ritè præstātibus. Qui fecerit, inquit, ea, vivet in eis.

Quapropter si quid ex legis obsequio sperandum putetis emolumenti, non quid extra legem dicat vulgus Papistarum, sed quid ipsa doceat lex, auscultandum est. Tum ea maximè in re, in qua utriq; pariter & pseudapostoli, qui Apostolorū vixerunt temporibus, simul & nostri hodie pontificii, communi erroris consensu conspirantes, opera legis suaq; merita cum divina misericordia ineptissimè confundunt atq; commiscent. Quibus ego hominibus quid dicam aliud, nisi illud ex Paulo atq; cum Paulo: *Dicite, inquam, viri quæso præclari, qui deserta Euangelicæ gratiæ libertate sub aspera legis pædagogia servire iterum vultis: quid, an legem non auditis, aut si auditis, num legem rectè intelligitis?* Ecquem locū, aut sententiam, ex toto legis contextu, quisquam vestrum mihi produxerit, ex qua dissonam hanc disjunctissimarum rerum consonantiam, legis cum Evangelio, operū cum fide, Mosis cum Christo, meritorum cum gratia, ad salutē constituendā astruere liceat? Quod si ita stat vobis sententia, fieri posse, ut natura legis ferre ec pati queat connexionē hanc operum & gratiæ, misericordiæ & meritorum, age fruamini judicio vestro, licebit, justitiamq; inde petatis, unde commodissimè parari posse videbitur. Verùm enimverò quum ea legis propria vis & natura existat, quę non perfunctoriam, sed perfectam omnibusq; numeris absolutam in eo obedientiam exigat, qui velit ad veram justitiam contendere, quid agitis, quæso, aliùd nisi ut vobis ipsis veram illam invideatis justitiam, quæ Dei est, dum propriam statuere quæritis, nec subjici vobis libeat ei justitiæ, quæ in Deo sola constat per fidē Iesu Christi? Itaq; dum in neutro con-

Legis natura non fert operum & gratiæ conjunctionem,

consistitis, sed inter hæc duo vosmet librantes, partim Christi præsidio, partim ex operibus legis, justitiæ fructum sectemini, eo sit, ut utrinq; frustrati, neque per Christum, neq; per legis opera sitis justitiæ compotes. Lex siquidem neq; transgressionem ullam admittit, nec gratia Christi satisfactionem quamcunq; patitur. Nulla conjunctio legis & gratiæ iuratione justificandi.

Quanquam nec ita fidei tamen omnia tribuimus, ut nullas interim justificãdi partes legi relinquamus. Neq; enim inficiamur, quin legis observatio, quæ perfecta sit, perfectã conciliat justitiam. Quemadmodum rursus & fides, quæ in Christo est, justificat sine operibus legis. Sed specta hic sophisticam, vel diabolicam verius dixerim fraudulentiam quid ex eo struant lepidi isti argutiarum artifices, ex scholis ita subinferentes: Quid, inquiunt, an non certum æque ac tritum illud est, quod à philosophis accipimus axioma: Virtus unita fortior? Esto, & quid tum postea? Accipe nunc plusquam invictum conclusionis acumen. Nempe, Lex, inquiunt, justificat; & fides justificat, utraq; per se seorsum; ut ipsimet fatemini: Ergo multo magis, si conjungantur. Sophisticæ adversariorum objectio.

Ut huic occurramus sophismati, primùm de permistione hac fidei cum operibus, quatenus duo hęc inter se diversa in justificando conveniant, aut non conveniant disquirendum est ac distinguendum. Primumq; quid lex hac de re statuat, auscultemus. Neq; enim dubium est, quin lex ipsa perfecta sit regula ad justitiam vitamq; conciliandam iis, qui non auditores tantùm, sed factores legis existunt. Quisquis ardenti studio, perfectaq; vitæ integritate, universa persolverit, quæ præscripta sunt, vivet in eis, jureque optimo per opera justitiæ, æternam sibi vitam vendicare licebit, at ea tamen conditione, dummodo plena exactaq; legis adamussim observatę perfectio adhibeatur. Quæ ni accesserit, numeris omnibus absoluta, nulla justitiæ spes, nulla vitæ æternæ merces expectanda. Maledictus enim, qui nó permanserit in omnibus, quæ in lege imperata sunt. Dilutio objectionis.

Ex quo duplex exoritur annexa legi, ut cernitis conditio: altera mercedis, si exactè observetur: maledictionis altera, si vel in minimo peccetur. Quo argumento perspicuum fit, quàm longè aberrant hi, quasi in mari magno, egregiè suam prodentes inscitiam, qui legem cum Evange- Legi duplex annexa conditio.

lio, gratiam cum operibus, merita simul & misericordiam nullo discrimine cōfutissima perturbatione cōvolvunt: quę natura ipsa usq; adeo inter se pugnant ac cōfligunt, siuntq; contraria, ut congredi quidē illa, in hac justificādi ratione nihilo magis queant quàm si cœlū terra misceas. Ea siquidē legis natura & vis est, ut unica per omnē vitā contracta ex ejus violatione labecula, levissimaq; extra viā aberratio reos nos divinę maledictionis statuat, regnoq; justitię excludat.

Natura legis & Evangelii inter se collata.

Evangelii nunc vicissim naturā cum lege componamus, exploremusq; an ullam ea cum operib. societatē admittat in hac quidem justificandi causa, aut secus. Ex Evangelica institutione id primum certissimum est, per gratiam salvos nos fieri. Gratia verò liberalissimæ donationis vox est, ita ut si quicquam præterea apponātur, Gratia jam esse desinat. Unde Apostolus, si ex operibus, inquit, jam non ex gratia: si ex gratia, jam non ex operibus. Neq; enim aliter gratia ullo modo existeret, nisi modis omnibus esset gratuita. Ideoq; quum dixit Apostolus, nos gratis justificatos esse gratia ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, minimè id verum videretur, si quid usquam aliud ad pretium hujusce piationis accederet, præter redemptionem, quæ est in Christo Iesu.

Gratię vox.

Rom. 11.

Sed audiamus legis verba, quid ferant. Sic enim testatum lege comperimus (legis siquidem vocabulo integrum illud Mosis pentateuchum universè complectimur) *Abraham geminos fuisse filios, alterum ex ancilla, alterum ex libera prognatos. Atq; illum nomine quidem Ismaelem, hunc Isaacum appellari. Ismaelis mater fuit Agar nomine, natione ægyptia, conditione serva atq; ancilla. Isaacus matrem habuit Saram legitimam Abrahæ uxorem, quæ libera habebatur. Ex serva Agara servus item Ismael ad ejusdem conditionis similitudinem producebatur. Isaacus verò ex matre Sara libera, liber enascebatur.*

Habetis principio hac in historia geminam haud leniter advertendam antithesin, inter binas matres, geminosq; ipsarum filios, quæ tamen collatio propriam Abrahæ familiam minimè egreditur. Gerit autem privata hac familia sub mystico involucro typum haud obscurum publicæ Dei ecclesiæ. Quocirca Ismaelem hunc, quisquis is sit, non extra Ecclesiam quæramus oportet, apud barbaros pro-

Antithesis seu collatio inter duas matres, & duas ecclesias.

phanæ

phanæ gentilitatis allophylos, professosq; dominicæ fidei hostes: verùm intra caulas ipsas, septaq; sanctæ & universalis ecclesiæ, apud hos ipsos, inquam, qui intra domesticam Abrahæ familiam, primos ac præcipuos sustinent honoris gradus in intimo ecclesię Christianæ sinu: non aliter atq; Ismael primogenitus, summus aliquando hæres apud domesticos Abrahæ habebatur. Quocirca, qui verè Ismaëlitę hodie existunt, si vestigiis sint nobis persequendi, non apud Turcas, & apertos nominis Christiani hostes, eos investigemus, sed apud Papas & papicolas, ter quaterq; reverendissimos, qui primas sibi partes in Ecclesia Christi venditant. Quorum omnis institutio si cum Ismaelitis conferenda sit, haud multum videbitur discriminis. Gerunt isti solennes religionis professiones, consimiles prę se ferebat & Ismael: gloriantur isti magnificis suis titulis. Nec defuit Ismaeli par gloriandi materia: ostentant nostri Rabbini magno supercilio, suas nescio quas, tẽporis & ętatis prærogativas, idem factitabat & Ismael: cõtendunt isti hęreditario jure antiquitatis, deberi sibi principem in Ecclesia locum, adeóq; totam ad se ecclesiã rapiunt, perindè ac si res ipsa proprię sit ipsorum possessionis: vixq; dici potest, quas hic cristas erigunt, quàm magnificè se efferunt hi Romanenses. His nihil placet, quod imum sit aut humile. Si quis locum illis in campanario, vel sortem in Clero, aut gradum in Ecclesia deferat, cæteris suis æqualibus parem, nullo modo ferunt, putantq; fieri sibi injuriam, nisi suprema quadam & primaria πρωτοκαθεδρία singulis & universis præmineant. Quin comprimitis tandem, O boni, thrasonicas has ampullas, spi rituſque istos minuatis. Quin phylacteria hæc vestra ac fimbrias plus nimio latas ne dilatetis, moneo: vosque intra cutem tenete vestram: Non est, quòd altiorem vobis locum in domo Domini arrogetis, quàm Ismael sibi usurpavit in paternis ædibus, quem ille quidem non infimum possidebat. Annis enim permultis non minùs sedecim, aut 17. solus Ismael primogenitus Abrahæ filius, natura & honore maximus habebatur, ad quem ex prærogativa suæ genituræ, jus hereditandæ paternæ possessionis pręcipuè spectare videbatur. Verùm non omnes, qui quocunque modo, juxta externam sangui-

Ismael non apud Turcas sed in medio tullio ecclesiæ versatur.

Collatio Ismaelis & papistarum.

Contentio de primatu in ecclesia.

Non ordinis aut loci prærogativa, sed dono promissionis hæredes Abrahę designantur.

sanguinis cognationem prognati sunt ex Abrahamo, hæredes sunt Abrahæ, sed in Isaac vocabitur tibi semen. Non igitur ut quisq; nascendi ordine prior præcesserit, aut qui fortissimè hæreditatem sibi vendicare poterit, id refert tantopere: sed qui natura, ac legitima conditione potior sit, in eum competat ius hæreditatis. Qui enim natura seruus est, jure ipso civili, incapax est hæreditatis. Jam verò, eodem jure, ea cujusq; filii conditio ducitur, quę matris esse censetur. Quum itaq; Ismael ex matre, & serua & ancilla æditus sit, hereditas in eum cadere nullo jure potuit, quamlibet plausibilem primogenituræ titulum obtendere videbatur. Rursusq; alter, qui ex matre prognatus est ingenua, quantumlibet tempore posterior, commendatione tamen maternæ libertatis, paterna potitus est hæreditate.

Non qui prior sit, sed qui potior, in ecclesia Dei spectandum.

Quamobrem miseri isti οἱ νομοδιδάσκαλοι νομοδιδάσκαλοι, cum reliqua universa eorum colluvie, quicunq; in operibus legis suam statuunt justitiam, si modò seruos se, non Sarę, sed Agar; nō heræ, sed ancillæ: nō liberæ sed seruæ filios ostendāt, nihil eos juvabit, quantumlibet sublimes cathedras in familia Abrahæ, ingenti multorum applausu, multo jam tempore possedisse. Nec verò dubium, quin ipse tandem aliquando rerum exitus certissimo docebit experimento haud aliud, quàm Ismaelitas istos esse & Agarenos, nihilóq; plus inde consequuturos, quàm quod Ismaeli, ejusq; matri diuinæ tribuunt literæ.

Atque hactenus audistis de duobis Abrahæ filiis, quorum altero rejecto, alteri licèt minori cessit hęreditas promissionis. Supereſt modò id excutiendum, quid causæ sit, quamobrem Ismael, qui ex eodem patre æquè propagatus esset, idemq; primogenitus, in sortitione hęreditatis, vel non præpositus fuerit Isaaco, vel non æqua saltem sorte cum eo pariter copulatus. In eo siquidem omnis hæret hujus controversię difficultas. Quî fit, quòd quum duos Abraham haberet filios, in partiunda tamen hæreditate, non uterq; admittitur, sed alter duntaxat, nec qui major, sed qui minor erat, hæres designatur, majore prorsus exhęredato. At perfacilis, & expedita responsio est. Quia nimirum unica tantùm patet ad hanc hęreditatem

Quæstio.

Solutio.

perve-

perveniendi via, per solam promissionem, solam misericordiam, solam fidem. Unde in promptu est colligere, quid causæ sit, cur Ismaele repudiato, hæres solus sit designatus Isaacus, eò nimirum, quòd Ismael juxta carnem natus esset, Isaac per promissionem. Hæreditas autem sola nititur promissione. Promissio verò nulla meritorũ pactione: sed sola Dei misericordia perficitur. Quoniam itaq; non juxta carnem sed juxta promissionem nascitur Isaacus, hęreditate donatur.

Sola promissio. Sola fides. Hæreditas sola constat promissione.

At mirum fortasse istud prima fronte videri poterit, cur paulus Ismaelem juxta carnem, Isaac juxta promissionem procreatum diceret, quum pari uterq; conditione, ut ex eodem parente, ita eodem propagationis modò & ordine profluxerit, nec ullum interesset discrimen quo minus videretur Isaac juxta carnem genitus, perinde atq; Ismael, præsertim quum consimili & usitato communis conceptionis & generationis ritu, quo susceptus esset Ismael, cæteriq; mortales omnes homines; Isaac ex eadem mortali carne mortalis & ipse nasceretur.

Objectio.

In Christum namq; solum singularis hæc competit privilegii dignitas, ut is unicè ex omni genere conceptus sit de spiritu sancto. Quod quum ita sit, fieri aliter non posse videtur, quin Isaac de carne, non de spiritu productus necessariò intelligatur. Rursus nec causa ulla erat, quo minus & Ismael æquè atque Isaac per promissionem legitimè genitus crederetur: præsertim quum parens illius Abrahamus non vitiosa ulla carnis libidine incensus, sed uxoris instinctu adductus conscriverit cum Agara ancilla connubium, quo promissum sibi hæredem, ex ea, ut putabat, susciperet. Age, & quid obstat igitur, cur non & Ismaelem affirmemus æquè per promissionem genitum esse, quem sanctissimus pater tam sancta proposita sibi deliberatione genuerat: vel cur negemus Isaacum perinde juxta carnem prodiisse, quum non alia ratione conceptus, productusq; sit, quàm Ismael, cæteriq; omnes communi nascendi more procreari soleant.

Objectiuncula.

Sed verba Apostoli, quid de his ferant, audiamus. *Qui de Ancilla*, inquit, *secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem, &c.* Cur autem Ismael secundem

Responsio ad objectionem.

carnem

carnem æditus, Isaac verò promissionis dicatur filius, attentè nunc causam appendamus. Quòd si autem prima initia conceptionis illius, qua ortus est Ismael, rectè intueamur, nihil in ea gestum, quod non secundum carnem fuerit, comperiemus: non solùm ob hoc, quia juxta morē hominum pervulgatum, vi naturæ, ex juvencula progenitus sit, sed ob illud maximè, quia consilium, quod dederat Sara, de asciscenda Ancilla, quamlibet non inhonestam, piæ cujusdam suasionis speciem præ se gerebat, ipsa tamen nihil aliud nisi carnem, ac terrenam humanæ rationis politiam prorsus redolebat. Cæterùm humanas & politicas istas rationes, divina prudentia minimè conjungendas cum suis consiliis, in hac Isaaci genitura, existimabat, quò Typus ille ac imago foret eorum, quos hęredes suorum promissorum designare statuerat Deus. Ita enim res habuit, (ut ab ipsis fundamentis statum rei universæ evolvamus) promiserat Deus daturum se terram Chanaan Abrahę, ejusq; posteris, quos ipse in infinitam quandam copiam, & cumulum non numerandæ multitudinis, instar astrorū cœli, & arenæ Oceani, supra modū amplificaret, ipsumq; patrem multarum nationum constitueret. Cujus deniq; ex semine benedicendæ essent quotquot sunt usquam in orbe gentes, ac Tribus terræ.

Isaac typus eorum, qui hæredes sunt promissionis.

Promissio Dei testamentaria inita cum Abrahamo.

Huic divinæ promissioni, quum esset per se amplissima, peneq; incredibilis, minimè tamen diffidebat Abraham, sed prompta alacriq; fide arripuit, nihil de fide hæsitans promissoris: Idq; imputatum ei est ad justitiam. In quo mirum quidem ille, & suæ in Deum fiduciæ, & nobis bene sperandi credendiq; exemplum aperuit. Promiserat siquidem Deus datum iri sobolem ei, ex Sara legitima ipsius conjuge quæ in numerosam posteritatis multitudinem usque adeò excresceret, ut cœlum ipsum innumerabilium stellarum densitate posset numero ipso æquare. Mirifica profectò pollicitatio, quæ fidem ferè omnem videri posset exuperare.

Fides Abrahæ spectata.

At Abraham nihil cunctatus, neque id spectans, quid in re ipsa probabile esse posset aut verisimile, sed quis is esset, qui promiserat, fidem mox adhibuit verbis domini, de autore tanti promissi nihil addubitans. Quin nec

fefellit

fefellit eum fides in eo, quod promittebatur, præstitit enim dominus quod est pollicitus. Sed priusquam id faceret, in tempus perlongum, ad seram usque senectam producta res est. Accessit enim Abraham ad annum jam centesimum: non tam ipse ad generandum invalidus, quàm uxor Sara invalidior ad pariendum natura ipsa videretur. Neque hic defuit interim divino Patriarchæ præstans & singularis fides. Sed specta tamen in uxore nonnullam carnis infirmitatem, quę & ætate & viribus destituta, quum se imparem sentiret ferendo utero, ac nonnihil de suo vigore desperans, id demum cœpit consilii, quod & viro dedit: ut Ancillam suo loco sibi ipse adjungeret ex eaque susciperet, qui hæres esset promissionis, futurum nempè suspicans hoc modo perfectum iri, quod promisisset Dominus, si loco ipsius Ancilla hæredem sibi ædidisset. Differt Deus promissionem, servat tamen.

Nec dubium, quin pio quidem animo id ipsa fecerit, & suasit uxor, & alter obtemperabat, uterq; ita cogitans futurum, ut hæredem à Deo sibi promissum acciperet. Sed de modo quo donandus esset, valde in eo utrique aberrabant. Ex quo illud succurrit obiter observandum, quàm nihil ad rem faciant humana omnia consilia, quamlibet rationi consentanea, si verbo Dei destituantur. Ad hunc modum existimabat Sara sat fore, ad exequendum Dei promissum, si quum ex se non posset, ex serva saltem partus ei contingeret. Verùm hoc consilium, ut ex humana carne & ratione, non ex divina voluntate profectum est: ita qui juxta hunc modum natus est, rectè juxta carnem natus, non per repromissionem, dicitur. *Promissio enim Dei aliud ferebat futurum pollicens, ut ex Sara nasceretur, in quo caderet promissa hæreditas.* Quo exemplo admoneri nos omnes oportebit, quàm parum tribuendum sit humanis consiliis, quàcunq; religionis faciem aut pietatis prę se gerant, nisi adjuncta divinæ cõprobationis accedat autoritas. Eoq; nomine meritò improbandum est consilium Saræ istud, quod utrumq; humanę rationi haud ita absonum videri potuit: tamẽ quia ex carne, nõ ex fide, neq; ex divini præcepti autoritate, pmanavit, laudẽ pietatis nullã habet, sed inustã potius notam fert infidelitatis. Etsi enim de promissionis veri- Humana cõsilia in rebus Dei, sine Deo, cæcutiunt. Consilium Saræ cur improbandũ.

veritate nihil addubitat, in eóq; nihil erratum eſſet: hæc tamen gravis erat hallucinatio, quòd pia alioqui mulier promiſſionem hanc haud aliter præſtari oportere interpretabatur, niſi ea ratione, quam ei non divina mens, ſed proprię duntaxat carnis affectus ſuggerebat. Ideóq; quia Dominus paulo cunctantior ei videbatur in differenda promiſſione, jamq; ætas & invalitudo viri magis ac magis ingraveſcebat, ſimulq; ſuam ipſa agnoſcens impotentiam, conſilio utendum cenſuit, quo initum divinæ pollicitationis pactum promoveret, nec expectandam ſolùm Dei promiſſionem, ſed etiam adjuvandam exiſtimabat: uſitato quidem, ſed ſtultiſſimo multorum exemplo. Neque enim diſſimilia plærumq; exiſtunt humani ingenii ſtudia, quippe qui promiſſam à Deo hæreditatem, non dono ipſius gratuito accipiendam, ſed conſiliis noſtris ac laboribus perquirendam judicamus, id quod non alia cauſa, quàm ex carne & infidelitate proficiſcitur. Nam alioqui, cùr benigniſſimi numinis promiſſioni opem ipſi ſuam adjungere auderent, niſi aut diffiderent potentię ipſius, aut de fide conſtantiaq; dubitarent, in præſtandis iis, quæ ultro defert divina benignitas: quatum alterani adjectione ſuarum virium ſuffulcire, alteram commendatione proprię dignitatis locupletare atque exornare ſatagunt: quaſi verò non abundè nobis, ſine nobis ſufficiat, ad placandum Deum, unica dignitas filii unigeniti Domini & ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Humanæ carnis infirmitas in credendis Dei promiſſis.

Ex his quę de Iſmaele hactenus ediſſeruimus, abundè demonſtratum arbitror, qua ratione natus ille juxta carnem in ſcripturis affirmatur. Cujus ſi pactum ipſum tamq; ſpectemus originem, haud quicquam in ea comperiemus quod cœleſte, quod ſpirituale exiſtat, nihil quod nō carnem & communem hanc naturam ſapiat. Etſi enim non deerat parentibus, è quibus prognatus ſit, affectus fortaſſe non malus, ac ſtudium quoddam hæredem promiſſinis procreandi: at ipſa hæc tamen conſilii incitatio, quæ non verbo Dei, ſed propriæ rationis & carnis ductu regebatur, Carnalis proinde & terrena meritò ducitur. Eoq; conſequens eſt, ut qui ex Ancilla hoc modo productus ſit, prorſus juxta carnem natus exiſtimetur.

Iſmael juxta carnem natus.

Quo-

Quomodo nunc genitus sit Isaacus per promissionem, supereſt id viciſſim expendamus. Erat autem ille longè diverſa ratione non ex Ancilla, nec ulla humani conſilii politia, nec carnis viribus, Iſmaëlis fratris exemplo, ſed per fidem in ſola Dei promiſſione poſitam, ex Sara legitima liberaque matre genitus. Nam alioqui quod ad ipſam attinet naturam, utercque eò proceſſerat ætatis, tum Abrahamus, qui centenarius eſſet, tum Sara quæ non multo minus exhauſta jam ætate adeò conſenuerat, ut nulla ſpes prolis amplius vel huic concipiendæ, vel illi progenerandæ, juxta humanam omnem rationem relinqueretur. Quocirca is, qui in hunc conceptus modum præter omnem naturæ vim ædebatur, non immeritò promiſſionis filius, fide magis quã natura procreatus dicitur. Fide enim Abraham robuſtus, licet corpore invalidus, ætatis ſuæ nec imbecillitatem adeò, neque uxoris emortuã quaſi membra reſpiciebat, ſed fretus promiſſoris omnipotentia, certam ſpem concepit fore, ut quod promiſerat ille, certiſſima fide præſtare & poſſet & vellet. Quin & Sara eadem ſe confirmans fide, vim divinitus obtinuit in decrepita Senecta concipiendi. Peperitque tandem promiſſum filium, natura licet ſterilis & infæcunda, eò quòd veracem & fidelem illum credidit, qui promiſit. Unde tota hujus rei gloria ſolidaque laus non homini, non humanæ debetur potentiæ, ſed Dei propria exiſtit, ei unicè aſcribitur univerſa. Qui niſi pro ſingulari ſua pietate opem hîc interpoſuiſſet, nihil erat in Abrahamo jam vetulo & vieto; nihil in Sara jam arida & emarcida, quod ad ſpem prolis quicquam conferret. Ex quo neceſſariò relinquitur, in nativitate Iſaac, ut nihil poſitum in humana ope cernitur, ita nec quicquam exiſtere, quod humana laus hic ſibi vendicet, ſed in Dei promittentis, præſtantiſque quod promiſit, gloria rei geſtæ transfundatur univerſa.

Iſaac natus ſecundum promiſſionem.

Iſaac qua ratione promiſſionis filius dicitur.

Abraham fide robuſtus.

In Iſmaele res longè ſecus haber, ad quem ſi hæreditatis promiſſio pertinuiſſet, minima hujus laudis portio in Deum redundaret. Magnam namque ejus partem natura ipſa vendicaret. Primum quòd Abraham etſi annis paulo provectior, nondum tamen eò pervenerat impotentiæ, ut omni prorſus facultate defectus eſſet generandi. Quid

Genitura Iſmaelis & Iſaaci conſiderata.

quòd, Agar adhuc juvencula καὶ ἀκμάζουσα in medio ætatis flore viguit. Age, & quota igitur jam gratiæ istius portio in Deum recideret ex hac magis nativitate, quàm ex cæteris quibuscunque naturæ operibus? Adde huc, quòd in hac laudis distributione non postremam etiam commendationem humana ad se sapientia traheret. Etenim si Saræ id successisset, quod animo conceperat consilii, quodque viro sequendum proposuit: atque si ex eo suasu hæredem sibi promissum ex ancilla obtinuisset, quàm non parum inde, tanquam ex re bene gesta, ipsa sibi applauderet ex reperta nimirum tam ingeniosi consilii ratione? Accedit porro, quòd & Abraham in obsequendo, non omnino indignus aliqua commendationis partitione videri potuisset. Utrique referam interim quòd & hic se ingerens Ismael, titulo primogenituræ, haud levem honoris ac dignitatis portionem ex integro cumulo tanquam debitam, sibi decerpere posset & usurpare: ita ut ex universa hujus gloriæ partitione, vix spicilegium aliquod ad Deum rediret denique.

Atque ita in Ismaële hoc vivum quoddam præcessit exemplar carnalis naturæ: ita hoc idem ipsum τὸ ἀρχέτυπον καὶ παράδειγμα ingenuè referentes filii papistarum, filios se se non promissionis, sed carnis; ex ancilla serva servos, non liberos, juxta carnem non juxta spiritum natos, non germanos hæredes esse [sed heredes potius esse] & multis & magnis declarant argumentis. 1. Primum enim papistæ isti Ismaëlis exemplo, ut hæredes promissionis videantur, naturæ ascribunt nonnihil. 2. aliquid rursus humanæ rationis lumini & intelligentiæ tribuunt. 3. partem denique bonam magnamque propriæ sedulitati & studio accommodant: nec ullo inducuntur modo, ut jus hæreditarium ex gratuita Dei promissione recipere sustineant.

Papistæ se non filios & hæredes, sed servos se esse declarant idque multis argumentis.

1. Natura ipsa.

1 Naturæ primùm, ubi videlicet cum philosophis ethnicis, initia omnia in se virtutum attribuunt, adeoque naturalem quendam appetitum honesti, etsi obrutum in nobis, non tamen extinctum prædicant, quo ducti recipiendæ Dei gratiæ idonei, etiam sine gratia, reddantur: Gratia deinde adjuti, pares fiant omnibus iis exequendis, quæcunque imperat divina præceptio.

2. Ex lumine deinde humani ingenii excogitarunt nescio quæ inventitia opera, quæ pretio & dignitate sua, multo fortiùs provehant ad conciliandum favorem Dei quam illa ipsa opera quæ, in expressa ipsius lege, divina præscripsit autoritas. Vis naturalis luminis.

3. Postremò, quod ad propriam attinet sedulitatem, huic tantum tribuunt, ut in ea proram & puppim constituant perfectionis. Hinc enim natura, aiunt, extimulatur ad perquirendam gratiam. Gratia in hoc subservit, ut sapientiæ præmium à Deo promereamur. Sapientia verò confert ad accumulationem meriti, quod non modò his sufficiat, qui graviter elaborarint, sed quod in alios etiam ὑπερπερισσεύῃ redundet, quibus minus sufficiat proprii meriti mensura. Propriæ voluntatis facultas & sedulitas.

Atqui interim præclari isti viri gratiam Dei minimè se excludere affirmabunt. Consimiliter nec fidei promissionem excludebat Ismael, & tamen jus hæreditatis assequi nequibat, quippe juxta carnem non juxta spiritum prognatus. Nihilo magis isti unquam se divinæ gratiæ participes futuros putent, qui carnalibus præsidiis, suisque viribus ad eam contendunt. Contrà ii certissimos se hæredes esse sciant, qui ad Isaaci exemplum ita se comparant, ut nullo alio ad eam titulo adnitantur, nisi sola Dei promissione: quique non nisi gratia solùm ad eam adspirant: qui denique fide eam sola amplectuntur, non meritis, non operum studiis viam ad eam affectant.

Etenim si subducta rectè ratione, quærere illud volumus, quid sit, quod Isaacum ad eam hæreditatis dignitatem evexerit; certè nec naturæ dotes, nec animi vires, nec excogitata prudenter consilia, nec vis ulla humana, non ætatis ratio, non primogenituræ anticipatio, nec quæcunque res alia quicquam ad eam rem momenti contulit, nisi sola in promissionem intenta fides. Fides sola in promissione.

Accepistis hactenus, quæ in familia Abrahæ, juxta historicam narrationem gesta sunt, de fide patris, de duobus liberis, de gemina ipsorum matre, diversaque conditione utriusque. Quæ omnia licet historica

videantur, minimè tamen singulari carent mysterio, teste ipso ac interprete D. Paulo, qui hæc ἀλληγορούμενα confitetur, velut quæ sub rei gestæ historia, sublimius aliquid intelligentiæ tegat. Sic rem itaque intelligamus, sub hac domestica Abrahami familia, ceu typo nobis adumbrari ipsam Dei ecclesiam. Itemque, quicunque eventus in hac ipsa familia insignioris momenti acciderunt, totidem esse typos & signacula in hoc constituta, ut nobis jam ante præsignarent, quæ postea per Ecclesiam universam, perque singula personarum rerumque genera ac status gesta, aut gerenda sunt. Utigitur patriarchalis illa domus servam & famulam habebat mercenariam, quæ in servitutem genuerat eum, qui juxta carnem prognatus est: pari conditione in domo Dei hac magna, quæ Ecclesia dicitur, colluvies nunquam defuit nimis magna hæreticorum & hypocritarum, qui justificationem tanquam emptitiam, auctione suorum meritorum commercandam, non gratuita promissione accipiendam prædicarent. Ex hoc fermenti genere complures Christi exortum anteceſſerunt Judæi, præfracta obstinatione deplorati. Hos deinde sequuti, illis etiam præfractiores Scribæ & Pharisæi, qui Justitiæ legem ex functione suorum operum metientes, propriamque quærentes statuere justitiam, præter mentem ipsam, scopumque legis, ad legem justitiæ minimè pertingebant. Qui licèt hostes essent gratiæ acerbissimi, tales tamen externa fronte videbantur, ac si gratiam Dei nullo modo à se removerent. Id quod in Pharisæo illo animadverti haud obscurè possit, de quo refert Christus in parabola, quam in eos torquebat, qui opinione suorum operum inflati cæteros superbè fastidiebant. Pharisæus hic quamvis vanissima virtutum persuasione placebat sibi, at nihilo minus has ipsas tamen virtutes, quibus turgebat, divinæ ascribebat gratiæ, eoque gratias agebat Deo suo &c.

Familia Abrahæ figura Ecclesiæ.

Ecclesia Dei spuriis, nothis, adulterinis, & larvatis hypocritis referta

Propria justitia.

Luc. 18.

Hujus Pharisæi hypotipoſis, seu depicta quadam imagine, mirum quàm graphicè delineatur tota fere hæc nostrorum hodie papistarum factio. Qui haud multum dissimili verborum fuco, speciem quidè externam præ se ferunt, ac si gratiæ, vel multas ipsi, vel præcipuas partes tribuere, cum sanctulo hoc Pharisæo videantur. At re quidem

dem ipsa utrique pariter, si Silenos istos rectè aperias, ac maternum ipsorum genus excutias, nihil aliud quàm Ismaëlitæ existunt, filii non heræ, sed servulæ: non liberæ, sed ancillę ascititiæ: non secundum promissionem nati, sed juxta carnem. Nam quid aliud de iis dicendum est aut existimandum, qui salutem ultro à Deo promissam non fide, qua par est, amplectuntur, sed officiis suis metiuntur, sicque cum divina gratia sua conferunt præsidia operaria, ut gratiâ nullo modo solam esse patiantur, quæ sola tamen per se simpliciter omnes peragit partes nostrę adoptionis, solaque in eorum salute omnium triumphat, qui filij sunt promissionis. Papistæ Ismaëlitæ.

Gratia, inquit Apostolus, servati estis per fidem, non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus ne quis glorietur. Exclusa ergo gloriatio est: Qua tandem ratione? per legem operum? Nihil minus: sed per legem fidei. Ephes. 2.

Cęterùm eò unde defleximus, se recipiat oratio; verbaque ut cœpimus, persequamur Apostolicæ Allegoriæ, quæ in hunc habet modum: *Nam duę hæ, inquit, matres duæ sunt fœderum pactiones, totidem enim adumbrant testamenta, quæ sancivit Deus cum humano genere, utrumque ad salutem accommodum.* Geminum etenim fœdus pepigit nobiscum Deus, alterum legis, alterum Evangelii. Atque illud quidem justitiæ, hoc verò misericordiæ. Quorum in altero perfecta justitiæ ratio continetur, in altero peccatorum proponitur remissio. In utroque necessaria nobis disciplina tanquam via quædam aperitur, qua ad summam salutis fœlicitatem perveniatur. Geminum fœdus Dei cum hominibus.

Primum fœdus illud justitiæ, seu veteris Testamenti, satis per se testatur, quantam & quam exquisitam omnis innocentiæ excellentiam exigat à nobis Deus. Deinde quàm procul ab ea exequenda perfectione nostra absit imperfectio, ejusdem testamenti lege ostenditur. Ex quo demum efficitur, ut agnita nostra imbecillitate, postquam in priore illo fœdere testamenti veteris nulla suppetit justitiæ spes, ad posterius istud necessariò adigamur, ubi citra omnem meritorum rationem, vera Dei justitia inveniatur.

Atque hæc demum utilitas ex salutari usu legis maximè

perferantque ſignatas ſuas, ſi quas habent, tabulas initæ cum ipſis pactionis, quibus fidem ſuam aſtrinxit Deus fore, ut debitorum partem remittat ille, pro altera ipſi ſatisfaciant: ædant, inquiam, ſi quid habent, quo tandem jure, qua Dei conſcripta ſyngrapha, quo fœdere, qua teſtamentaria cautione ſeſe tueantur.

Duo ſolùm fœdera teſtamentaria.

Quòd ſi nihil ſit aliud, quod oſtendant, præter duas illas, quas diximus, pactiones legis, & Evangelii in ſacræ ſcripturę literis conſignatas, nec tertium aliud ipſis ſupereſt teſtamentum, quo igitur titulo, hæreditatem hanc ſibi, partim ex meritis, partim ex gratia conflatam pollicentur? Cujus nullam ipſi promiſſionem, nec fœdus, nec Teſtamentum à Deo uſquam ſancitum proferent? qui nec quicquam habent aliud, quo fidem ſtabiliant, præter futilem duntaxat carnis ſuę, & phanaticâ humanę perſuaſionis opinionem, ſeu diabolicam potius confidentiam, cui ineptiſſimè innituntur.

Ex meritis nulla hæreditas apud Deum, ſed ſolùm ex promiſſione.

Quod quum ita ſit, eccui jam dubium eſſe poteſt, nihil aliud iſtos, quàm Agarenos eſſe, & Iſmaëlitas, ex ſervili ancilla prorſusq; juxta carnem natos cum Iſmaele videlicet ipſorum patre? Cujus ipſi expreſſiſſimam referunt imaginem, & naturam repreſentant in eo, quòd cum ipſe confimili quodam prætextu divinæ promiſſionis hæreditatem ſibi poſtulare videbatur, minimè tamen hæres promiſſionis evaſit, quoniamq; juxta carnem natus eſſet, non per promiſſionem, ideò divina ad cum promiſſio nullo modo pertinebat.

Iſmaëlitica eccleſia pontificiorum.

Cæterùm teſtificantem de iis teſtamentis Paulum audiamus. *Nam hæ, inquit, duæ ſunt pactiones, una quidem, quæ eſt Agar, à monte Sina in ſervitutem generans, &c.* Doctrina itaque legis, quæ prius teſtamentum denotatur, Agar dicitur, quia in ſervitutem generat. Imò ſi cui ſubtilius iſta excutere libeat: Sina mater eſt & Eccleſia hypocritarum. Lex ipſa quaſi ſemen eſt, unde ex matre ea, quam dixi, filii proſeminantur ſempiternæ ſervituris.

Agar, mons Sina in ſervitutem generans.

Objectio adverſariorum.

Atenim iſtud univerſum prima fronte abſurdum videri poſſit, quia ex lege Dei, quæ ſancta eſt, & illibata, nulli Deo filii gignantur, niſi in libertatem, & qui ſancti exiſtant. Huic ut paucis reſpondeam: Duplex hominum genus

genus in cogitationem revocemus oportet. Primum eorũ, qui in recto legitimóque legis usu consistunt, quippe qui lege eo modo utuntur, ut pædagogia sit, qua ad Christum provehantur, non à Christo abducantur. Atque isti quidem ex lege nihil servitutis contrahunt, quantumvis sub lege vivant. Scimus enim ex Paulo bonam esse legem, si quis ea utatur legitimè. Contrà ab his diversum genus est eorum, qui perperam abuntur lege. Nempè, qui nuda legis carne insistentes omnem salutem & justitiam suam in ejus observatione constituunt, quæ tamen nulla humana ope, sed divina solùm gratia comparatur. Jam verò qui sic abuntur lege, ut per eam justificari contendant, non filii gignuntur libertatis, sed hypocritæ potius, juxta carnem geniti in sempiternam servitutem.

Objectionis solutio.

Qui rectè utuntur lege.

Qui lege abuntur.

Legis itaq; omnis in eo consistit certa firmáque perfectio, ut pædagogia atque Isagoge quædam sit ad Christum introducens, quò fide illius, non nostris operibus justificemur. Contra ubi justificatio (quę fide solùm constat promissionis) non fide sola absque operibus: sed vel operibus legis sine fide, vel mutuo utriusque cum altero, legis admixtu cum Evangelio appetitur: ita fit, ut lex, quę per se sancta sit, vitio abutentium in semen vertatur adulterinum, ex quo filii degeneres & hypocritæ in lucem prodeant. Qui licet cum Ismaele falso hæreditatis titulo gloriantur, re tamen ipsa spurii sunt, nec aliud quàm projectę servitutis mancipia. Quod si excipiat hic aliquis, studia sua, omnemque vitę solicitudinem huc se referre, ut libertatem sibi non servitutem adipiscantur: Respondeo, quærere quidem illos sedulo: at frustra, quum nusquam id reperiunt, quod consectantur.

Legis perfectio in quo consistit.

Zelus non secundum scientiam.

Nec mirum, quum ea vis sit, ac natura legis, ut omnes, servos constituat, nec ulla constet libertas alia, nisi per redemptionem filii Dei comparata. Hanc quia gratuitam divinę redemptionis libertatem aspernantur hi legalis justitię sectatores, eò fit, ut qua ratione ipsi libertatem sibi pollicentur, inde geminam sibi accersunt servitutem: primũ quam natura ipsa cunctis necessariò imponit mor-

Lex servos generat non filios.

percipitur, nempè, ut Pædagogi velut vice ducatum nobis præbeat, iterque rectum aperiat ad Christum Dominum. Neque enim ita quisquam putet, à Deo latam esse legem hanc justitiæ in eum finem, ut observandis iis, quæ illic præcipiuntur, justitiam assequeremur: Verùm ut commonstrato justæ damnationis periculo, ac patefacta conditionis illius difficultate, quæ præstari à nobis nulla ratione possit, simulque ostensa parendi necessitate, quæ nos omnes sub capitali supplicio astrictos tenet, adeòque insuper omnes coarguat necessariò, hac ita demum occasione fiat, ut nostris ipsi viribus diffisi, operumque desperatione adacti, ad alterum potioris gratiæ testamentum, tanquam in portum nos recipiamus, ubi certa affulgeat salutis spes, jam non in operibus, sed in sola Dei misericordia, per fidem in Christo Iesu sita.

Usus & finis legis, & quæ hinc utilitas cõparanda.

Quod ad legem itaque attinet, nemini id inficiandum est, quin plena perfectaque omnis in ea justitiæ regula contineatur, si modò quisquam ita vivere possit mortalium, qui plene perfectéq; obire ea posset, quæ præcipiuntur. Cùm verò nemini id unquam datum sit (præterquam uni Christo) inde fit, ut nemini per legem justitia obveniat, præterquam Christo soli. Porrò quemadmodum legale hoc justitię fœdus ex quisitam omnibus modis innocentiam ita flagitat, ut nullã veniæ spem largiatur delinquenti: ita Evangelica altera illa icta nobiscum pactio misericordiæ justitiam nobis gratuitam exhibet, nullamq; exigit operum adjunctam conditionem.

Usus & fiuctus Evangelii.

Ex his itaq; constat duo nobis proposita esse à Deo fœdera, legale videlicet unum, alterum Evangelicum. Quorũ utrumq; provehit quidem salutem, at longè dissimili ratione. Lex ut absoluta quadam descriptione exactam rectè agendi disciplinam in se complectitur; ita vitam non negat iis, qui nusquam aberrant à linea. Sin aliter, pessundat, tanta severitate, ut nullus relinquatur veniæ aut misericordiæ locus. Contrà res habet in altero fœdere. Qui enim ex Evangelio justificantur, ita ad salutem gratis admittuntur, sola dei misericordia & gratia, quæ est in Christo Iesu, ut ex his nullus omnino meriti

Legis & Evangelii distincta ratio & doctrina.

meriti locus aut proprię dignitatis reſpectus in rationem veniat. Alioqui gratia jam non eſt gratia, nec promiſſio gratuita. Cùm in his igitur duobus tanta inſit diſſimilitudo, quanta in rebus natura diverſiſſimis eſſe poſſit maxima, nec plura iis duobus reperiantur teſtamentaria Dei fœdera: in altero proinde conſiſtamus neceſſe eſt. Utrumque enim conjungere res ipſa non ſinit. Ut enim nulla eſt expectanda miſericordia iis, qui juſtitiam ex lege captant: ita qui Chriſti gratia ſalutem quærit, cætera omnia operum ac meritorum præſidia abjiciat, neceſſe eſt, præter ea ſolùm merita, quæ unius ſunt Jeſu Chriſti.

Lex & Evangelium finibus diſtinguenda.

Age, & quoniam igitur colore ſuam excuſabunt ineptiam οἱ ἀμφιμιχεῖς iſti contemperatores, qui in doctrina juſtificationis, quam promiſſio Evangelica gratuitam omnibus, nulliſque impeditam conditionibus eſſe voluit, utrumq; Teſtamentum ſic alterum cum altero implicant & confundant, gratiam cum meritis, legem cum Evangelio involvunt atque contemperant, ut in rebus ipſis, quæ finibus & officiis longiſſimè inter ſe diſſident, non modò nullum relinquant diſcrimen, ſed id efficiant etiam, ut dum in utrumque teſtamentum ſpem ſuam dividunt, ita fit, ut neque per vetus teſtamentum, propter imperfectam operum juſtitiam: neque per novum propter ſervilem naturæ conditionem, ſalutis hæreditatem inveniant; niſi fortè tertiam aliquam juſtificandi viam ſibi perquirendam putent, quam nunquam tamen reperient, niſi tertium etiam Dei teſtamentum oſtendant, quo ſalutem conſequantur.

Juſtitia gratiæ & Evangelii juſtitiam legis & operum non patitur.

De duplici hactenus divini fœderis promulgatione ſat dictum arbitror, ut nihil ſit opus pluribus. Quarum alteram juſtitiæ eſſe, alteram miſericordię diximus. Atq; ea quidem quæ juſtitiæ eſt, ut tranſgreſſionis labem nullam perferre, nec admiſſi veniam admittere poteſt: ita è diverſo, quæ miſericordię eſt, eam habet conditionē, ut neq; merentis dignitatem reſpiciat, nec meriti pretium appendat, nec ſatisfactionis compenſationē ullā admittat. Sunt itaq; nunc papiſtarum ſectatores, qui partim Dei munere, partim ſuis meritis juſtitiæ fructum vendicant:

Teſtamenti juſtitiæ.

perferantque signatas suas, si quas habent, tabulas initæ cum ipsis pactionis, quibus fidem suam astrinxit Deus fore, ut debitorum partem remittat ille, pro altera ipsi satisfaciant: ædant, inquam, si quid habent, quo tandem jure, qua Dei conscripta syngrapha, quo fœdere, qua testamentaria cautione sese tueantur.

Duo solùm fœdera testamentaria.

Quòd si nihil sit aliud, quod ostendant, præter duas illas, quas diximus, pactiones legis, & Evangelii in sacræ scripturę literis consignatas, nec tertium aliud ipsis supereſt testamentum, quo igitur titulo, hæreditatem hanc sibi, partim ex meritis, partim ex gratia conflatam pollicentur? Cujus nullam ipsi promissionem, nec fœdus, nec Testamentum à Deo usquam sancitum proferent? qui nec quicquam habent aliud, quo fidem stabiliant, præter futilem duntaxat carnis suę, & phanaticâ humanę persuasionis opinionem, seu diabolicam potius confidentiam, cui ineptissimè innituntur.

Ex meritis nulla hæreditas apud Deum, sed solùm ex promissione.

Quod quum ita sit, ecce jam dubium esse potest, nihil aliud istos, quàm Agarenos esse, & Ismaëlitas, ex servili ancilla prorsusq; juxta carnem natos cum Ismaele videlicet ipsorum patre? Cujus ipsi expressissimam referunt imaginem, & naturam representant in eo, quòd cum ipse consimili quodam prætextu divinæ promissionis hæreditatem sibi postulare videbatur, minimè tamen hæres promissionis evasit, quoniamq; juxta carnem natus esset, non per promissionem, ideò divina ad eum promissio nullo modo pertinebat.

Ismaelitica ecclesia pontificiorum.

Cæterùm testificantem de iis testamentis Paulum audiamus. *Nam hæ, inquit, duæ sunt pactiones, una quidem, quæ est Agar, à monte Sina in servitutem generans, &c.* Doctrina itaque legis, quia prius testamentum denotatur, Agar dicitur, quia in servitutem generat. Imò si cui subtilius ista excutere libeat: Sina mater est & Ecclesia hypocritarum. Lex ipsa quasi semen est, unde ex matre ea, quam dixi, filii proseminantur sempiternæ servituris.

Agar, mons Sina in servitutem generans.

Objectio adversariorum.

Atenim istud universum prima fronte absurdum videri possit, quia ex lege Dei, quæ sancta est, & illibata, nulli Deo filii gignantur, nisi in libertatem, & qui sancti existant. Huic ut paucis respondeam: Duplex hominum

genus

genus in cogitationem revocemus oportet. Primum eorũ, qui in recto legitimóque legis usu consistunt, quippe qui lege eo modo utuntur, ut pædagogia sit, qua ad Christum provehantur, non à Christo abducantur. Atque isti quidem ex lege nihil servitutis contrahunt, quantumvis sub lege vivant. Scimus enim ex Paulo bonam esse legem, si quis ea utatur legitimè. Contrà ab his diversum genus est eorum, qui perperam abutuntur lege. Nempè, qui nuda legis carne insistentes omnem salutem & justitiam suam in ejus observatione constituunt, quæ tamen nulla humana ope, sed divina solùm gratia comparatur. Jam verò qui sic abutuntur lege, ut per eam justificari contendant, non filii gignuntur libertatis, sed hypocritæ potius, juxta carnem geniti in sempiternam servitutem.

Objectionis solutio.

Qui rectè utuntur lege.

Qui lege abutuntur.

Legis itaq; omnis in eo consistit certa firmáque perfectio, ut pædagogia atque Isagoge quædam sit ad Christum introducens, quò fide illius, non nostris operibus justificemur. Contra ubi justificatio (quę fide solùm constat promissionis) non fide sola absque operibus: sed vel operibus legis sine fide, vel mutuo utriusque cum altero, legis admixtu cum Evangelio appetitur: ita fit, ut lex, quę per se sancta sit, vitio abutentium in semen vertatur adulterinum, ex quo filii degeneres & hypocritæ in lucem prodeant. Qui licet cum Ismaele falso hæreditatis titulo gloriantur, re tamen ipsa spurii sunt, nec aliud quàm projectę servitutis mancipia. Quod si excipiat hic aliquis, studia sua, omnemque vitę solicitudinem huc se referre, ut libertatem sibi non servitutem adipiscantur: Respondeo, quærere quidem illos sedulo: at frustra, quum nusquam id reperiunt, quod consectantur.

Legis perfectio in quo consistit.

Zelus non secundum scientiam.

Nec mirum, quum ea vis sit, ac natura legis, ut omnes, servos constituat, nec ulla constet libertas alia, nisi per redemptionem filii Dei comparata. Hanc quia gratuitam divinę redemptionis libertatem aspernantur hi legalis justitię sectatores, eò fit, ut qua ratione ipsi libertatem sibi pollicentur, inde geminam sibi accersunt servitutem: primũ quam natura ipsa cunctis necessariò imponit mor-

Lex servos generat non filios.

talibus quotquot per Christum non liberantur. Deinde, quam ultrò sua ipsi voluntate accumulant: dum sastiditæ gratissimę libertatis promissione, ipsi ultrò se dedunt in servitutem legis, inde sperantes libertatem, quam nunquam ex ea haurient, tum propter conditiones in ea propositas ejusmodi, quas nulla unquam vi sua explere valebunt: tum ob rigidissimā legis ipsius severitatem, quę perpetuam servitutē indicit quibuscunq; in eas conditiones impingentibus: ut autem impingant vel inviti, præterq; voluntatem suam adiunguntur necessariò. Ex quo necessaria consequutione concluditur, posse nullo modo fieri, vel ut præmia in lege promissa consequantur, vel, ut suppliciorum minas, in eadem lege propositas, quoquo pacto diffugiant, quicunq; se legis servos constituunt.

Lex legali justitia nulla libertas duplici causa.

Ex his igitur constare vides quemadmodum mons Sina, quæ Agar est, adeóque lex ipsa, quæ ministra est servitutis, perperam abutentibus, non libertatem gignit, nec filios procreat, sed hypocritas ac æternæ servitutis mancipes.

Lex ministra servitutis non recte utentibus.

(*Nam Agar mons Sina est in Arabia, ac typica similitudine respondet ei Hierusalem quæ nunc est serviitq; cum filiis suis*) Ipriusquam ad materiam allegorię explicandam accingamur, verba primùm ipsa, formulamq; verborum, & schematismum sermonis Apostolici passim aliàs in scripturis obviũ & pervulgatum pensitemus. *Agar*, inquit, *est mons Sina*. Quid hæc quæso velit appellatio? An ut montem esse Agaram, juxta veram propriamq; rerum substantiam, alterius in alteram cõmutatam existimemus? An ut figurata nominis usurpatione rem alteram alterius Typo significet? ut solent ii, qui translatitiis nominibus rerum non substantias consignare, sed proprietates solùm depingere atq; adumbrare subinde solent.

Agar mons Sina.

Age, conferamus itaq; nunc ista cum Evangelico illo hæbraismo: *Hoc est corpus meum*. Quo dicto, quid quæso intelligebat Christus? an ut natura panis tota in corporis substantiam abiret? Quid stupidius? quid ab omni analogia fidei, ab usitato scripturæ more, à mente Christi abesse possit longius? Et tamen vide crassum hoc & plus quàm barbarum papistarum genus, qui in re tam perspi-

Quid hæc verborum phrasi significetur: Hoc est corpus meum.

perſpicua tanquam in ſole caligantes, quo fremitu, quàm ſpumantibus buccis in eos vociferãtur, qui verbum, [Eſt] pro ſignificat, interpretantur? Ut quum dicat Chriſtus: ***Hoc eſt corpus meum***, ſenſus ſit, hoc ſignificat intellectui veſtro, corpus hoc meum, quod pro vobis litandum eſt, quod pulpifices eſti pontifices nullo modo ferunt. Quid, inquiunt, verbum (Eſt) an non ſubſtantivũ dicitur, ſi grammaticam conſulas? Verum: at ſi Theologiam conſulas, certiſſimum eſt, verbo huic vim ſignificandi ac figurandi ſæpius tribui, tranſubſtantiandi nuſquam. Cùm autem infinita paſſim occurrunt obvia in ſcripturis teſtimonia, hanc interpretationem confirmantia: tum meo judicio haud aliud exiſtit hac ipſa Pauli teſtificatione luculentius. Ubi differens ille de eorum, qui ſub lege ſunt, inutili ſervitute, eamque conferens cum Agara ſervili ancilla, non ita ait, Sina mons legem ſignificat: Agara adumbrat montem Sina, qui eſt in Arabia: ſed apertè teſtatur: Agar, inquit, eſt Sina mons in Arabia. Quo tamen ipſo verbo ſubſtantivo, nulla fit, opinor, ſubſtantiarum unius in alteram commutatio. Neque quiſquam tanto mentis ſtupore obſitus eſt, qui non liquidò confiteatur, haud aliud Apoſtolum his verbis voluiſſe, quàm ut Agar, quæ apud Abrahamum ſerviebat, montem Sina ſignificaret, ac typica quadam ſimilitudine referret montem illum, qui eſt in Arabia.

Verbũ (Eſt) in ſcripturis vim figurãdi habet, nunquam tranſubſtantiandi.

Agar eſt Syna mõs hoc eſt, Agar ſignificat montem Syna.

At obſtrepet his ex adverſo aliquis, hoc colore rem eludens: quòd D. Paulus minimè hic de Sacramentis agat. Verùm id quidem fateor: at quid tum poſtea? Imò contrà multo probabilius eſt, ubi ſpiritus ſanctus de Sacramentis agat inſtituendis, quæ myſtica ſunt ſignacula rerum, illic Tropum neceſſarió intelligendis myſteriis adhibendum. Habet enim ſcriptura nihil uſitatius, cùm aliàs ſubinde, tum illic maximè, ubi de Sacramentis ſermo inſtituitur, quàm ut more ſuo familiari Divinus ſpiritus res eas dicat eſſe, quas ſignificante myſterio repræſentant. Conſimili tropologia, Circumciſio fœdus eſt: Agnus eſt paſca: Baptiſmus nova regeneratio dicitur. Et Paulus de Sacramento dominici ſanguinis docens, petra, inquit, erat Chriſtus.

In intelligẽdis myſteriis Tropus maximè adhibẽdus.

Tropologia in ſcripturis uſitata.

Quia

Quin & Christus ipse de fœdere in suo sanguine verba faciens, Hic calix, ait, novum est testamentum.

Contra transubstantiationem.

In iis aliisq; consimilis exempli loquutionibus, nemo unquam dixerit ullam subesse transubstantiationem, aut naturarum unius in alteram conversionem: sed signa tantùm & antitypa sub ipsarum rerum nominibus commendari. Neq; interim hæc eò pertinent, quasi divinissima Christi sacramenta ad nudas tantùm significationes, aut conceptiones jejunas aridasq; ociosæ repræsentationis restringamus. Absit nefas. Neq; enim frustra fit, quòd divina institutione, externa ipsa elementa in tremẽdis mysteriis nomina gerant rerum earum, quas significãt: verùm ita potius cogitemus, in iisdem sacramentis dominum verè indubitatéq; ea, quæ sub figillis sacramentariis promiserat, & præstare, & præstiturum esse, ad confirmandam fidelium suorum fidem.

Antypophora.

Consimilem in modum in salutari Lavacro (in quo sacramentum positum est nostræ regenerationis) Deus efficaci spiritus sui vigore mortificationem veteris hominis, noviq; renascentium mirabiliter operatur: unde is, qui perfruitur filius Dei efficitur. Itidem haud dispari ratione Christus in Sacramento sui corporis & sanguinis, non ociosis signorum imaginibus, sed vero solidoq; pastu corporis & sanguinis reficit vegetatq; in se credentes in vitam immortalem,

Analogia inter sacramẽtum Baptismi & Eucharistiæ.

Sed intermissa hac paululùm controversia, ut ad rem redeamus institutam: id primùm dubitandum est nemini, quin Agar in hac hypotyposi montem Sina designet, qui mons in Arabia est, unde profluxit chirographum illud servitutis in tabulis consignatum. Quemadmodum è diverso Sara montem Sionis in urbe Hierusalem adumbrat, unde enata est primum Evangelii origo. Quid quòd, neq; illud indignum interim quod observemus, quo primùm in loco voluerit Dominus legis suæ descriptionem promulgare. Ducturus siquidem plebẽ suam per vasta deserti in terram toties promissam, non in ipsa promissionis sede, sed eminus extra patriæ illius fines, in Sina monte legis præcepta tabulis incisa sancivit. Erat enim mons ille non in libera populi civitate, sed procul in Arabia: non in terra lactistua,

Agar montẽ Sina in Arabia, Sara montem Sion in Hierusalem repræsentat.

non

nō in media mēllis copia; ſed in vaſta ſolitudine, deſertoq; ſolo, ſitu ac ſqualore horrido, non in Chananæa poſitus, ut vel ipſe loci ſitus, aſpectuſq; incultæ rupis haud obſcurum præbeat argumentum, quàm nihil ex lege illa expectari poſſit, quod ad libertatis ſolatium, ſed ad iuſtitię potius teſtificandæ terrorem pertineat. Locus in quo lex data

Terra enim Chanaan peculiaris patria illis fuit, quam jam olim promiſerat Deus, natura cumprimis benigna & fertili, multiplici fructuum ubertate, omniq; bonarum rerum copia affluens atq; redundans, quam toties jam ante promiſerat Deus ſe illis datutum, nullo quidem ipſorum merito, nec dignitate, operum aliqua, nec ſpe ulla repenſandi muneris inductus, ſed pro gratuita ſolùm ipſius benignitate, immenſaq; erga ipſos miſericordia, ad firmandam promiſſi fidem, quam cum patribus ipſorum pepigiſſet. Idemq; quo fixius eorum inſculperet memorię, ſubinde refricans diſertis eos verbis in hunc modum commōnefacit: Ne dicas, inquit, in corde tuo, propter juſtitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc poſſiderem, ſed quia gentes illæ egerunt impiè, & ut compleret verbum ſuum dominus, quod ſub juramento pollicitus eſt patribus veſtris, Abraham, Iſaac, & Iacob. Moxq; conſequenter hoc idem repetens: ſcito inquit, quòd non propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc, quum duriſſimæ cervicis ſis populus, &c. Locus in quo æditum eſt Evangelium. Deut. cap. 9.

Erat autem terra hæc Chanaan ſupernæ hæreditatis noſtris indubitatum ſacramentum, quam nemo ſperet unquàm ſe ſuo merito, aut ulla dignitate, ſed ſola Dei promittentis miſericordia aſſequuturum. Haud aliter atq; Iſraëlitarum populus nulla ſua virtute, aut benefactorum præſtantia lactiſluam terram illam promeruiſſe, ſed gratuita ſolùm Dei promiſſione accepiſſe cognoſcitur. Jam verò quod ad ipſam legis promulgationem attinet, ſi locum ipſum perpendimus, ubinam initio ſerebatur: procul certè extra ſepta terræ ſanctæ æditam eam fuiſſe comperiemus: non in Chananæa patria, ſed in præruptо promontorio, petricoſa in rupe ſalebris ac vepretibus ſenticoſis verrucoſa, atq; impervia, eminus in medio vaſtæ & inculuſſimæ ſolitudinis. Cujus non vaſtities Terra Chanaan ſacramentum noſtræ hæreditatis.

modò

modò horrori esse potuit, sed ubi nulla non solùm ad necessarium vitæ passum alimonia, quin nec ulla etiam aquæ ad bibendum copia, imò vix guttula quidem supperetabat. Tanta erat vacuæ & desolatæ solitudinis illius sterilitas & desolatio. Et tamen locum hunc tot salebris, tot incommodis implicitum delegit sibi summus ille ὁ νομοθέτης, omnium maximè idoneum, in quo legem ille suam tam horrifica specie, tantoq; omnium aspectantium horrore tabulis incisam evulgaret. Atque quid ita obsecro? nisi ut populus hac ratione intelligeret, quàm formidanda res esset in feriendo illo justitiæ fœdere legis futura severitas, quæ transgressoribus gratiam nullam præstaret, nullam veniæ spem, nihil deniq; aliud nisi æterni exitii acerrimas pœnas ostenderet. Erat hic nimirum mons Sina in Arabia. Erat hæc Agar Ægyptia in ædibus Abrahami. Erat hæc mater illa Ismaëlis. Erat hæc denique generosa illa prosapies eorum, qui filii procreantur servitutis.

Locus ipse promulgatæ legis, asper & horridus, quid designat.

Pergit porro mysticus interpres fusius expressiusque mystagogiam hujus allegoriæ enuncians. *Agar*, inquit, *qui mons est Sina, typica quadam similitudine mentibus nostris refert hanc ipsam Hierusalem servitq; cum suis liberis, &c.* Nonnulli locum hunc ita reddunt interpretes, ac si mons Sina confinis sit, huic, quæ nunc est Hierusalem, &c. Atqui hoc juxta externum literæ sensum, neque verum est, nec congruit cum mente Apostoli, quum ne vocem quidem ipsam Græcam satis exprimit.

συστοιχεῖ.

Primùm enim Mons Sina nulla vicinitate adjacet urbi Hierosolymitanæ, quum longo terrarum interjectu, millibus passuum bene multis ab ea regione se removet. Tum vis ipsa vocabuli, quo utitur Apostolus [συστοιχεῖ] mutuam quandam aptitudinem, sive relationem inter res, quæ conferuntur, propria Græcis significatione designat. Juxta hunc itaque sensum mens Apostoli, relationem illam, mutuamque habitudinem respicere voluit, qua mons Sina ejus, quæ nunc est Hierusalem, effigiem præferebat, eò quòd terrena hæc Hierusalem mystica figuræ similitudine cum Agara, non cum Sara: cum Sina, non cum Sione conveniat. Et quid ita? Quia nimirum

Interpretatio hujus loci genuina excutitur

eius

urbs hæc à fide & vestigis majorum fœdè jam degenerasset, de quo queritur propheta: Ecce quomodo facta est meretrix civitas fidelis. Atque unde hæc mutatio? Nempè quia repudiata Christi gratia, quæ ex Sionis monte Sancto profluxerat, reversa denuo in montem Sina, ex lege, quæ inde traxit originem, legem quæsivit justitiæ. Quæ si Evangelium Christi amplexa fuisset, vivam veramq; imaginem cœlestis Hierusalem repræsentasset. Nunc postquam spreta hac promissionis gratia, maluit ex ejus decretis justitiam haurire, in eo Agaram ancillam adumbrat, montisque Sina figuram gerit, qui mons Arabiæ est, servitq; cum filiis ejus.

Legis justitia quam nihil prodest ad libertatē

Vocata est olim Civitas hæc cum ipsius filiis in libertatis gratiam, per filium Dei, in quo solo omnis conclusa potestas consistit in libertatem restituendi quotquot ad eum accedunt, aut accessuri sunt. At hoc illi superbissimè respuebant, inanissima sua nescio qua freti prærogativa. Nos, inquiunt, Abrahæ semen sumus, nec cuiquam servivimus unquam, quomodo dicis liberos nos futuros? Intelligere id noluerunt, quoquot peccatis labem contrahunt, ejusque contagio inficiuntur, servos peccati esse, eosdemque exorres è felicissimo hæreditatis patrimonio ejiciendos, Christum unigenitum Dei filium, qui in domo manet in æternum, cum esse non agnoscebant, penes quem legitima residerent autoritas è durissimis peccatorum orcibus miseros mortales emancipandi: extra quem nulla restat alia recuperandæ libertatis facultas. Idoque captivi adhuc detinentur sub imperio æternæ servitutis, quam ipsi nullis suis viribus excutere unquam valebunt. Nec mirum adeo, quum meretrix Hierusalem ipsorum mater, servilem amplectens religionem, Agar & Sina, Apostoli testimonio, efficiatur, quorum ideam & nativam indolem homines isti præ se gerunt.

Joan. ca. 8.

Potestas Christi, ejusque autoritas judiciaria.

Agareni.

Quocirca quamlibet se magnificè efferunt generis sui titulo, stultissimè sibi blandientes, velut qui semen Abrahæ videri velint, re tamen ipsa nihil aliud, quàm ipsissimi filii Agar existunt. Atque ut filios esse Abrahami fateamur, quid tandem ex eo

stemmate

Hierusalem terrena

stemmate consequentur boni? nihilo sanè amplius, quàm Ismael ex eodem prognatus ovo, juxta carnem videlicet, non juxta spiritū. Mons verò Sina, & urbs Hierusalem etsi locorum spatiis non parum inter se dissident, naturæ tamē proprietate ac conditione mirè inter se conveniunt, quum eadem sit utriusq; doctrina, ac utraq; pariter ad servitutem generans. Quæ res quo melius oculis spectantium subjiciatur, duplicem Ecclesiæ seriem in medium proferemus, ceu geminam doctrinæ scholam. Quarū altera ad Agaram ancillam; altera ad Saram pertineat, cum utriusque proposita Antithesi.

Antithesis, seu ἀντίθεσις inter Agar, eiusque fœtus & Sara eiusque partus.

1.	Agar	1.	Sara.
2.	Ismael.	2.	Isaac.
3.	Servitus.	3.	Libertas.
4.	Lex veteris Testamenti.	4.	Gratia novi Testamenti.
5.	Caro.	5.	Promissio.
6.	Hierusalem terrena.	6.	Hierusalem cœlestis.
7.	Synagoga legem defendens.	7.	Ecclesia gratiam prædicans.

Ex his quæ hactenus demonstrata sunt, nemini non conspicuum arbitror, quid evenerit terrenæ huic Hierusalē, celebertimæ quondā in orbe universo, civitati; quæ quoniā rejecta doctrina & religione libertatis, in diversam illam servitutis disciplinam tota contentione incubuit, ejusq; præsidiis, non Christi gratia, ad veram justitiæ laudem nitendum sibi statuit, adeo non est assequuta quod moliebatur, ut Sina, ex Sione sit facta, Agar ex Hierusalem. Quo exemplo nos omnes admoniti cavere imprimis debemus, ne in doctrinam hanc servitutis, in libertatem semel vindicati, præcipites revolvamur. Verū ut læta mente omniq; alacritate propositam nobis Evangelicæ libertatis gratiam obviis, quod dicitur, ulnis excipiamus; utq; eorum edocti periculo saluti nostræ maturè consulamus, ne quo modo aspernantes oblatam à benignissimo Deo libertatem, unà cum ipsis in eundem perpetuæ servitutis scopulum impingamus. Felices veteri proverbio feruntur, quos cautiores aliena reddunt pericula. Quin igitur, si non Evan-

Doctrina servitutis cavenda.

Evangelicæ libertatis gratia nullo modo aspernanda.

gelii

gelii disciplina, at istorum casus nos doceat, quid sequendum, quid cavendum sit.

Quæ enim unquam civitas, quæ in omni terrarum universitate gens aut natio, vel generis claritudine, majorumque commendatione illustrior? aut vocationis splendore superior? quę unquam cumulatioribus divinæ beneficentiæ muneribus, pluribus amplissimarum dignitatum titulis illustrata, eximiisque æquè exornata privilegiis, quàm una hæc respub. populusque Hierosolymitanus? Et tamen quò res nunc rocciderit, specta obsecro. Quid enim, an non omnis tot tantarumque rerum splendor ac gloria, in ignominiam, in cineres, & favillas evanuit? An nó Hierusalem cum omni legali sua sanctitate, justo Dei judicio, in Sina montem mutata est? annon libertas in servitutem redacta? Quid in causa? nisi, ut nos abdicatis hujusmodi honorum titulis, ac successionum prærogativis, istorum admoneamur exemplis, nihil esse aliud in natura rerum, quod ab acerrimo hoc divinæ severitatis judicio nos vindicare possit, præter solam gratiam hanc gratissimè nobis propositam in Christo Jesu Domino nostro. Quòd si verò Hierosolymam illam, tot nominibus inclitam, tot commendationis philtra rueri à vindicta divinæ severitatis minimè valuerunt: quid Sodomæ, quid Babyloniæ expectandum, si in libertatem vocati illi, consimili modo, repudiata Dei vocatione sub servili legis jugo contineri se, quàm ad amænam dulcissimæ libertatis auram aspirare atque assurgere maluerint?

Causa hierosolymitanæ ruinæ expendenda & cavenda.

Caveant Babylonii.

Atque hinc protinus succurrit, quid his respondendum sit, qui pro Romanæ ecclesiæ dignitate dimicant tam gloriosè. Primùm, si ex factis ipsorum, si ex benefactorum meritis, si ex rebus præclarè & cum laude susceptis faciendum sit indicium, quid quisquam mihi proferet gestum in eâ metropoli, proximis his annis aliquam multis, sive in vetustiore hominum memoria, aut annalium monumentis consignatum reperiet, quod non dico laudem aliquam, imò non fœdam potius turpissimæ infamiæ notam mereatur? Quāquam neque me fugit, quænam illa potissimum sint argumenta, quibus omnis ipsorum nititur gloriandi exultandiq; fiducia. Ingeritur hic laudata primùm à Paulo Apostolo,

Externæ successionis vana jactatio in Cathedra pontificia.

Antiqua fides Romanæ ecclesiæ olim celebrata nunc nihil dissimilius

tum ab antiquissimis majoribus commendata veteris Romanæ Ecclesiæ fides. Pari deinde laude celebrata legimus veterum Romanorum pia studia, clarissimaq; lumina. Quibus insuper adjicitur divina ac sanctissima constantissimorum Martyrum frequentia, quorum non pauca millia per trecẽtos continuos penè annos una hæc ecclesia tanquam fœcunda mater Christo effudit.

Age, sint ista quidem, ut referuntur, & vera & præclara omnia, at quorsum hoc attinet, quot quantisque virtutibus effulserint primitivæ ecclesiæ principes ac majores, si nihil nunc neoteri isti Romanenses neque in religionis cultu, nec in moribus ostendant, quod pulcherrimis illorum vestigiis ulla ex parte respondeat? Scio equidem honorificò Pauli eulogio deprædicatam olim Romanorum fidem, eamque non indignam, quæ orbi innotesceret universo. Atque hinc Pontificii nostri Quirites non mediocre struunt sibi firmamentum ad astruendam ecclesiæ suæ dignitatem. In quo nimis faciunt perridiculè. Quorsum enim retulerit, quot quantisque virtutibus præluxerint prisci illorum patres, si non similes ipsi majoribus suis, at longè dissimiles evadant? Quòd si prisca olim Romanæ fidei laudata sit antiquitas, quin igitur eandem nunc fidem nobis referant illorum successores, iisdemque fidei vestigiis ingrediantur? Quod ni faciant, non tam laudi illis ducitur, quàm infamiæ potius & dedecori vertitur majorum excellentia, idque tanto magis, quanto longiùs hi se ab eorum professione & doctrina removerunt, quæ tot retro seculis tanta religione à majoribus colebatur.

Rom. Episcopi à priscis majoribus quam fœdè degenerarunt.

Quid enim aliud fides Romanæ tum Ecclesiæ personabat, à Paulo tantopere collaudata, nisi ut in fide sola Jesu Christi omnem positam esse salutis rationem omnes intelligerent? Contrà Romana nunc institutio quid docet aliud, quàm quod adversa fronte cum Apostolica doctrina pugnat, minimè in sola Christi fide ad tuendam salutem, satis esse præsidii absque adjunctis legis operibus? Quare quum tanta sit dissimilitudo doctrinæ & religionis inter recentẽ hanc & superiorem illam Romanę fidei institutionẽ, ut nihil ex adverso oppositum magis videri queat, frustra igitur ex præcedente majorum rectitudine colligunt errorum

Veteris Romæ cum nova hâc Roma quanta repugnantia

In fide Christi sola sat præsidii ad salutem sine legis operibus.

rum sibi patrocinium. Deinde quum rejecta Christi gratia eò se transtulerunt, ut omnem salutis spem in propriis figendam meritis existiment, minimè profectò convenit, ut sub titulo Evangelii, commendationem sibi corrogent, qui velut desertores Evangelii, pro Evangelica libertate legis amplectuntur servitutem. Quòd si juxta Pauli theologiam, Hierusalem ea, quæ nunc est, in Agar: sique terrenus mons Sionis in montem, infertilem Sina redigatur, posthabita videlicet promissione misericordiæ, quæ in prisca olim Patriarcharum & prophetarum memoria viguit: quid habet Roma hæc septicollis, sedes nunc Antichristi, cur laudi sibi verti debeat laudata priscorum patrum memoria & fides commendata, si quę tum in patribus collaudata sit fides, ipsi nunc contrario exemplo aversantur, damnantque pro hęretica? Certè quæ toto studio ad servilem cultum corporalis Hierusalem accommodat, pro cœlesti Hierusalem haberi non potest. Quin nec cives illi cœlestis illius Hierusalem ullo modo censeri debent, qui carnali adeò studio ducti religionem non alia re magis æstimant, quàm suscepto ad visibilem hanc Hierusalem immensę peregrinationis itinere. Quòd si Paulus externam hanc Solymam, quæ nunc est, pro nihilo ducat, eamq; adeò ad extrema Arabiæ deserta exterminat, quid istis dicendum Papisticis, quorum omnis cura non in superâ illam Hierusalem quã illi quã minimi faciũt, sed in hanc solã, quę terrena cernitur prorsus instupescat? Quid isti quęso aliud quã Agarenos se & Ismaëlitas apertè profitẽtur? Mirũ enim quãta isti religione, quanto cultu, visibilem hanc Hierosolymã, quæ licet à Turcis & Paganis nunc occupata sit, tanta tamen ejus admiratione insaniunt superstitiosũ Papistarũ vulgus, ut pro maximo ducant, posse terrã illã corporeis pedibus calcare, ereptamq; è manibus paganorũ in suam potestatẽ recuperare. Eaq; causa, vix dici potest, quot Christianorũ millia, multis magnisq; pręliis exhausta in historiis referuntur, cõtra Turcas & Saracenos, pro hac una civitate, tanq̃ pro Cœlo ipso dimicantiũ. Postremò apud stupidissimos Papistas tanti sit votum visẽdæ Hyerosolymę, adeoq; obstringit cõscientias cõcepta peregrinationis illius religio, ut nõ aliter, q̃ unius sũmi solũ pontificis potestate vinculũ laxari debeat, alio-

Romani gratiæ desertores.

Romani dissimiles suis majoribus.

Superstitiosa Papistarũ peregrinatio ad terrã sanctam.

Votum peregrinationis hierosolymitanæ non nisi à solo pontifice relaxatur.

alióqui inexpiabile. Ex quo nemini in dubium venire poſſit, quid de carnali hoc papiſtarum genere cenſendum ſit, quorum omne ferè in eo conſtituitur religionis faſtigium, ut terrenæ hujus urbis cives mundi univerſi habeantur.

Verùm ut miſſos hos papiſtas carnales faciamus, abeant ac valeant cum carnali ſua Hieruſalem, cum Sina corporali, cum ſervili ſua Agara. Nos ad inſtitutam Paulinę comparationis antitheſim redeamus: ubi ait:

At Hieruſalem quæ ſuperna eſt, libera eſt, quæ mater eſt omnium noſtrûm &c.

Agar. Sara. Superius explicatum eſt, in domo Abrahæ duas fuiſſe matres, Agaram, & Saram: Quarum altera in ſervitutem, altera in libertatem generabat. Audiſtis inſuper duas eaſdem matres, duo Dei teſtamenta ſeu duas eccleſias præſignare. Atque Agaram quidem typum referre teſtamenti, quod juſtitiæ dicitur, ſive Hieruſalem illius, quæ nunc eſt, Eccleſiæ videlicet hypocritarum, eorum inquam, qui abutentes teſtamento divinæ juſtitiæ, quærunt inde ſuam ſtatuere juſtificationem, vnde gradum fieri oportuit ad præſtantius miſericordiæ teſtamentum.

Sara Quod ſupereſt, de Sara ſecunda nunc matre dicendum eſt, quo modo ea libera ſit, figuramque gerat cœleſtis Hieruſalem, materque exiſtat omnium electorum, ſingula ordine exponenda ſunt. Cùm duo igitur exiſtant Dei teſtamenta; Alterum juſtitiæ, è Sina monte profectum, de quo ſatis hactenus pertractatum eſt: Alterum miſericordię, de quo nunc viciſſim dicendum: Id cujuſmodi ſit compertiſſimè conſtare poterit ex Hieremiæ prophetę Capite 31. quem & in ipſa ad hebræos epiſtola, citat Apoſtolus in hæc verba: Ecce dies venient dicit Dominus & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda, teſtamentum novum: Non juxta teſtamentum, quod feci patribus illorum, quo die apprehenderem manum ipſorum, & educerem eos ex Ægypto, quoniam ipſi non perſtiterunt in fœdere illo, & ego deſpexi eos dicit Dominus. Quamobrem hoc eſt Teſtamentum quod diſponam domui Iſrael, poſt dies illos, dicit Dominus, indam leges meas in mentem illorum, & in corde

Auguſt. de Spiritu & litera. Ex lege timemus Deum: & fide confugimus ad miſericordiam Hieremia 31.

corde illorum eas inscribam, & ero illis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

Neq; docebunt quisquam proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicentes: Cognoscite Dominum. Nam omnes cognoscent me, ab eo, qui pusillus fuerit inter eos, ad eum qui magnus fuerit inter illos.

Ero enim propitius iniquitatibus eorum, & peccatis eorum: & iniquitatum eorum non recordabor amplius &c.

En, Christiane lector, expressam tibi his verbis, ceu in tabella quadam depicta penicillo Spiritus sancti veram certamq; novi fœderis descriptionē. Quod non justitiæ fœdus sit, sed misericordiæ: non tabulis saxeis incisum, sed in intimis animorum præcordiis, vivo Spiritus divini opificio insculptum. Hujus fœderis luculentam refert imaginem Sara hæc, quam dicimus, in Isaaco producendo. Qui non vi naturæ aliqua, non carnali consilio, ut in Ismaële, sed sola divini muneris virtute mirabili, per promissionem, sine omni humana ope donatus est. Quæ res singulari mysterio divinæ sapientiæ minimè caret. Qua perspicuè docemur, Dei hæredes in libertatem omnino productos esse per fidem. Etenim quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomen ejus, qui non ex Sanguinibus, non ex voluntate carnis neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Eaq; lex, hocque verbum illud est, de quo apud prophetam dicitur, Exibit lex de Sion, & verbum domini de Hierusalem, pacem & libertatem cunctis è Sione annuncians Christum syncera fide amplectentibus.

Johan. Ca 1.

Fides sola hæredes producit. Esai. cap. 2.

Quin insuper eadem hęc Sara, quatenus genitrix est fidelium, imaginem præfert totius ecclesiæ, quæ civitas Dei dicitur, non de terra terrena, terrenis circumfluens opibus, sed de cœlo cœlestis & spiritualis, Hierusalem nova & superna, quæ mater omnium nostrum, existit. Licèt enim liberi ejus, quos per multos in hoc seculo habet, longè latéque per orbem dissipati, humi ad huc hęrent, mundiq; hunc inferiorem incolunt, ipsa nihilo secius cœlestis est, propterea quòd è Cęlo ortum ducit, habitatque superne, quasi jam cœlum ipsum tenens per fidem. Quò fit, ut nati ipsius versantes in his tabernaculis, velut peregrinè à patria peregrini, hic non habitant, sed solùm hospitantur, quan-

Cœlestis ecclesia universalis ac p o inde invisibilis.

Hierusalem nova & superna.

Hæredes Dei filii electionis ex Matre Sara nati

Cœli cives. Terræ hospites & peregrini.

quandoquidem omnis eorum conversatio, & libertas in cœlo collocatur, unde adventurum præstolantur servatorem. Porro semen illud immortale & incorruptum, quo filii & hæredes Dei ex matre hac suscipiuntur, verbum est promissionis, fœdusq; misericordiæ. Idem & lac infantibus quo nutricantur, simulq; solidus fit cibus, quo robustiores eadem mater ipsa fovet vegetatq; ad plenam adultæ ætatis maturitatem, qua paternam jam capessant hæreditatē. Hæcq; officia omnia prompta sedulitatę præstat ecclesia, nulla prætermittens pię matris munia, erga charissima sibi pignora. Unde non immeritò dictum ab illo est: Deum non habere patrem, qui matrem non agnoscat ecclesiam.

Semen, quo gignuntur, verbum promissionis: & lac quo nutriuntur, & cibus adultorum.

Ecclesia quo lacte & cibo infirmos nutrit, & robustos.

In quo quum plura obiter subeunt non indigna memoria, tum illud inprimis teneamus, non nisi unam esse verè genuinam Dei ecclesiam, quæ cœlestis sit Hierusalem, mater nostrā, eorumq; omnium quotquot numero censentur electorum Dei, unde hæretici & schismatici illi, qui extra matris hujus complexum sese distrahunt, in hoc albo filiorum minimè se censendos sciant.

1. Conditio Ecclesiæ. Unitas Ecclesiæ.

Dicitur præterea Catholica & universalis Ecclesia. At quomodo catholica? Non privato aliquo respectu unius duntaxat, aut singularis cujusquam quamlibet illustris & primariæ Ecclesiæ, quæ matris nomen & personam, in minores omnes ecclesias usurpet: sed ea ratione, qua communis illa mater generali complexu cæteras quasq; ecclesias æqua communione contineat omnium ubiq; fideliū, quotquot ad pactum misericordię pertinent, ac hereditate salutis æternæ donantur, non ex operibus, non ex meritis, aut dignitate hominum: sed ex sola Dei gratia & spiritu genti, receptiq; in salutem Evangelicam.

2. Conditio Ecclesiæ. Catholica seu universalis Ecclesia.

Catholica seu universalis ecclesia quo respectu dicitur.

Accedit deinde tertia ecclesiæ conditio, quę cœlestis & superna sit, velut municipium quoddam sublime ac spirituale, non minùs latè patens, quàm ipsa cœli cuncta complectens amplitudo. Tantum abest, ut quisquam eam determinate aliquo loco circumscriptam, aut certa aliqua in terris sede finitam existimet. Qui enim id fieri potest ut quę derelicta terrestri hac Hierosolyma, cœlestes jam sedes inhabitat, ut eadem in terras relapsa Romam nunc deserto cœlo habitandi gratia confugiat? Quod ab omni adeò

3. Conditio Ecclesiæ. Ecclesia accolis non terrena, superna, & spiritualis non loco circumscripta.

adeò fide abhorret, ut ne Magi quidem omnes ac incantatores venefici, quotquot unquam habuit Ægyptus aut Babylonia cùm omnes suas fascinandi ac incantandi vires invicem contulerint, nunquam id effecerint, ut è cœlesti patria ecclesiam Dei deducant, ut sedem ipsa suam in urbe Roma defigat. Proinde si nos liberę hujus matris liberi esse filii expetimus, sursum mentis aciem in Cœlum referamus oportet, ibiq; quærendam nobis matrem statuamus ubi diversatur, non in terrena jam Hierusalem Judaica: non in Constantinopoli Turcica: non in Alexandria apud Ægyptios; non in Antiochia apud Syros, sed in ea, quę sursum est Hierusalem, quę mater est omnium nostrùm, quotquot filii Dei sumus. Quę res cùm multa nos docet, tum illud inprimis; ut quum genus ab illa trahimus, cujus omnis in cœlo sit conversatio, ipsi proinde ad exemplar illius nosmet componentes cœlestem pariter vitam, piam ac spiritualem in terris hic meditemur, pręstemusq; pro viribus. Quin insuper in cœlesti hac Hierusalem habent & ipsi adversarii, quod addiscant. Nempè, ut insanos istos furores & molitiones, quibus se frustra fatigant in opprimenda hac ecclesia, compescant tandem aliquando, si apiunt. Putant enim quum sæviunt tam immaniter contra ejus filios, quos peregrinantes hic in terris vident, id se effecturos, ut ecclesiam Dei universam extinguant atq; aboleant. At tota falluntur opinione. Quippe quum omnem intenderint rabiem in mactandis piorum corporibus, quid tota illa tyrannide proficiunt, nisi ut in patriam filios transmittant in jucundissimos complexus suæ matris? Quæ ut cœlestis & superna est: ita invicta manet, nulla vi humana expugnabilis. Etsi in membris hujus interim hęrentibus dura nonnunquam perpetiatur, at vincet tamen, vicitque semper hucusq; cum suis liberis sub principe maximo & Antesignano Christo, primogenito suo, unigenito dei filio. Cujus demum auspiciis caput conteretur serpentis, ipseq; in inextinguibilem gehennæ abyssum sempiternis excruciandus flammis conjicietur.

Ecclesia Christi si cœlestis sit, propria ejus sedes urbs Roma esse non potest.

Quum in cœlo sedem habeat Ecclesia, frustra eam in terris oppugnant adversarii.

Præter cæteras, quas supra recensui, quarta porro consequitur ecclesię conditio, nempè ut libera sit, ac proinde in libertatem generans. Libera hinc dicitur, quòd san-

4 Ecclesiæ conditio.

Ecclesia Christi libera.

sanguine filii Dei redempta, in libertatem vindicatur, quo sic depulso servitutis jugo, sancta & illibata apud Deū statuatur, justitiæ ornamentis redimita non propriis, sed vestem habens sanguine intinctam Christi, quæ sunt justificationes sanctorum. Eaq; ratione fit quidem illa gloriosa non minùs, quàm fœcunda mater, pari conditione filios enixa, qui jure peccati & mortis exempti Deo patri serviāt in sanctitate & justitia cunctis vitæ diebus.

Romana ecclesia quum tota sit terrena. Christi esse non potest.

Ex his quæ dicta sunt, haud obscure liquet, Romanam Ecclesiam Christi nequaquam esse, quippe quæ tota terrena existat, externis mundi hujus opibus diffluens, viribusq; carnalis consilii suffulta, humanis stabilita præsidiis. Quæ nihil aliud quàm doctrinam servitutis spirat; quæ deniq; hostili persecutione in veram libertatis Ecclesiam furit ac grassatur tam impotenter. Quin & eodem simul argumento tollitur alia difficultas inter nos & Papistas oborta. Contenditur enim utrinq; acri disceptatione, visibilis ne sit Ecclesia Christi, an non.

Rationes quibus convincitur ecclesia Romana Christi non esse.

Ecclesia Christi an visibilis sit sive invisibilis.

Instant illi ominibus modis & machinis, visibilem esse astruentes, veluti quę in ædito montis culmine conspicua oculis omnium colluceat, aspectuq; hominum singulari splendore perstringat, atque in sui admirationem pertrahat. Hinc q; mox telū arripiunt, satis ut ipsis videtur, acutū & subtile, quo scram, ut illustrem & spectabilem stabiliant Ecclesiam, nostrā ut obscuram funditus convellant. Quid, inquiunt, an non Romana hæc nostra hierarchia à primis majoribus & priscis temporibus universo orbi semper in oculis fuit? Contrà hæc vestra suis adhuc tenebris & latebris demersa, ubi tandem, quibus in oris, quibus hominibus cognita, aut audita ante hos annos centum apparuit?

Romanenses unde ecclesiam suā visibilem astruunt.

Locus Christi perperam intellectus à Romanensibus. Matth. 5.

Nec cogitant interim venusti isti vetustatis somniatores, quàm in re falsa suaviter insaniunt atque deliran, sumpta errandi occasione ex loco Christi perperam intellecto: Quo suos ille submonens discipulos, ut vitæ exemplo, verbiq; virtute cæteris præluceant, similitudinem à civitate trahit: *Non potest*, inquit, *Civitas abscondi in montis Celsitudine posita, &c.*

Sedes bestiæ septicollis. Apocal. 16.

Age & quid hoc ad civitatem Romanam, quamvis ea non super unum montem, sed super septem colles extructa

sit

nit? Neq; enim mens Christi, nec verborum sensus catholicam Ecclesiam hoc loco quicquam attingit (quod ex ipso sermonis contextu facilè pervincitur,) tantùm his dictis hortari discipulos voluit Dominus, ad curam & vigilantiam adhibendam, quum eo in loco sint positi, ut conjectis jam in se oculis hominum latere non possint; ne lucem doctrinæ, quam ipse in eis accenderat, vel negligentia extinguãt, vel vitæ indignitate infament: Verùm ut honestandæ professioni invigilent, gnaviterque susceptæ vocationi inserviant, qui vel magno usui omnibus futuri sint, aut magno malo omnibus, si secus se gesserint. Itaque locus hic Evangelistæ ad catholicam aut visibilem Ecclesiam haud quicquam, tum multò certè minùs ad Romanam civitatem attinet.

Sensus verborũ Christi de Civitate in monte posita. Matth. 5.

Verumenimvero noster hic locus Pauli (qui aliter intelligi non possit, quam de catholica solum Ecclesia, disertè contra istos pugnat, qui publicè spectabilem esse Ecclesiæ speciem contendunt: fieriq; id posse negat, ut oculis hominum pervidentur, nisi eorum duntaxat, quorum mentes acutior fidei claritudo illustravit. Sic enim verba habẽt Apostoli: *illa quæ sursum est, quæ in cælo agit Hierusalem, libera est.* Ecclesiam nimirum designans catholicam, quę mater sit omnium nostrũm. Si sursum est, quomodo in terris hic perveſtigauda? Si in cœlo, quomodo aliter cerni possit, nisi oculis fidei? Glorientur papistarum filii, efferantq; se quantumlibet inanissimo titulo visibilis suæ ecclesiæ: nec matrem agnoscant ullam, præterquam quæ Romana visibilis prædicatur ecclesia: Nos constanter parrhesia gloriosos hosce Babylonios, cum matre sua meretricia non pili facimus. Cœlestis enim ac spiritualis Hierusalem, quæ sursum est, mater existit nostra. Atque ne quis frustrà hoc à Paulo dictum existimet, testimonio ex Esaia, cap. 54. producto hoc ipsum illustrissimè confirmat: ex propheta testificans, ecclesiam hanc legitimos Deo heredes multo uberiore proventu ex gentibus secundum promissionem, quàm ex servili populo juxta legem enixuram esse.

Galat. 4.

Cœlestis Hierusalem, i. ecclesia catholica oculis solis fidei cernitur.

Esai. ca. 54.

Quoniamque Galatæ, ad quos scribit, ex numero gentilium pariter cum cæteris censebantur, ea gratia, plenissimam consolationem promissionem à Deo initam cum

ecclesia gentiũ in mediũ expromit, quo eos verbis enixiùs consoletur. *Lauare*, inquit, *sterilis, quæ non paris, erumpe in gaudij vocem, & clama, quæ non parturis.* Nam longè plures tui filij, quàm orba & effœta videbaris, quàm ejus, quæ virum habet. Futurum est enim tempus quo Deus Ecclesiam suam, eeu virginem illibatam Christo filio suo desponsabit, quæ longè majore copia filios Deo profundat, quàm Judeorũ obsoleta Synagoga, quæ tot ante seculis virum possidebat, dum interea gentilis hæc Ecclesia sterilis, ac desolata absq; marito relinqueretur.

Esai. Ca. 54.

Galat. 4. Prerogativa Isaac in potiunda hæreditate unde contigit

Itaque fratres, inquit, *nos secundum Isaac filij sumus promissionis, &c.* Non hi solùm, qui ex semine Abrahæ genus ducunt ad Isaacum pertinent, sed quotquot participes etiam sunt promissionis per fidem. Nam alioquin unde hæc Isaaco dignitatis prærogativa, ut in adoptionem veniret potius quàm Ismael? An quia ex carnali Abrahæ semine profectus est? Imò ex eodem semine natus est & Ismael. Quæ res igitur Isaacum eò provexit dignitatis, ut adoptione donaretur hereditatis? Sola nimirum promissio. Quæ quidẽ eadem promissio nihilominus ad reliquas omnes totius orbis nationes diffunditur, quàm ad eos, qui peculiari naturæ cognatione ex Abrahamo, Isaaco, Jacobo profluxerunt, juxta id, quod dicitur: In semine tuo benedicentur omnes orbis nationes.

Promissione donata hæreditas.

Gen. 22. & 26.

Nos promissionis filij juxta Isaacum.

Nos itaque fratres, qui, relicta legis fiducia, Christo per fidem adjungimur, non ad Ismael, sed ad Isaac attinemus, non ex ancilla juxta carnem, sed ex libera secundum Dei promissum nati. Soli enim divinæ promissionis gratiæ tribuendum est, cur Isaac in filium ascitus sit, nec aliud existit causæ, quamobrem & nos consimili adoptione in filiorum dignitatem provehamur. Idem & de Jacobo sentiendum, qui in sortitione hereditatis anteponeretur fratri Esau, qui & ipse secundum carnalem spectamus generationem, nihilominus nepos fuit & filius Isaaci: & tamen quid de us divina statuerat sententia? Jacob dilexi, Esau odio habui. At qua causa tandem, ille potius quàm alter in paternam successit hæreditatem? Haud sanè alia, nisi sola Dei electione.

Gen. 25.

Galat. 4.

Sola igitur nobis præstat electio, gratia, misericordia

dia & promissio Dei, ut Deo patri in filios recipiamur, non nostra merita, nō operum studia, non hominis cujusquam dignitas.

Contra operum merita.

Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum ita & nunc. His dictis summa consolatione refertissimis, divus Apostolus Galathas suos, cęterosq; omnes genuinę ecclesiæ alumnos ad patientiam pręparat Evangelicam, velut jam antè pręnuncians nihil aliud à fucatis his meritorię Ecclesiæ Ismaelitis expectandum, nisi hostilem persecutionis rabiē. Nec mirum quidem, si quēadmodum olim Ismael natu grandior, qui juxta carnem duntaxat filius fuerat Abrahę, tenerum adhuc ac genuinū hæredem persequebatur, vetustatis prerogativa sese venditans: ita & nostris hisce ęroribus, hi qui terrenæ hierusalem carnalię, legi adhęrescunt, invisos habent eos, qui spiritualē Evangelii legem amplectuntur quasi venditantes sibi jus primogenitorum, quod nemini pręterquam soli duntaxat Christo debetur. Ea quippe superbia est horum homuncionū, haud minus turpitet servilis, quàm frustra inflata qui quum miserā nimis serviunt æterni exitii servitutem, mirum tamen quàm insolenter sibi adblandientes, cęteros quosq; quanto fastidio præ se aspernantur, qui non eadem cum ipsis persuasione justificationis imbuti videantur.

Adhortatio ad patientiā.

Pontificii carnales, spirituales ecclesiæ filios persequuntur.

Inflata Romanensium superbia & crudelitas.

Eamq; ob causam Christus dominus proposita de duobus in templo precantibus, non inscitè perstringit pharisaicum hoc genus justorum, fidentium suis operibus, ex eisq; laudem sibi justitię captārium. Solent enim plęrumq; ii, qui falsa justitię opinione sibi placēt, cęteros fere quosq; pro nihilo ducere aē fastidire. Ex eoq; contemptu consequitur deindē non minus sęva mentis ferocia, odiiq; acerbitas crudeli persecutione in eos desęviens, quos à suo studio alienos persentiunt.

Pharisaicum supercilium.

Persecutio ecclesię unde oritur.

Ut autem nulla unquam ecclesię ętas immunis hactenus fuit ab his meōmodi: ita in ipsis etiam nascentis ecclesiæ primordiis, nōdefuerunt hujusmodi pseudoapostoli qui purā simplicemq; justificationis doctrinā rectē constituram, pessimè deformantes, partimq; in legis auxilia, partim in Christi fidē partientes, graues tumultus cōtra gnesios xpti

Collatio veterum pseudoapostolorum cum nostris hodie pharisæis.

Apostо-

Apostolos conſciverunt, cæteroſq; qui eorum informati inſtitutis juſtificationem ſola Chriſti gratia, fide tantùm ſuſcepta definiebant, citra legis operumq; ulla adminicula. Quin nec ab eorum veſtigiis multum degenerant noſtri hodie papiſtæ cede ac ſanguine, nulloque non crudelitatis genere graſſantes in veros promiſſionis hæredes, hos nimirum, qui in Chriſto ſolo omnem defigunt ſalutis fiduciam, nihil non molientes, quicquid excogitare malitia poſſit ſuppliciorum, quo ſuperbam juſtitiæ ſuę perſuaſionem ſtabiliant, gloriamq; gratuitæ ac cumulatiſſimæ noſtræ in Chriſto redemptionis extinguant. Id autem quo clarius elucęat, audiamus ea, quæ mox ſubjungit Apoſtolus. *Quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat perſequebatur, &c.* Quidnam id ſit quod Paulus hoc loco perſecutionis nomine intelligat, videndum eſt. Conſtat enim in tota illa hiſtoria Iſmaelis Geneſ. 21. nullam perſecutionis mentionem fieri, niſi quum Abraham grande feciſſet convivium, quo die ablactatus ſit Iſaac, Iſmael ſuperbus ibi adoleſcens annos natus circiter ſedecim, non parum geſtiens ſua primogenitura, luſiſſe dicitur, vel ridendi, vel irridendi magis cauſa, cum Iſaaco Saræ filio, inſultans ut videtur, teneræ fratris infantiæ.

Pseudocatholici noſtri tęgoris, quas excitat perſecutiones contra gloriam gratuitę noſtræ in Chriſto redemptionis.

Geneſ. 21.

Iſaac cęptus ac derisus ab Iſmaele.

Hanc verò deſultoriam irriſionem Paulus perſecutionis vocabulo deſignat. Nec immerito. Quid enim gravius, quàm per contumeliam lœdoriis mordacibus cujuſquam impetere vocationem? In quo Iſmael, luculento ſatis argumento, teſtabatur acerbum animi ſuperbi faſtidium, cum contemptu conjunctum, adverſus eum, quem dominus favore ſuo ſingulari, atq; electione dignatus eſſet. Quin nec minùs etiam ille, flagrans animi odium, crudelemq; malitiam indicabat erga tenerum fratrem, quem tam contumelioſe exagitabat, cunctiſq; quibus poſſet modis infeſtabat. Deinde perſecutio dici, vel hoc præcipuè nomine meretur, quòd non tam fratrem, quem ſubſannabat, quàm gratiam & electionem divinam ludibrio haberet, & contemptui. Quamobrem licèt nullus in eum telum ſtringeret, at perſecutione tamen non carebat, quod tam infeſtis probris eum impeteret, quin & divinam potius promiſſionem proſcinderet, qua ad hæreditarium hoc munus ſingulari beneficio

ficio vocaretur.

Certè qui verè pietatis affectu sunt afflati, nulla iis accidere potest persecutio acerbior, quàm cum Dei gratiam, cui omnis sanctorum innititur vocatio, superbis improborum sannis ac ludibriis expositam, pedibusq; tantum non proculcatam advertant. Quippe ex hac primum contemptione, malitiosaq; malevolorum indignatione, qua gratiam dei in electos suos aversantur, omnis hæc suppullulat gravissimarum persecutionum seges. Id quod abundè testatum esse poterit exemplo Caini, & Abelis. Neque verò dubium, quin & clementissimi servatoris multo gravius mitissimam perculserit mentem, acerbissima illa blasphemantium Judæorum vox, qua deridentes de cruce eum descendere jubèrent: illudq; per Ironiam occinentes, ex psalmo: speravit, inquiunt, in domino, eripiat eum si quidem vult eum, quam crux ipsa, cæteraque omnia mortis inflictæ pathemata. Ut autem prior potiorq; apud nos ratio divinæ gloriæ, quàm vitæ nostræ esse debeat: ita eadem hac ipsa numinis divini gloria, impuris sceleratorum probris, læsa ac violata, par est nos multo exagitari vehementiùs, quàm vitæ propriæ jactura. Grave persecutionum genus.

Cùm autem alia permulta existunt sævissimarum in pios perturbationum genera, tum nullum eo detestabilius, quo non corpora, sed salus animarum in discrimen vocatur, per nefarias insultationes τῶν ἀθέσεων πειρασῶν καὶ τῶν ἀθέων lædoriis accachinnis veritatem dei insectantiũ. Quibus siquando non permittitur facultas, flammis ac cædibus grassandi in pios pro sua libidine, eò prorumpunt nequitiæ, ut in blasphemias conversi salutiferam Dei gratiam, in vocatione piorum, probrosis scommatis, convitiosaque irrisione insectentur, atq; maledictis impudentissimè dilacerent. Eaque causa fit, ut charissimi deó electi, ut quisque sanctissimè in Christo vitam ducere instituit, ita effugere nequeunt quin aliqua persecutionis cruce implicentur. Etsi enim gladius è manibus interdum extorqueatur sanguinariis istis Martyromastygis, quo minus corporibus noceant, non conquiescet tamen implacabilis eorum persequendi furor aliter, nisi & lingua etiam radicitus è facibus ipsis evellatur. Ismaelitæ fucati is παιζόντας τὰς Animarum quàm corporum afflictio multo acerbior.

Persecutio semper sanctorum comes.

Martyromastygæ pontifices.

τὰς ἡμῶν διατριβὰς si non alio licebit modo, at Ismaelitica saltem æmulatione promissionis libertos persequi. Hincque omnis illa tam atrox papistarum contra nos emergit excandescentia, & odium implacabile, quo nulla incitati causa, nullum finem faciunt superbissimis blasphemiis suis, sycophantiis & perbacchationibus in nos oblatrandi & persequendi.

Odium implacabile papistarum contra Evangelicos.

Sed ut rem verbo concludamus, quis exitus tandem harum turbarum & furorum videbitur? Si mundum hunc interroges, respondebit illicò, sanctulos istos hypocritas, pro summis ecclesiæ columnis suspiciendos, primaq; ejusdem membra existere. Nam hoc ipsi summa contentione sibi vendicant, ut soli habeantur qui universam dei ecclesiam suis humeris sustineant: cæteros verò istos, qui ad promissionis gratiam pertinent, jus nullum in toto hoc ecclesiæ patrimonio habere, nisi quantum suo permissu ac venia cõcedatur. Age, & quid divina interim ad hæc respondebit scriptura, quę neque assentari novit, nec metu verum dissimulare, nec patietur sanè simul misceri dissimiliter natos? *Ejice*, inquit, *ancillam & filium ejus, non enim feram, ut hæres sit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Scio verba hæc Sarę fuisse Abrahamum suum compellantis: at quæ tamen clarissimo comprobata sunt divinæ vocis oraculo, quo jubetur Abraham uxoris voto & postulationi acquiescere.

Galat. 4.

De Ismaele igitur quid actum sit ex ipso nunc audistis scripturæ responso. Qui utrunq; hactenus in paternis ædibus diu multumq; sibi applaudens, jure velut hæreditario cuncta ad se rapere, ac dominari visus sit, vetustatis prærogativa fratrem se minorem superbissimè contemnens, nec minus crudeliter sannis & rhonchis incessens: accedente tamen divina sententia, longè in diversum inversa sunt omnia. Quid enim fit? Superbus ancillæ filius foras cum suis cachinnis profligatus ab hęreditate pellitur. Sara legitima hera, quam is tam indignè spreviſſet, cum legitimo filio Isaac, destinatę promissionis hærede, potita est rerum, ipso sententiam ferente Domino. Mira profectò & stupenda rerum vicissitudo. Nec dubium, quin ex domesticis famulis complures permitterentur, ejecto licèt Ismaele, in herili domo consistere. Quid in causa? nisi quia acceptam

Superbus servilis Ancillę filius ejicitur.

divinæ

diuinæ promissionis gratiam non illi, Ismaelitica cõtemptione, fastidiebant: verùm, qua decuit reverentia, amplectebantur. Nec dissimile expectent exemplum de se ædendũ Romanenses isti justiciarii: ut ut Agar cum Imaelitica sua stirpe sese efferat, jactetq; primogenituræ suæ antiquitatẽ, utcunq; ecclesię nomine ipsa se vẽditet, prematq; tyrannide sua ingenuos ecclesiæ filios, stat immota dei sententia jam olim fixa ac definita, futurũ aliquando, ut personata hypocritarum istorum colluvies, quæ nunc in acervo ecclesiæ permista obtegitur, primasq; prę cęteris in ecclesia dignitates occupat, è foribus ecclesiæ penitus pellatur, nec locum ullum in distribuenda hæreditate cum filiis dei obtineat.

Romanenses justiciarii ex emplo Ismaelis admoniti.

Quæ quum ita sint, hoc proinde impensius omni adhibita cura & circumspectione prospiciendum statuamus, nequid nos trãsversos abripiat à libertate spiritus in Christo Iesu, à promissæ hæreditatis gratuita donatione, à spe vocationis nostræ, in qua sumus amplissimo dei munere collocati, quin gratissima alacritate, arrectisq; animis fœdus misericordiæ quod pepigit nobiscum Deus, sartum tectumq; tueamur, ut salutiferam Evangelicę gratiæ doctrinam, ut gratuitam peccatorum condonationem promptissima fide, omniq; studio retineamus divina donatã gratia, ac promissione stabilitam, quæ nos peccatorum nexibus infeliciter irretitos, in certissimam eximat libertatem: qua deniq; è pristina servitute emancipati, in jus filiorum dei cooptati sumus, hæredesq; æternæ reddimur felicitatis. Quam eadem Dei misericordia nobis indulgeat per Christum Dominum, cui tum patre & spiritu sancto,

In libertate qua vocavit vos deus, state.

Gala. 5. Gratia Dei nullo modo aspernanda.

Laus omnis & gloria in ævum. Amen.

FINIS.

Ohne Titel

Liber II. p. 226 Liber III p. 312 Liber IV post p. 430.